ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II
PERIODUS SECUNDA

PARS VI

CONGREGATIONES GENERALES LXXIV-LXXIX

SESSIO PUBLICA III



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS LXXIV
25 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXXIV

25 novembris 1963

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Faveant omnes audire! De mandato Summi Pontificis: feria IV, die 4 decembris, hora 9, in hac Sacrosancta Basilica celebrabitur sessio publica Sacri Concilii, quae erit tertia a Concilio inito. In hac publica sessione examinabuntur, de iisdem suffragium feretur, et, si Deus dabit et Patres velint, approbabuntur decreta iam in congregatione generali approbata. Omnes Patres Concilii ab hac die iam intimantur ad solemnem publicam sessionem. Aliae caerimoniae publicae sessionis communicabuntur per intimationem factam ab exc.mo D. praefecto Caeremoniarum Apostolicarum.

Die autem 3 decembris, pariter hora 9, in hac Basilica, post Missae celebrationem coram Summo Pontifice, commemorabitur quartum centenarium Sacrosanctae Tridentinae Synodi. Habebit orationem commemorativam em.mus ac rev.mus D. cardinalis Ioannes Urbani, patr. Venetiarum.

Disceptationem hodie moderabitur circa cap. I *de Oecumenismo* em.mus ac rev.mus D. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Antequam legam nomina eorum qui verbum facere postulaverunt, enixe rogo em.mos vel exc.mos praesides conferentiarum episcopalium ut, nisi iam fecerint, ad nostram secretariam deferant elenchos nominum selectorum pro electione facienda feria quinta proxima. Cum tempus exiguum vere sit, omnes supradicti praesides rogantur ut ad nostram secretariam elenchos deferant vel hoc mane vel amplius ante horam quintam post meridiem.

Haec ergo sunt nomina: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus in Canada, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Stat. Foed. Amer. Sept., Augustinus Bea; exc.mi DD. Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia, Ioseph Tawil, arch. vic. patr. Melchitarum in Syria; rev.mus P. Anicetus Fernandez, mag. gen. O. P.; exc.mi DD. Ioannes Gahamanyi, ep. Butarensis in Rwanda, Andreas Pangrazio, arch. Goritiensis in Italia, Ioannes Canestri, ep. aux. em.mi card. Vicarii in Urbe, Anastasius Granados, ep. aux. Toletanus in Hispania, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus in Aegypto, Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoënsis in Congo, Stephanus Leven, ep. aux. S. An-

tonii in Stat. Foed. Am. Sept., Ioseph Cornelis, arch. Elisabethapolitanus in Congo, Ioannes Zoa, arch. Yaundensis in Camerun, Gabriel Manek, arch. Endehenus in Indonesia, Marcellinus Olaechea, arch. Valentinus in Hispania, Georgius Flahiff, arch. Winnipegensis in Canada, Antonius López Aviña, arch. Durangensis in Mexico, Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus in Brasilia, Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis, Raphaël Gonzalez Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania, Aurelius del Pino, ep. Illerdensis in Hispania, Iucundus Grotti, prael. Ordinarius Acrensis in Brasilia, Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis in Brasilia.

PATRUM ORATIONES
(*De Oecumenismo cap. I*)

1

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Fratres, Observatores et Auditores carissimi,

Vota duo habeo quae ad unitatem fovendam in materia doctrinali referuntur.

Primum votum meum respicit accuratiorem praesentationem notae unitatis Ecclesiae.

Ea quae in art. 1 dicuntur de unitate a Christo intenta, etsi vera optime exprimunt, tamen mihi incompleta videntur.

Nos omnes scimus multos esse catholicos et non-catholicos qui aestimant Ecclesiam catholicam unitati nimis monolithicae favere. Et de facto, forsitan admitti posset Ecclesiam, praesertim ultimis saeculis, quadam immoderata uniformitate sive in rebus doctrinalibus, sive in cultu, sive in disciplina generali indulsisse. Etenim saepe factum est ut quaedam legitima requisita libertatis et diversitatis intra ambitum unitatis fundamentalis aliquantulum neglegamus.

Iam multi Patres, praesertim e regionibus Missionum, merito extulerunt momentum pro activitate missionaria recte ordinanda firmiter affirmandi unitatem in Ecclesia Christi nullum praeiudicium afferre posse legitimae libertati et diversitati. Momentum eiusdem affirmationis relate ad activitatem oecumenicam nullus est qui non videt. Nam etiam Ecclesiae et Communitates separatae habent suas traditiones, suas institutiones, thesaurum suum spiritualem quae legitime servare intendunt.

Itaque, ut omnis aequivocatio vitetur circa unitatem quam Ecclesia

catholica prosequitur, oporteret ut in ipsa enucleatione theologica unitatis a Christo intentae non negligeretur fusius et clarius dicere quomodo in hac notione componi *possent*[1] perfecta oboedientia et summa libertas, vera unitas et magna diversitas. Illam diversitatem celebravit ipse Summus Pontifex in sermone suo inaugurali secundae sessionis.

Secundum votum meum est ut melius schema provideat media ad dissensiones doctrinales solvendas. Etenim quaestiones doctrinales summam faciant difficultatem in re oecumenica. Et maxime interest ut in nostro schemate quaedam, pro posse, principia enuntiantur de hac materia, utque ille status mentis — apud catholicos, praesertim apud pastores et theologos — promoveatur quo facilius unaquaeque oppositio solvatur.

Omnes concordamus in hoc quod, in quaestionibus doctrinalibus una cum fratribus examinandis, caritas et veritas nullum detrimentum pati debeant. Attamen nonne ulterius progredi possemus? Nonne clare affirmare debemus quod in nostra communi cum aliis fratribus investigatione, prae ineffabilibus mysteriis divinis, veritas facienda est non tantummodo in caritate *et veritate*[2] sed etiam in humilitate?

Apud nos dogmata elaborata sunt post diuturnam inquisitionem theologicam quae saepe, in suis methodis, diversa est a modis cogitandi fratrum separatorum occidentis sicut et orientis. Ipsi fratres separati indagationem doctrinalem propriam fecerunt. Ex illis investigationibus quasi parallelis, exortae sunt differentiae quae a pluribus aestimantur insuperabiles. Mea opinione, illae discrepantiae non solventur nisi fratres separati et nos catholici inquisitionem communem Revelationis Christi faciamus in humilitate. In sua historia, infeliciter, Ecclesia multa schismata et haereses cognovit. Plura autem eorum soluta sunt, ut vidimus apud Patres, non per viam auctoritativam, sed per progressum communem in fide, in caritate et in humilitate.

Iam pluries in hoc Concilio Ecclesia suam humilem et peregrinam conditionem exprimere voluit. Nec parvi momenti est voluntas ab Ecclesia manifestata sua peccata confitendi. Nunc autem, Ecclesia, praesertim nostris diebus, indiget etiam humilitate intellectuali. Non raro dicitur Ecclesiam catholicam totam veritatem a Christo revelatam possidere, et de facto similis expressio in ipso textu nostri schematis invenitur ...[3]. Sane, adhibitis necessariis distinctionibus, haec expressio recte intelligi posset. Timeo tamen ne talis affirmatio pluribus abscondeat nostram radicalem incapacitatem perfecte et exhaustive veritatem a Christo revelatam, his in terris, intelligendi.

Nostra faciamus verba apostoli: Nobis minimis « data est gratia haec, evangelizare *investigabiles* divitias Christi »...[4]. Itaque doctrina

transcendentiae Dei mysteriorumque eius doctrinae infallibilitatis non contradicet; attamen, nostram infirmitatem revocando, illam doctrinam temperat. Praeterea, illa Dei transcendentia immobilismum intellectualem christianis omnino prohibet.

Immobilismus in re doctrinali magnum obicem esse in via unitatis agnoscebat Papa Paulus VI, *feliciter regnans,*[5] quando in sua ad Observatores allocutione, sequentia verba Augustini citabat: « Quaerite ut inveniatis et invenite ut adhuc quaeratis ». Prosequebatur Summus Pontifex dicendo: « Haec sententia S. Augustini nos omnes catholicos et non-catholicos spectat: authenticus christianus immobilismum non admittit ».

Credo haec verba rectam viam ad difficultates doctrinales solvendas indicare. Et proponerem ut schema *de Oecumenismo* investigationem theologicam ita describat ut, non tantum fratres separati sed nos quoque catholici, ad profundiorem cognitionem et accuratiorem expressionem Revelationis Christi semper incitemur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] possunt. [2] deest. [3] (pag. 9, linn. 22-23). [4] (*Eph.* 3, 8). [5] deest.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

In cap. I, Oecumenismus definitur vel, ut melius dicam, describitur « motus et actio ordinata ad illam unitatem christianorum fovendam quam Iesus Christus precibus postulavit ». Illa unitas, cum sit finis ipsius motus, nisi fallor, principium oecumenismi fundamentale existit. Unde conceptus eiusdem unitatis evolvi et enucleari debet. Hoc facere videtur schema quando, in par. 1, de Ecclesiae unitate et unicitate disserit. Sed principium minus aptum, ut mihi videtur, profert ...[1]. Liceat mihi rationes huius obiectionis afferre et postea aliud principium proferre.

Principium fundamentale oecumenismi, secundum quod ad hoc schema pertinet, debet esse pastorale, doctrinale et oecumenisticum.

Primo, debet esse pastorale: etenim hoc est primum totius Concilii intentum. Requiritur ergo non solum ut decreta aliquid faciendum statuant, sed etiam ut impetum et motivum efficace ad illud faciendum praebeant. Principium omnis motus, seu actionis, est finis, consideratus

tamen non ut simplex terminus activitatis sed ut bonum eminenter desiderabile. Non sufficit ergo ut schema de unitate Ecclesiae speculative tractet; debet manifestare unitatem christianorum ut quid bonum inaestimabilis valoris et divisionem christianorum ut malum aequalis magnitudinis.

Principium fundamentale debet esse doctrinale, siquidem illam solam unitatem quaerimus quam Christus vult. Insimul debet esse oecumenisticum. In suis elementis etiam simplicibus, oecumenismus tum desideria tum actiones communes inter catholicos et fratres separatos implicat, ideo etiam finem communem.

Par. 1, ut iacet, conceptum unitatis profert quem soli catholici formaliter agnoscunt. Proinde alius conceptus, nec minus verus, requiritur. Certissime, omnes, catholici et non-catholici, illam unitatem urgenter et ardenter desideramus quam Christus vult. Sed et possumus et debemus eamdem unitatem desiderare et actuose prosequi sub aspectu magis concreto et magis specifico.

Unitas christianorum est quid bonum et eminenter desiderabile, non solum quia est secundum Christi voluntatem, sed potius quia in aliquo sensu haec unitas est ipse Christus. Finis ultimus Ecclesiae, salutis humanae, ipsorum hominum, necnon omnium rerum, gloria est Dei et Christi. In terris, haec gloria Christi per Ecclesiam perficienda est: beneplacitum enim Dei est « instaurare omnia in Christo », ideoque « omnia subiecit Deus sub pedibus eius, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam » ...[2]. Hoc « omnia instaurare » sub Christo-Capite missio est, et vita, et ipsa natura Ecclesiae. Gloria Christi est unitas Ecclesiae.

In sua praesenti conditione, longe existit Ecclesia a suae naturae perfectione. Sua unitate et sanctitate, Ecclesia debet mundo manifestare Christum, eius amorem et opus salvificum. Realiter tamen, propter suam divisionem et imperfectionem, Ecclesia scandalum est mundo: bene dicitur ergo in schemate: « divisionibus christianorum splendor vultus Christi in Ecclesia aliquantum obscuratur et regni divini incrementum funeste retardatur ».

Gloriam Christi, unitatem Ecclesiae, omnes, catholici et fratres separati, desideramus. Quidquid de natura Ecclesiae credimus, concordes agnoscimus hanc unitatem tunc obtentam iri quando omnes erimus unius « mensae Domini participes » unamque Eucharistiam celebrabimus: « quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus »...[3]

Hoc est finis, ut mihi videtur, hoc est principium fundamentale omnis oecumenismi, quod schema enucleare debuisset. Ex hoc omnibus

constabit necessitas renovationis personalis et ecclesialis; ex hoc manifestabitur quam mala sit divisio et quam bona necnon desiderabilis sit unitas christianorum; ex hoc profluet sollicitudo caritativa pro omnibus hominibus-fratribus.

Omnium Christum accedentium uniuscuiusque in propria Eucharistiae celebratione sit oratio ut omnes unum simus, ut ad agnitionem totius veritatis veniamus, et ut unum corpus ex uno pane fiamus.

In fine, fratres carissimi, mihi liceat pauca verba adiicere quae ad rem minime conciliarem pertinent. Mors subitanea et violenta nostri praedilecti Ioannis Fitzgerald Kennedy, sicut iam nostis, episcopos Statuum Foederatorum Americae tanto dolore etiam nunc commovet. Vobis, fratres, gratias sinceras et ex imo corde prolatas agimus, pro omnibus condoloribus expressis et pro omnibus suffragiis promissis. Ubi non est caritas et mutua consideratio, odium, cuius ista mors est fructus, cor hominis facile capit. Oremus et laboremus in hoc Concilio ut nos, fratres dissentientes, semper in pace et caritate Christi, et aliquando in futuro etiam in eadem veritate christiana, vivamus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et secundum hoc mihi non placet. [2] (*Eph.* 1, 10. 22). [3] (*1 Cor.* 10, 17).

3

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres conciliares,

Animo valde grato secretariatus noster ad promovendam unionem christianorum ea omnia accipit quae ad emendanda vel clariora reddenda tria priora capita schematis proposita sunt. Quaedam ex illis *tamen* [1] quae dicta sunt fortasse *paulo* [2] uberius illustrare *liceat.*[3]

1. Ac primum quidem pauca de schematis titulo. Schema agit « de christianorum unitate promovenda ». A pluribus Patribus propositum fuit, ut etiam ipse titulus schematis *eodem*[4] fere modo enuntietur, *ut ergo dicatur, ut titulus, « de christianorum unitate promovenda », et omittatur titulus Oecumenismi.*[5] Haec propositio a secretariatu ad unionem fovendam omni qua par est cura examinabitur, ut dubia *et* [6] obscuritates, *quae ex verbo « oecumenismi » oriri possunt et* [7] a pluribus Patribus *nota sunt,*[8] amoveantur.

2. ...[9] In disceptatione pluries sermo fuit de periculis quae motio oecumenica creare possit: indifferentismi, interconfessionalismi, falsi irenismi, dubii de fide, *etc.*[10] Certe verum est talia pericula imminere, ubi quaestio unionis tractatur — ut, *proh dolor!,*[11] interdum fit — ab

oratoribus vel scriptoribus, bonae quidem voluntatis, sed parum cautis et parum prudentibus. Remedium huius periculi tamen non in eo est, ut actio ad unitatem promovendam omnino omittatur, sed in eo est ut ab ipsis Sacris Pastoribus ei rite invigiletur, ut ipsa dirigatur et, ubi opus est, sollerter corrigatur. Dico: a Sacris Pastoribus. Officium enim unionem promovendi imprimis incumbit *Ordinariis locorum,* sicut in genere officium praedicandi Evangelium et pascendi gregem Christi. De unione christianorum promovenda a Sancta Sede et Secretariatu Unionis, qui eiusdem Sanctae Sedis nomine agit, principia quaedam et leges generales statui *poterunt* [12] et in « Directorio oecumenico », *Deo volente,*[13] statuentur et fusius explicabuntur, sed harum legum applicatio et accommodatio *ad concretas circumstantias* [14] ad *episcopos locorum* [15] spectabit. Evidens enim est condiciones religiosas in diversis orbis partibus valde diversas esse sicut diversus est modus agendi fratrum christianorum non catholicorum in diversis orbis regionibus. Haec autem plene cognosci, *plene* [16] diiudicari possunt tantum ab iis qui *in illis locis* [17] commorantur, *ergo ab Ordinariis locorum et a conferentiis episcopalibus.*[18] Valde utile igitur erit, ut in diversis regionibus a conferentia episcoporum secretariatus aliquis regionalis *ad unionem fovendam* [19] creetur, qui *secretariatus* [20] collaborans cum secretariatu romano et cum episcopis propriae regionis toti operi oecumenico *attendat, invigilet illudque promoveat.*[21]

3. Hoc modo etiam periculum, *de quo dictum est,*[22] *falsi cuiusdam oecumenismi* vitabitur quod ab aliquibus timetur, et providebitur *imprimis,*[23] ut colloquia theologica ab iis tantum instituantur qui, ut iam statuit S. Officium in Instructione « De motione oecumenica » (*anno* [24] 1949), *qui* [25] « scientia theologica et firma sua adhaesione ad principia et normas hac in re ab Ecclesia statutas, ad illa (colloquia) vere idoneos *esse se* [26] probaverint » ...[27], id quod explicitis verbis in *nostro* [28] schemate inculcatur (pag. 17 ...[29]). Qui autem tales *periti* [30] sint, multo melius ab Ordinario loci sciri potest quam ab ullo dicasterio Romano. Quodsi colloquia hac ratione instituuntur, nullum omnino periculum indifferentismi est, cum ob idipsum instituantur, ut clare cognoscatur *quae* sit doctrina admittenda, *et ut illa doctrina clare cognita et volita admittatur. Fratres nostri christiani non catholici, ut ex multiplici experientia notum mihi est,*[31] fratres nostri christiani non catholici nullatenus desiderant, ut ipsis proponatur doctrina *aliqua* [32] catholica in forma attenuata et diluente, sed *potius* [33] ut ipsis clare dicatur quid Ecclesia catholica credat et doceat. Ceterum hoc in *ipso* [34] schemate ...[35] explicite dicitur his verbis: « Nil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur vel eius sensus genuinus obscuratur » ...[36]. In eodem contextu insistitur talia

colloquia « sub praesulum vigilantia » fieri oportere ...[37]. Eorundem autem praesulum est etiam curare, ut *simplices* fideles qui in regionibus mixtae religionis quotidie cum non catholicis conveniunt et colloquuntur, in sua religione plene instructi sint, tam institutione catechetica quam solidis et sobriis sermonibus, *praedicationibus* [38] et conferentiis. Quodsi ita proceditur, motio oecumenica nostris fidelibus adeo non nocet, ut eos potius in cognitione et in amore fidei confirmet et promoveat.

4. Dictum est schema nimis efferre quae apud fratres non catholicos bona et vera inveniantur, sed doctrinam catholicam, *doctrinam catholicam* [39] non satis proponi ...[40] Qua in re *primo* [41] notandum est schema *nostrum* [42] non dirigi ad non catholicos, sed ad *ipsos* [43] Ecclesiae catholicae filios. Supponitur *hos* — utinam semper et ubique — doctrinam catholicam cognoscere, *de natura Ecclesiae, de Primatu, de infallibilitate, de unitate a Christo implorata, et similia; tamen, clarius exponi poterunt aliquae veritates quae in nostra actione magni momenti sunt, sed non opus est repetere in hoc schemate totam theologiam catholicam.*[44] E contra plerumque *catholici nostri in multis regionibus nesciunt omnino* [45] quae bona, *quae pulchra, quae splendida* [46] apud fratres non catholicos inveniantur. Prima autem condicio omnis actionis oecumenicae ea est, ut eos quibuscum agimus, recte cognoscamus, *sincere amemus et* [47] christiana caritate diligamus. Quare Summi Pontifices, inde a Leone XIII, iterum atque iterum ostendunt quaenam, *ut dicitur in schemate,*[48] vestigia Christi et dona Spiritus Sancti apud fratres nostros non catholicos inveniantur, praecise in virtute ipsius baptismi et gratiarum quae *ipsis* [49] ex ipso baptismo fluunt. Quodsi hic modus procedendi schematis vituperatur, eo ipso vituperantur Summi Pontifices inde a Leone XIII usque ad Paulum VI gloriose regnantem.

Tandem 5. Negari videtur opportune fieri posse preces in communi pro unitate Ecclesiae, cum, *ut dicitur,*[50] unusquisque hanc unitatem aliter atque aliter concipiat. Iamvero ipsa supralaudata Instructio S. Officii communem « recitationem Orationis Dominicae vel precationis ab Ecclesia catholica approbatae » minime reprobat ...[51], idque iure. Omnes enim, *tam catholici quam fratres nostri christiani non catholici,*[52] a Deo *imploramus* [53] illam unitatem, quam Christus *Dominus* [54] pro sua Ecclesia voluit, ipsi autem Deo *relinquimus* [55] decidendum, quando et quomodo *haec unitas* [56] perficiatur. Patet *igitur* [57] valde necessarium esse, ut fideles a suis pastoribus *de hac re instruantur et* [58] ad tales precationes *faciendas* [59] prudenter praeparentur.

Concludo. Ex dictis videtur elucere quanti momenti sit, ut omnes catholici recte iudicent de motione oecumenica, quae a Summis Pontifi-

cibus desideratur et in dies magis urgetur, sed etiam quanta prudentia et circumspectione peragenda et ab episcopis curanda, invigilanda, dirigenda et promovenda sit. Id autem non est obliviscendum hanc actionem, dummodo rite perficiatur, efficaciter etiam conferre ad bonum ipsorum *nostrorum*[60] fidelium. Ab eis enim postulat, *ut dicitur in schemate,*[61] vitae religiosae et moralis renovationem, profundiorem doctrinae catholicae cognitionem, caritatis generosae exercitium. Accedit quod Christus Dominus certe eos abundantiore gratia compensabit, qui alacriter collaborant, ut ipsius ardenti desiderio in dies magis satisfiat: « ut omnes unum sint ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] oportet. [4] hoc. [5] deest. [6] vel. [7] deest. [8] notatae. [9] Porro. [10] et sim. [11] deest. [12] possunt. [13] deest. [14] deest. [15] episcopatum. [16] et. [17] ibi. [18] deest. [19] deest. [20] deest. [21] attendit, et invigilat illudque promovet. [22] deest. [23] deest. [24] 20 decembris. [25] deest. [26] sese. [27] (*A.A.S.* 42, 1950, 145). [28] deest. [29] lin. 5. [30] deest. [31] deest. [32] deest. [33] deest. [34] deest. [35] (pag. 17, linn. 5 ss.). [36] (pag. 17, linn. 20 ss.). [37] (pag. 17, lin. 5). [38] deest. [39] deest. [40] (cf. e. g. pag. 9 s.). [41] omnino. [42] deest. [43] deest. [44] dum. [45] nesciant. [46] et pulchra. [47] sincera aestimatione prosequamur. [48] deest. [49] deest. [50] deest. [51] (*l. c.* p. 146 n. V). [52] deest. [53] implorant. [54] deest. [55] relinquunt. [56] deest. [57] utique. [58] deest. [59] deest. [60] deest. [61] deest.

Moderator: Velint Patres audire! Antequam suffragatio fiet de schemate circa instrumenta communicationis socialis, audiamus loquentem em.mum D. card. Eugenium Tisserant, caput consilii praesidentiae.

Praeses P. D. TISSERANT: Venerabiles Fratres, hodie, fere ad aditum huius aulae conciliaris, distributa sunt folia subsignata a quibusdam Patribus Sacri Concilii, quibus invitantur Patres ad suffragia ferenda contra schema decreti *de instrumentis communicationis socialis,* quod iam habuit ab hoc augusto coetu maioritatem longe ampliorem duabus tertiis partibus, quae ab Ordine Sacri Concilii celebrandi requiruntur, et ideo iam quoad singula capita probatum est.

Praeses Sacri Concilii, simul cum moderatoribus, factum distributionis vehementer deplorat, quia perturbat libertatem atque tranquillitatem Sacri Concilii, et propterea ipso Sacro Concilio indignum est.

Moderator: Velit exc.mus D. Renatus Stourm, arch. Senonensis, legere relationem circa expensos modos in schema *de instrumentis communicationis socialis.*

SCHEMA DECRETI DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS

1 – MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI A COMMISSIONE CONCILIARI DE FIDELIUM APOSTOLATU; DE SCRIPTIS PRELO EDENDIS ET DE SPECTACULIS MODERANDIS EXAMINATI

Hic fasciculus Patribus distributus est die 22 novembris 1963, in congregatione generali septuagesima tertia.

Commissio Conciliaris de Fidelium Apostolatu; de Scriptis Prelo edendis et de Spectaculis moderandis, Modis a Patribus propositis circa Decretum « De Instrumentis Communicationis Socialis » singillatim expensis, sequentes Modos introducendos censuit, qui sunt:

1. Pag. 6 Decreti emendati, lineis 10-13

loco	*legatur*
Ceterum *totius Ecclesiae* est huiusmodi instrumenta, *laicorum praesertim opera,* humano christianoque spiritu vivificare, ...	Ceterum *laicorum praesertim* est huiusmodi instrumenta, humano christianoque spiritu vivificare ...

2. Pag. 8, lineis 18-20

loco	*legatur*
Parentes vero *gravissimum* suum esse officium meminerint sedulo invigilandi ne spectacula, folia et alia huiusmodi, quae moribus infensa sint, ...	Parentes vero suum esse officium meminerint sedulo invigilandi ne spectacula, folia et alia huiusmodi, quae *fidei aut* moribus infensa sint, ...

3. Pag. 12, lineis 29-30

loco	*legatur*
... ascitis ex variis nationibus rei peritis, etiam, *si opus fuerit,* laicis.	... ascitis ex variis nationibus rei peritis, etiam laicis.

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione Conciliari de Fidelium Apostolatu; de Scriptis Prelo edendis et de Spectaculis moderandis circa Modos Schema Decreti De Instrumentis Communicationis Socialis *respicientes.*

2 – RELATIO

Exc.mi D.ni Renati Stourm, Archiepiscopi Senonensis, Commissionis Conciliaris de Fidelium Apostolatu; de Scriptis Prelo edendis et de Spectaculis moderandis, Relatoris Generalis, de Modis Schema Decreti « De Instrumentis Communicationis Socialis » respicientibus.

Venerabiles Patres,

Longe maiori parti Vestrum * placuit probare Prooemium et duo Capita schematis De Instrumentis Communicationis Socialis.

Commissio de Fidelium Apostolatu; de Scriptis Prelo edendis et de Spectaculis moderandis gratias sincero animo Vobis refert pro Vestra fiducia.

Nullo dubio, Modi nimis multi prima fronte esse videbantur. Revera autem ad paucos reducuntur, cum multi Patres in eosdem Modos convenerint. Hac de causa, exempli gratia, introducendo verbum « *fidei* » in secundum Modum, qui Vobis proponitur, possibile fuit respondere petitioni a 152 Patribus propositae, dum vero Commissio satisfacere non potuit alii Modo a 125 Patribus proposito, qui speciem severitatis prae se ferre ei visus est, eo quod non congruebat spiritui positivo et constructivo, cui totum nostrum schema se conformare curavit.

---

* Exitus suffragationum quae factae sunt in sexagesima septima congregatione generali, die decima quarta mensis novembris habita:

	Prooemium et Caput I	Caput II (cum Clausulis)
Votantes	2.168	2.126
Maior pars requisita	1.446	1.418
Placet	1.832	1.893
Non placet	92	103
Placet iuxta modum	243	125
Vota nulla	1	5

Rebus sic stantibus, Commissio sine multa difficultate attente examinare potuit, non obstante temporis angustia, omnes Modos. Tunc ipsi Commissioni visum est multos ex eis opportunius insertos fore in « Instructionem » pastoralem post-conciliarem, ad quam praefatos Modos transmittere curabit, enixe rogans ut Ipsa eorum magni faciat.

Ex paucis autem Modis qui extabant, Commissio retineri posse censuit tres, qui textus schematis perficiunt, quin eius substantiam immutent. His Modis enim notam severitatis textui superfluam suppressit atque partem, a schemate laicis late tributam, meliorem in lucem posuit.

Hos ergo tres Modos Commissio Vestrae approbationi submisse proponit, spe suffulta ut Vos, venerabiles Patres, benigne *schema* [1] probetis.

In oratione: [1] hoc schema decreti — non autem constitutionis.

Secretarius generalis: Fient, venerabiles Patres, duae suffragationes: prima respondendo ad quaesitum generale quoad modos; secunda quoad integrum schema propositum.

Nunc fit suffragatio, respondendo ad quaesitum generale, quod sic sonat: « An placeat expensio facta a commissione conciliari de fidelium apostolatu; de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis circa modos schema decreti *de instrumentis communicationis socialis* respicientes ». *Placet* vel *non placet*.

4

Exc.mus P. D. AEMILIUS GUANO
Episcopus Liburnensis

Venerabiles et dilectissimi Fratres,

Quaedam addenda vel specificanda videntur in hoc capite ... [1] de momento huius thematis necnon de principiis actionis oecumenicae. Ad hoc tendunt sequentes propositiones.

Propositio prima. Aliquid praemittatur de conscientia oecumenica, ut ita dicam, excitanda. Maxime cordi esse debet pastoribus, et in genere toti Ecclesiae, ut conscientia excitetur *omnium* fidelium circa gravissimum hoc factum, vehementer dolendum, Corpus scil. Christi vulneratum esse per divisiones quae ipsum lacerant. Haec autem conscientia excitanda est, non solummodo in regionibus in quibus divisio immediate patet, sed etiam in aliis in quibus longe maior numerus est catholicorum. Sentiant fideles factum hoc, et consequens problema, non tangere unam vel alteram regionem vel nationem, sed de hoc totam

Ecclesiam in omnibus suis partibus dolere. Graves autem hae divisiones turbare non debent fidem credentis qui, verbo Christi confisus, pro certo scit Ecclesiam unam et sanctam deficere nunquam posse. Attamen neque negligentes huius condicionis (indifferentes) nec tranquilli manere possunt christiani cuiusvis vel catholicissimae regionis, tanquam de re quae eos non tangat, vel de qua nullam responsabilitatem habeant. Nec putandum est problema oecumenismi, ut aiunt, relinqui vel delegari posse quibusdam tantum peritis et amatoribus. E contrario, totius corporis episcoporum et singulorum episcoporum, una cum omnibus suis fidelibus, est orare et operari ut omnes unum sint.

Propositio secunda. Apertius in evidentiam ponantur *maxima damna,* quae ex divisione christianorum promanant, *maxima bona* quae ex eorum unitate proveniunt, immo *maximum bonum* quod est ipsa unitas in corpore mystico Christi:

a) Ut ab eis, quae non sunt principaliora, incipiamus. Gravia et urgentia problemata temporis nostri postulant, ut christiani omnes una simul suas vires pro posse ad ea solvenda conferant ...[2]. Inter haec gravia et urgentia problemata numeranda sunt: problema panis quotidiani pro omnibus hominibus; problema libertatis, et praesertim libertatis in propria vita spirituali et religiosa explicanda; problema iustitiae et dignitatis humanae; problema pacis ...[3].

b) Homines saepe hodie profundis hiatibus, quibus alius ab alio segregatur, laborant, etiam si non sint invicem aperte inimici, vel etiam si, e contrario, in multis exterius et superficialiter similes sint et uniantur (v. g. in mediis technicis adhibendis, in spectaculis televisificis spectandis, et in aliis huiusmodi). Homines nostri temporis egent profundiore unione in spiritu et veritate et amore. Hoc ...[4] nonnisi per Christum et in Christo attingi potest. Multi forte ad Ecclesiam oculos convertunt, ex ea, plus minusve conscii, exspectantes salutem et veram et profundam unitatem familiae humanae. Tanto magis Ecclesia respondere valebit his hominum exspectationibus, in quibus latet Dei exspectatio, quanto magis eius unitas patebit ...[5].

c) Sed *hoc praecipuum* est: efficacia nuntii evangelici ad homines, et pulchritudo laudis, quae Deo ab Ecclesia danda est, condicionatur et proportionatur unitate christianorum in una Ecclesia. Voluntas enim Christi Domini est, ut omnes in ipso unum sint ...[6], et sic eum manifestent, *eum Christum manifestent,*[7] ad imaginem et ad gloriam Patris et Filii et Spiritus Sancti, qui unum sunt ...[8]. Edoceantur autem christifideles unitatem esse, ex una parte, iam praesentem in Ecclesia Christi et nunquam eam defuisse vel deficere posse; ex alia vero parte, eam esse continuo dynamice augendam, sive per accessionem, in dies plenio-

rem, ad plenitudinem unitatis Ecclesiae eorum qui iam per multa vincula Ecclesiae uniuntur, quamvis non plene, sive per augmentum vinculi caritatis.

Propositio tertia. Tria momenta significentur, quibus progressive unitas inter christianos instaurari potest.

Primum momentum (ab exterioribus incipiendo): *collaboratio in temporalibus.* Multa sunt in quibus catholici cum fratribus separatis collaborare possunt et debent, v. g. ...[9] libenter in unum conveniendo ad solvenda problemata temporis nostri, de quibus supra dictum est.

Secundum momentum: dialogus. Catholici et acatholici sese mutuo cognoscere et agnoscere debent ...[10]. Perutile est ut dialogus, ut aiunt, ...[11] inter se instaurent, in quo haec mutua cognitio et agnitio foveatur, in quo Christus et valores christiani mutuo appareant. Condiciones autem ut dialogus suos fructus afferat sunt: scientia et competentia; mutua fiducia et sinceritas; mutua claritas (italice « franchezza ») et humilitas; mutua caritas et comprehensio; communio in amore veritatis et Christi, et in desiderio plenae fidelitatis erga Dei verbum. Catholici autem, eiusdem fidelitatis et fraternae caritatis causa, obsequentes esse volunt etiam in hoc, ut fratres separati norunt, principiis directivis quae a Matre Ecclesia promanant.

Tertium momentum: intimiorem communionem supponit et excitat. Plures gradus habet:

a) Catholici cum aliis omnibus christifidelibus commune desiderium habent et orant, ut verbum Dei, in Christo praesertim patefactum, omnes homines fide accipiant, simul orant in eadem fide Christi fundati, ut voluntas Patris fiat et uni Deo honor sit et gloria.

b) Eodem modo catholici, una cum plurimis christifidelibus aliarum denominationum, anhelant et orant ad hoc quod omnes credentes in Christum mysterio unitatis, quod est Eucharistia, participent, in qua Christus sumitur et offertur, et quae maximum signum est et alimentum unitatis fratrum inter se, unitatis familiae humanae cum Deo.

c) Catholici denique, peramanter desiderant, et ad hoc orant, ut omnes fratres separati munus episcopatus cum suo capite, successore Petri, et munus peculiare successoris Petri ad significandam, tuendam, augendam unitatem Corporis Christi agnoscant.

Propositio quarta. Clarius agatur, in hoc ipso capite, de radice divisionum, de fonte unitatis. Clare profiteatur radicem primam omnium divisionum inter christianos esse peccatum hominis, peccatum praesertim superbiae, inoboedientiae, incredulitatis, quo homines ad creaturas et ad seipsos tanquam centra mundi convertuntur et a Deo avertuntur. Fons autem et creator unitatis unus est Deus, per Christum qui facit

utraque unum, et a cuius misericordia proinde, potius quam ab hominum conatibus, reditus ad unitatem et ad Deum sperandus est. Tamen, obliviscendum non est Deum relinquere in Ecclesia sua, inter homines peccatores, media et via ad unitatem ...[12]; homini vero operi Dei collaborandum esse per humilem agnitionem sui peccati et Dei gratiae, per oboedientiam, per fidem. *Omnibus* igitur nobis, qui ad creaturas conversi sumus et per hoc plus minusve vincula nostra cum Ecclesia relaxavimus, ad Ecclesiam, ad Christum, ad Patrem per fidem, spem, caritatem redeundum esse ...[13]. Ut autem Ecclesia catholica suam unitatem manifestet, et per hoc Christum manifestet, et ad Christum attrahat, necesse est catholicos inter se vinculo caritatis quam maxime uniri ...[14]; necesse est ut ministerium sacerdotii, in omnibus suis gradibus, semper clarissime appareat, et a fidelibus aestimetur, ut *servitium caritatis et unitatis*. In Ecclesia autem viventes, omnes nos continuo cooperari oportet, ut ipsa magis magisque una sit corpore et spiritu, usque ad diem plenitudinis Christi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] I (vel in praeambulo, si ipsum praemittatur secundum propositionem confratris episcopi Signini). [2] uniti immo, quantum fas est, etiam cum fratribus ad populum hebraicum, qui fuit populus Christi, pertinentibus, necnon cum omnibus hominibus qui Deum sincere venerantur vel quaerunt, vel qui saltem veritatem et honestatem vitae diligunt. [3] ita ut omnes libero et tranquillo animo ad veritatem et ad uberiorem et profundiorem vitam spiritus properare possint. [4] — ita nos omnes christiani credimus —. [5] Tanto minus suam missionem Ecclesia adimplere poterit, quanto magis divisionibus christifidelium laborabit. [6] sicut ipse unus est. [7] deest. [8] Quod si haec unitas vulnerata sit, voluntati Christi non obtemperatur, Christus ipse vulneratur. [9] praesertim. [10] in iis quae communia habent, quae quidem multa sunt, et in iis in quibus, infeliciter, sunt seiuncti. [11] — qui dialogus a discussione aliquantulum distinguendus est —. [12] in annuncio verbi sui, in sacramentis misericordiae suae, in hierarchia quae viam indicat et portam Ecclesiae aperit. [13] cuivis christianae communitati adnumeremur. [14] (oecumenismus inter catholicos).

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH TAWIL

Archiepiscopus tit. Myrensis, vic. patr. Melchitarum in Syria

Venerabiles Patres,

Super cap. I tres notationes proponere vellem.

Prima notatio. In titulo sic enuntiato « de Oecumenismi catholici principiis » videtur haberi quidam error typographicus, dum expecta-

retur « de Oecumenismi catholic*is* principiis » (idem in cap. IV, lin. 1). Si enim oecumenismus motus est omnium christianorum ad pleniorem unitatem, praedicari nequit sensu stricto catholicus nec orthodoxus nec anglicanus, ...[1] dum, e contra, licet loqui de principiis sive catholicis sive orthodoxis sive anglicanis ...[2] eiusdem oecumenismi.

Secunda notatio. Par. 2, de divisionibus tractans, modo mere descriptivo procedit, sed de *theologia divisionis* qua talis omnino silet. De hoc tamen, in Sacra Scriptura, quoddam lumen inveniri posset.

a) Populus Dei unitate gaudet quando, salutem quaerens in fide, Promissionem accipit; e contra, divisione dolet quando, in carne se confidens, Promissionem amittit. Haec est theologia constans Librorum Legis et Prophetarum, quae in Novo Testamento denuo verificatur in divisione maioris partis Israel, quae magis in lege quam in fide se confisa est. Postea, Ecclesia, novus Populus Dei, post tentationem « iudaizandi » cognovit etiam tentationem « hellenizandi » ...[3], aut « latinizandi » ...[4] ac denique « romanizandi » ...[5]: tunc inventa est habens iustitiam suam ex carne, non iam ex fide, *sicut dicit S. Paulus.*[6]

b) Sed « sine paenitentia sunt dona et vocatio Dei »...[7], qui numquam populum suum derelinquit, ita ut, si unitas per gratiam conceditur, divisiones adhuc ad maiorem gratiam ordinantur, ut omnes misericordiam consequamur. Haec sunt mirabilia Dei a Vetere Testamento usque nunc, ut divisiones quae a negatione gratuitatis salutis oriuntur, ad uberiorem tamen gratuitatem ordinantur. Visio biblica de unitate et divisione populi Dei, in historia Ecclesiae, omnia ponit sub luce misericordiae et gratiae. *Sicut dicit S. Paulus*[8]: « Conclusit enim Deus omnia in incredulitate ut omnium misereatur » ...[9].

Tertia notatio. Paragrapho 3. Plene assentio cui dicitur pag. 9, linn. 31 ss. (« in necessariis unitatem... » et reliqua), ac pag. 10, linn. 25 ss. (« Hac de causa Synodus omnes catholicos... » et reliqua). Mihi liceat ista principia breviter illustrare.

Patres Conciliares, quorum maior pars ritus est latini, forte mirati sunt quod in hac aula non omnes orientales inter se idem semper sonant. Talis diversitas, quae quidem, ut patet, plus minusve inter latinos invenitur, ex rationibus tamen propriis provenit, quarum momentum oecumenicum neminem fugiet.

a) *Ex traditione ipsa.* Nos omnes, una cum orthodoxis, heredes sumus traditionibus positivis et distinctis, sive byzantina, sive syriana, sive armena, sive coptica, substantialiter quidem similibus, revera tamen diversis.

b) *Ex pondere psychologico* historiae Ecclesiarum nostrarum. Iam a saec. v consolidatae sunt communitates distinctae, diutissime ante-

quam accesserunt ad fidem gentes Europae septemtrionalis aut orientalis, aut Germaniae aut *etiam* [10] Angliae, ita ut vivamus distincte, alii a mille quingenti annis, alii, ut Maronitae, a mille trecenti annis.

c) *Ex diversis gradibus latinizationis* quibus afflicti fuimus, cum ecclesiastice de facto latinizati sumus, etsi non de iure divino! De hoc, indicium est quod latine loqui vobis debeo. Attamen orientalis talis est non stirpe nec natione, sed traditione quadam apostolica, directa, vivente, latinitate non contradicente sed ab ea distincta. Scimus enim argumenta theologica « ex traditione », tum de Patribus orientalibus tum de Patribus latinis desumi, praecise ut inter se corroborent per originem distinctam.

His dictis, intelligi potest quod communitates orientales magis latinizatae necessitatibus oecumenicis minus *sensibiles* [11] factae sunt. Sic alius vel alius Pater, ista mente imbutus, potuit postulare pro tota Ecclesia catholica Iuris canonici Codicem unificatum aut iurisdictionem unicam pro quocumque territorio orientali... Sed cuicumque parum servavit intuitum positivum traditionis ac sensum profundum sanae orthodoxiae, haec omnia extra sensum evadunt.

Conclusio.

1. *Ad titulum*, proponitur « *De catholicis principiis oecumenismi* ».

2. Proponitur quoddam *prooemium ad cap. I*: « *De unitate et divisione in historia salutis* », cuius textus brevis scripto tradetur commissioni competenti.

3. Omnes Ecclesiae catholicae in oriente vix duo pro centum totius orthodoxiae repraesentant, cuius numerus totalis ducenti milliones superat (Byzantini: centum octoginta milliones; Copti-Ethiopi: quindecim milliones; Armeni: quinque milliones; Syriani: quinque milliones). Illae Ecclesiae catholicae momentum oecumenicum non habent nisi relative ad orthodoxiam, cuius traditionem repraesentare censentur. Unaquaeque enim ex illis exspectat pleroma suum. Communitas clausa considerari nequit sed potius statio in itinere unitatis. Iamvero si postularetur uniformitas, tum in codice tum in iurisdictione, tunc evanesceret unitas, tunc in solitudine mortali se includerent istae Ecclesiae ac in Ecclesia universali impedimentum unionem obstruens fierent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] etc. [2] etc. [3] (saec. V). [4] (saec. XI). [5] (saec. XVI). [6] (*Phil.* 3, 7-9). [7] (*Rom.* 11, 29). [8] deest. [9] (*Rom.* 11, 32). [10] deest. [11] penetrabiles.

Animadversiones additae:

Prooemium (*De unitate et divisione in historia salutis*). Unitas mysterium est « plenitudinis » Dei qui facit populum suum ac omnes « gentes coheredes et

concorporales et comparticipes promissionis eius in Christo Iesu » (*Eph.* 3, 6. 9). Tum in Veteri Testamento tum in Novo Testamento, gratia unitatis in fide radicatur, ita ut populus Dei unitate gaudeat si, salutem in fide quaerens, promissionem accipit, divisione vero doleat si, in lege aut in carne confidens, promissionem amittit. Sed « sine paenitentia sunt dona et vocatio Dei » (*Rom.* 11, 29), qui nunquam populum suum derelinquit, ita ut divisiones ad maiorem gratiam ordinentur et omnes misericordiam consequantur.

Moderator: Velint Patres audire! Hora undecima cum quadrante fiet suffragatio de integro schemate decreti *de mediis communicationis socialis*. Rogantur ergo humanissime Patres ut pro illa hora suis locis stent.

6

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O. P.

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Plurima optima et laudanda continentur in hoc cap. I et in toto schemate, cuius titulus melius diceretur: « *Principia catholica de Oecumenismo* », ut optime dixit exc.mus arch. Caesaraugustanus *et nunc audivimus; vel eligatur titulus nunc indicatus ab em.mo card. Bea.*[1]

1. Quae in *hoc capite* [2] ponuntur aequilibrio *in genere* [3] constant et bona Ecclesiae theologia fulciuntur ...[4].

Inter plurima et optima bona quae omnes de hoc Concilio exspectamus, forsitan bonum principale iam obtentum est: nempe illa maior comprehensio et ...[5] affabilitas inter ...[6] christianos, immo inter omnes homines. Abs dubio Concilium erit initium novae aetatis in qua relationes inter ...[7] christianos et inter omnes homines erunt humaniores, *non obstantibus casibus particularibus ab omnibus iustissime damnatis.*[8] Haec idea, hoc bonum iam divulgatum est per mundum universum. Necessarium non est dicere quod meritum principale adscribendum est Summo Pontifici Ioanni XXIII, cui Ecclesia et tota humanitas servabunt gratitudinem perpetuam. Eumdem spiritum videmus splendescere in Paulo VI. In hac enim linea specialiter invenitur *cap. I et totum* [9] schema nostrum de Oecumenismo ...[10].

Praesens *caput et* [11] schema, insuper, catholicis theologis assentitur qui iam diu quaestionibus istis studuerunt; et illos praeterea ad prosequendum adhortatur.

Quasdam tamen observationes velim humiliter proponere:

I. De opere conversionum (i. e.: de individuis recipiendis in Ec-

clesiam catholicam, seu de reconciliatione individuali) et de ipsius relatione cum oecumenismo catholico.

Nonnulli fortasse sunt qui putent, quamvis immerito, oecumenismum *operi conversionum* et vigori praedicationis evangelicae iniuriam illaturum esse.

Quare *quatuor* [12] quae sequuntur adnotare audeo, quippe quae maxime cordi sint ei qui Praedicatorum Ordini praeest.

1. Toti catholicae Ecclesiae, Petri successori atque apostolorum successoribus, *ministerium Verbi Dei* a Christo commissum est, iuxta verba quae duodecim apostoli coram communitate in Ierusalem proferunt: « Nos vero ministerio verbi instantes erimus » ...[13].

Quod ministerium tam late patet quam ipsum verbum Dei, et *ad omnes creaturas respicit. Cunctis hominibus* enim Evangelium, scil. bonum nuntium, praedicandum est: sive his qui Evangelium nunquam cognoverunt, sive eis qui verbum Dei iam audierunt. Imprimis certo officium nostrum est paroeciarum nostrarum fideles in dies melius evangelizare.

2. Unicum hoc ministerium ...[14] Dei sub diversis speciebus exsistit, dependentibus ab hominibus eorumque casibus. Quae tamen diversae formae unitatem ac complementum sibi comparant, mediante *unico ministerio Verbi Dei.*

Quatuor tamen principales formas hic memorare velim:

Opus conversionum, respiciens illos erudiendos, quos Dei gratia iam nunc ad Ecclesiam catholicam inducit.

Oecumenismus catholicus, cuius varia munera in primo schematis capite recte describuntur.

Opus missionale, scil. prima Evangelii praedicatio in finibus terrarum, quae numquam illud cognoverunt.

Opus demum evangelizationis fidelium, seu catholicorum.

Quae omnia procedunt ab eodem Dominico praecepto: « Praedicate Evangelium omni creaturae » ...[15].

3. Sequitur inde huiusmodi diversas formas *unici ministerii Verbi Dei* nullo modo sibi contradicere posse. E contra sibi mutuo auxiliantur. V. g.: *opus conversionum,* secundum contextum oecumenismi catholici positum, profunditate et obiectivitate valde proficit.

Concludendo ergo. Vota nuncupo ut, in primo schematis capite, aut in alio schematis loco, membrum phrasis inseratur ad ostendendum mutuum complementum diversarum formarum ministerii verbi Dei, in quibus oecumenismus suum locum plane vindicet.

« Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus » ...[16].

4.[17] Aliquid velim addere de valore testimonii in relatione cum praedicatione, eo quod haec *duo* [18] intime connectuntur cum doctrina horum capitum et de illo pluries in aula conciliari loqui audivimus et quandoque dicta praeter intentionem dicentium ansam aequivocationis praebere possunt.

Christus Dominus Ecclesiam suam fundavit prius cum sanctitate suae vitae et postea cum praedicatione sui Evangelii. Ita evidentissime apparet in toto novo Testamento et expresse hoc docet S. Lucas cum volens paucis narrata in suo Evangelio complecti, ait: « Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae Iesus coepit facere et docere usque in diem, qua praecipiens apostolis, per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est » ...[19].

Hanc Ecclesiam a Christo Domino fundatam apostoli per mundum universum eodem modo propagaverunt: nempe, cum sanctitate vitae et praedicatione Evangelii. Unde ad consequendam renovationem vitae inter catholicos et efficaciam oecumenismi cum fratribus seiunctis, alia media efficaciora esse nequeunt quam sanctitas vitae et perfectior cognitio Evangelii eiusdemque praedicatio ardentior.

Utrumque est omnino necessarium, sed nemo est qui momentum et necessitas primordialis sanctitatis vitae seu testimonii, ut hodie dicitur, ad perfectiorem instaurationem Regni Christi in terris, non videat. Iam S. Thomas docebat: « Si enim doctrina est bona, et praedicator malus, tunc ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei » ...[20].

Attamen hodie quandoque tali modo quasi exclusivo in valore testimonii insistitur ac si esset sufficiens, ideoque omittenda vel minus aestimanda praedicatio vel propaganda religionis nostrae, eo quod per eam fieri potest violentia psychologica conscientiae. Hoc iam aperte scriptum fuit.

Ex exemplis Iesu Christi et apostolorum patet clara falsitas talis modi cogitandi et agendi. Unde necessarium non est in eiusdem confutatione immorari.

Oecumenismus sanus non solum non debet zelum apostolicum nec vigorem praedicationis enervare sed potius fovere et stimulare, ut melius fides fidelium instruatur et corroboretur, et ita fideles aptiores reddantur ad oecumenice agendum.

Etiam mihi placet ut aliquid clarius de his duobus, nempe de testimonio vitae et de ministerio verbi Dei in his capitulis dicatur, ita ut momentum et necessitas utriusque clare appareat ...[21]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] eo. [3] deest. [4] Sanum quoque et utile iter pastorale indicant, secundum mentem Ioannis XXIII et Pauli VI.

[5] caritas et. [6] omnes. [7] homines. [8] deest. [9] deest. [10] Unde valde est laudandum. 2. Huiusmodi schema temporum necessitatibus apte obviam fit, quo modo necessitates ipsae in pluribus regionibus pateant. 3. Schema hoc super principiis generalibus sistit, ita ut diversi episcoporum coetus melius statuere possint in casu particulari quae pro diversis regionibus aptiora videantur. 4. [11] deest. [12] tria. [13] (*Act.* 6, 4). [14] verbi. [15] (*Mc.* 16, 15). [16] (*1 Cor.* 12, 4). [17] II. [18] deest. [19] (*Act.* 1, 1-2). [20] (Hom. in Festo Patrocinii). [21] III. *Aliae observationes*:

1. Titulus schematis, ex una parte *latius patet* quam res in schemate contenta; ex alia vero *angustior* est.

a) *Latior est,* quia *oecumenismus* simpliciter dictus et sine addito, nominat motum ecclesiarum omnium quae nomine christiano gloriantur ad unionem earum inter se in Christo Iesu, dum oecumenismus hic propositus est *unice* oecumenismus exhibitus ab Ecclesia catholica.

b) *Angustior* quoque, quia oecumenismus proprie dictus respicit *christianos* tantum, dum in hoc schemate porrigitur ad extraneos etiam, nempe ad iudaeos et gentiles; ac insuper de libertate religiosa pertractat, quae certo non idem ac motio oecumenica.

Ideo ergo deberent ab eo expungi duo ultima capita, solis retentis tribus primis: et quidem tunc titulus proprius et adaequatus schematis quod remaneret, esset huiusmodi: *Principia catholica de oecumenismo,* ut optime dixit in hesterna congregatione generali exc.mus arch. Caesaraugustanus.

2. Desideratur maior claritas magisque completa expositio positionis Ecclesiae catholicae, saltem quantum ad tria haec puncta:

a) Ipsam esse unice veram Ecclesiam Christi.

b) Romanum Pontificem esse B. Petri successorem, primatum habere iurisdictionis ex iure divino super universam Ecclesiam, esseque infallibilem in definiendo ex cathedra res fidei et morum.

c) Fidem divinam *totaliter* amitti, cum quis *voluntarie,* scil. scienter et volenter denegat dogma fidei ab Ecclesia definitum, vel illud in dubium *positivum* vertit.

d) Fidem divinam amitti non posse sine peccato. Unde conscientia nunquam esse potest libera ad licite relinquendam fidem.

3. Desideratur quoque maior distinctio inter ecclesias orientales et ecclesias reformatas ab Ecclesia catholica dissidentes atque seiunctas; quia non est par conditio omnium, sed longe diversa. Et tamen in cap. I, n. 2 (pag. 8, linn. 22-26), indiscriminatim fit sermo de omnibus christianis separatis.

4. Libenter quidem agnoscimus bona omnia quibus Ecclesiae illae seiunctae tam orientis quam occidentis ditantur et gloriantur. Quantum tamen ad bona stricte supernaturalia interiora, ut gratia et virtutes theologales, fides nempe, spes et caritas, quae in schemate admittuntur et ponderantur, accuratius et maiori cum distinctione exponi deberet.

a) Alia enim est quaestio de ecclesiis quae baptismum admittunt valideque administrant, et alia de ecclesiis quae sacramentum illud negligunt vel respuunt.

Qui enim baptismum negant et non recipiunt, non videntur habere fidem veram in Christum, multoque minus gratiam et caritatem, ut videtur concedi cap. III, n. 23 (pag. 25, linn. 6-10), quia neutra sine fide haberi potest. Ac insuper peccato originali consistere non possunt.

b) Inter ipsos etiam qui admittunt sacramentum illud, atque rite ac valide recipiunt, distinctio facienda est adultorum a parvulis.

Equidem res est omnes parvulos ante usum rationis rite baptizatos tam Ecclesiae catholicae quam ecclesiarum ab ea separatarum gratiam et virtutes infusas recipere, fidem nempe, spem et caritatem, quantum ad habitus, licet nondum quantum ad actus, quorum tunc non sunt capaces: easque insuper conservare quamdiu in illo statu manent, eo quod incapaces sunt peccati personalis sicut et actus stricte humani.

At vero de adultis, ac de ipsis parvulis cum iam ad aetatem maturiorem plenumque usum rationis pervenerint, alia res est; quia multipliciter peccare possunt, ac proin amittere gratiam et caritatem, immo et fidem atque spem si contra eas peccent.

Ubi alia quaestio est de illis qui primo induxerunt et consummarunt separationem ab Ecclesia catholica; alia de his qui postea in ecclesiis ab eis inductis nati et educati sunt. Et quidem tunc, alia quaestio est de rudibus et simplicibus, qui bona fide et ignorantia moraliter invincibili veritatis Ecclesiae catholicae laborant; alia de hominibus excultis et specialiter dicatis studio religionis christianae, in quibus ignorantia illa vincibilis.

c) Tandem est magna differentia notanda inter eos qui omnia sacramenta admittunt ac recipiunt, ut orientales, et eos qui baptismum tantum. Nam illi facilius recuperare possunt gratiam per paenitentiae sacramentum, eamque colere et augere per receptionem aliorum sacramentorum.

Alia erunt dicenda cum disceptabilis de singulis capitibus.

7

Exc.mus P. D. IOANNES B. GAHAMANYI

Episcopus Butarensis

Venerabiles Patres,

Quamquam plene adhaeremus spiritui oecumenico in schemate nostro expresso, tamen, nomine conferentiae episcoporum de Rwanda et de Burundi, mentem nostram adaperire volumus de hac quaestione.

Quod dicere intendimus provenit a sensu nostro pastorali et pendet ab adiunctis pastoralibus ut inveniuntur in regionibus nostris Africae et fortasse in aliis regionibus.

Schema nostrum imbutum est spiritu optimismi et verae caritatis erga omnes qui nobis uniuntur in Christo.

Non minus clare exponitur in schemate, in cap. I, par. 1, voluntas qua Christus vult ut omnes homines in unum ovile, quod est Ecclesia catholica, congregentur.

Sed nobis videtur quod non satis explicitantur *consequentiae* huius voluntatis divinae.

Christus enim, a Patre missus est ut omnes homines salvi fiant, et

ad hunc finem condidit Ecclesiam catholicam. Vult ergo ut omnes homines membra fiant Ecclesiae catholicae, et quidem visibili modo, h. e. receptione sacramentorum et submissione hierarchiae Ecclesiae.

Quamquam nemo dubitat quin multis modis aliquis particeps fieri possit salutis a Christo nobis acquisitae, tamen, modo theocentrico progredi debemus, quia finis primarius omnis creaturae est gloria Deo procuranda, et hoc fit adhaesione voluntati eius; quae adhaesio est etiam sanctitas obiectiva. Non tantum dispositiones subiectivas ad gloriam Deo procurandam et ad sese salvandum considerare debemus, sed etiam, et maxime quidem, ordinem obiectivum a Christo constitutum.

Per hanc sanctitatem obiectivam, quae minime est exclusiva sanctitatis subiectivae, etiam plene constituitur populus Dei.

Duae consequentiae pastorales huius conceptionis nobis videntur maximi esse momenti.

Prima est obligatio catholicorum et maxime episcoporum et sacerdotum operandi ut omnes homines in Ecclesiam catholicam introeant. « Vae mihi si non evangelizavero », dixit S. Paulus; et haec verba sunt signum verissimum eius amoris erga Christum et erga proximum. Opus enim evangelizationis in sensu adducendi omnes homines ad Ecclesiam catholicam est fructus actionis Spiritus Sancti in nobis et effectus nostri amoris erga Deum et proximum.

Attamen, saepe obiicitur quod non sit necessarium adducere omnes homines ad Ecclesiam catholicam, quia alio et interdum faciliori modo sese salvari possunt. Ad quod respondemus quod si Deus vult omnes homines in Ecclesiam catholicam introire, et si adhaesio Ecclesiae Christi est vera sanctitas obiective considerata, tunc omnes catholici debent hanc voluntatem divinam ad suum finem et effectum ducere.

In hoc opere tamen oecumenismum maxime observari debet. Ecclesia catholica sese continuo renovare debet, mutua comprehensio inter christianos semper crescere debet, et omnia in caritate et respectu libertatis omnium fieri debent.

Consequentia altera voluntatis divinae quod omnes ad unum ovile pertineant est quasi interna Ecclesiae catholicae, nempe quod Ecclesia membra sua in veritate custodire debet.

Quamquam collaboratio in spiritualibus et socialibus cum fratribus separatis optanda sit, tamen fieri non debet sine debita praeparatione fidelium.

Indifferentismum esset damnum maximum tam catholicis quam fratribus separatis ipsis. Et periculum indifferentismi adest, nam nimis saepe dicere audivimus quod omnia aequalia sunt, et quod multis modis aequalibus homo sese salvari potest. Nec nos catholici, nec fratres sepa-

rati, hoc accipere possumus et volumus. Ideo cavere debemus ne fideles nostri, tam Ecclesiae catholicae quam Ecclesiarum separatarum, in errorem ducantur, creando aliquam confusionem practicam inter Ecclesias.

Optamus ut claro modo exprimatur haec prudentia pastoralis in schemate nostro.

S. Paulus optimum exemplum nobis dedit, nam et ipse omisit quae in se bona vel indifferentia sunt, ne scandalum fiat. Et nos hoc modo procedere debemus.

Omnimodo considerari debet conscientia omnium, ne ea quae ex caritate, fide et veritate orta sunt, in damnum animarum eveniant. Hoc quidem maxime ad episcopos spectat qui sunt custodes fidei et pastores gregis.

Conclusio: Optamus ut clare exprimatur in textu obligatio omnium catholicorum adducendi non catholicos ad Ecclesiam; hoc autem fieri potest diversis modis, secundum vocationem uniuscuiusque, sed semper suaviter et in mutuo respectu.

Simul et in luce ponatur prudentia pastoralis in oecumenismo operando, ne ad indifferentismum et damnum animarum perveniat. Dixi.

8

EXC.MUS P. D. ANDREAS PANGRAZIO
Archiepiscopus Goritiensis et Gradiscanus

Venerabiles Patres,

Ut schema, quod in genere placet, perfici possit, liceat mihi quasdam observationes proponere, quarum prima respicit descriptionem Ecclesiae catholicae, quae in hoc schemate fit, secunda descriptionem communitatum non-catholicarum, tertia comparationem inter Ecclesiam catholicam et alias communitates ecclesiales.

1. Schema mihi in hoc aliquo modo deficere videtur, quod Ecclesiam catholicam modo nimis statico et abstracto describit, ...[1] et non satis refert aspectum dynamicum et historicum-concretum Ecclesiae, qui tamen pro dialogo oecumenico magni momenti esse videtur. *Scil.*[2] non satis apparet ...[3] *mysterium historiae* Ecclesiae ...[4].

In historia populi Dei Antiqui Foederis Ecclesia tamquam in imagine typica mysterium propriae historiae suae contemplari potest et debet, dicente S. Paulo, loquente de populo Israel, ad Ecclesiam Corinthiam: « Haec autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt

autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt » ...[5].

Sicut populum Veteris Testamenti, ita Deus etiam populum in Ecclesia Novi Testamenti adunatum, propter infidelitatem iustitia sua inscrutabili in historia corripit et paenitentem gratiamque divinam implorantem misericordia sua ineffabili sublevat atque omnipotentia sua salvat et extollit ...[6].

In historia Ecclesiae, operante Spiritu Sancto et cooperantibus vel etiam resistentibus hominibus, eventus saepe modo omnino inopinato et inexspectato sibi succedunt, quos nullo systemate theologico praevidere vel comprehendere possumus. Quis, v. g., magnorum theologorum saec. XIII possibile putasset magnum illud schisma occidentale, quo Ecclesia saec. XVI dilacerata est, vel deformationes et abusus, quibus facies Ecclesiae tempore ante Reformationem obnubilata est? Vel, ex altera parte, quisnam tempore Reformationis praedicere potuisset corroborationem illam mirabilem Ecclesiae, quam Deus, gratia sua, post Concilium Tridentinum operatus est?

Haec consideratio indolis arcanae historiae Ecclesiae pro oecumenismo catholico summi momenti mihi esse videtur. Nam, sicut populus Dei in Antiquo Foedere, revelatione cognoscens intentionem misericordem Dei, semper sperare potuit et debuit Deum etiam inopinatis actibus historiam populi calamitate oppressi conversurum in bonum; similiter populus Novi Testamenti spem fovere potest et debet fore, ut Deus gratia misericordiae suae modo nobis adhuc ignoto Ecclesiam suam per vias ducat, quas nemo ex nobis praevidere et praedicere potest.

In schemate ergo, secundum humilem opinionem meam, hic aspectus dynamismi divini in historia Ecclesiae vigentis clarius efferri deberet, quo Deus non tantum in communitatibus seiunctis, sed etiam in Ecclesia catholica eventus, evolutiones et mutationes operari potest ab hodierna generatione et a nostro quoque Concilio nullatenus praevidendas.

Quibus factis Deus unionem desideratam christianitatis separatae, quae hodie adhuc impossibilis videtur, possibilem reddere potest, dummodo omnes christiani impulsus gratiae divinae obsequantur.

2. Secunda observatio mea descriptionem communitatum christianarum non-catholicarum respicit, quae in schemate praesenti praebetur. Optime quidem multa illa elementa ecclesiastica, quae in illis communitatibus gratia Dei conservata sunt et effectus salutares sortiuntur, in schemate enumerantur. Ut autem sincere fateor: mihi tota haec enumeratio, optima intentione facta, nimis « quantitativa », ut ita dicam, et tamquam mera iuxtapositio apparet. Deest, ut videtur, *vinculum* uniens illa singula elementa.

Indicare deberet *Centrum,* ad quod omnia illa elementa referenda sunt et sine quibus ea explicari nequeunt. Hoc *vinculum* et centrum uniens est ipse *Christus,* quem omnes christiani ut Dominum Ecclesiae profitentur, cui sine dubio christiani omnium communitatum fideliter servire cupiunt et qui etiam in communitatibus seiunctis praesentia sua activa per Spiritum Sanctum mirabilia sua operari dignatur, non quidem meritis hominum, sed sola gratia misericordiae suae.

Puto schema nostrum dialogo oecumenico instituendo melius inservire posse, si modo dicta clare in textu enuntiantur.

3. Ut unitas inter christianos iam exsistens et simul diversitas adhuc permanens iuste diiudicetur, magni momenti mihi videtur, ut bene observetur ordo, *ut ita dicam,*[7] *hierarchicus* veritatum revelatarum, quibus mysterium Christi exprimitur, et elementorum ecclesiasticorum, quibus Ecclesia constituitur.

Etiamsi omnes veritates revelatae eadem fide divina credendae et omnia elementa constitutiva Ecclesiae eadem fidelitate retinenda sint, tamen non omnia eundem locum obtinent et occupant.

Sunt quaedam veritates, quae pertinent ad ordinem *finis,* v. g. mysterium Ss.mae Trinitatis, Incarnationis Verbi et Redemptionis, caritatis et gratiae divinae erga humanitatem peccatricem, vitae aeternae, *etc.*[8]

Aliae autem veritates sunt, quae pertinent ad ordinem *mediorum* salutis, ut v. g. veritates de numero septenario sacramentorum, de ipsa structura hierarchica Ecclesiae, de successione apostolica, *etc.*[9] Hae veritates media respiciunt, quae Ecclesiae a Christo collatae sunt pro via terrestri peregrinationis suae; post hanc autem cessant.

Iamvero *diversitates* doctrinales inter christianos minus respiciunt veritates illas primarias pertinentes ad ordinem finis, sed potius illas, quae pertinent ad ordinem *mediorum* et primariis sine dubio subordinatae sunt ...[10].

Si in schemate haec distinctio, secundum hierarchiam veritatum et elementorum, explicite adhiberetur, melius, ut puto, appareret unitas *iam exsistens inter christianos,*[11] et christiani omnes ut familia *saltem* [12] veritatibus primariis christianae religionis iam unita. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] tanquam constantem semper iisdem elementis et eodem fere modo semper utentem iisdem mediis salutis ad functionem suam explentem. [2] deest. [3] secundum meam opinionem. [4] Nam non tantum Ecclesia ipsa in sua essentia mysterium est, sed etiam historia eius, in qua realitas Ecclesiae per saecula explicatur et evolvitur. [5] (*1 Cor.* 10, 11). [6] Historia Ecclesiae quoque mysterium iudiciorum Dei iustorum et simul misericordiarum, omnipotentiae et mirabilium Dei erga populum suum est. [7] deest. [8] in regno Dei perfectae et aliae. [9] de primatu Romani Pontificis et aliae.

[10] Unitas vero christianorum praecise consistit in communi fide et professione veritatum pertinentium ad ordinem finis. [11] inter omnes christianos iam existens. [12] deest.

Secretarius generalis: Cum proxima sit suffragatio super integrum schema *de instrumentis communicationis socialis,* velint omnes Patres ad sua loca redire.

9

EXC.MUS P. D. IOANNES CANESTRI

Episcopus tit. Tenediensis, aux. em.mi card. Vicarii in Urbe

Venerabiles Patres,

Liceat et mihi qui, ut quisque vestrum, maximo gaudio afficior quoties agitur de unitate fovenda inter christianos, quaedam humillime suggerere diligentiae vestrae circa cap. I schematis decreti *de Oecumenismo.*

1. In nostro schemate, pag. 8, lin. 20, edicitur: « Baptizati enim in Christo Iesu, christiano nomine decorantur eosque Ecclesia ut filios agnoscit ». Nonne ad maiorem perspicuitatem habendam melius diceretur: « Eosque Ecclesia ut filios — proh dolor! — separatos agnoscit »?

2. Pag. 8, lin. 27, legitur: « Nonnullae etiam christianae religionis actiones sacrae apud fratres separatos peraguntur ». Locutio « actiones sacrae » mihi videtur nimis incerta et parum clara, eo vel magis si comparetur cum contextu qui sequitur. Dicitur enim quod hae « actiones sacrae » (lin. 30) « procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt ». Non quaevis actio sacra — ut puto — vitam gratiae reapse generat.

3. Pag. 8, lin. 33, invenitur: « Ipsae Ecclesiae et communitates separatae nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt... ». I. e.: ecclesiae et communitates separatae dicuntur habere significationem in mysterio salutis. Forsitan in ipso textu, quaedam brevissima explicatio desideratur. Nam « ecclesiae et communitates separatae » sane non salvant ut separatae, sed quamquam sunt separatae quaedam media salutis (quae ad catholicam pertinent) servaverunt.

Sed *hae ecclesiae et communitates separatae* [1] non specificantur per ista media seu vestigia Ecclesiae, specificantur e contra — proh dolor! — per suos errores et proinde, ut sic specificatae, non salvant.

Per transennam, submisse notare et mihi liceat quod quae in nota 15, pag. 12, citantur ex Leone XIII et ex Pio XI non referuntur ad ecclesias seu communitates sed ad personas individuas.

4. Pag. 10, lin. 1, habetur: « Deus enim semper mirabilis et mirandus est in operibus suis ». Utique; et in casu nostro mirabilis et miran-

dus in omni baptismate v. g. etiam in haeresi collato. Sed clara distinctione hic opus est, ut mihi videtur: efficax baptismus asseritur, etiam in haeresi collatus, sed non ut in haeresi collatus.

5. Pag. 10, lin. 10, dicitur: « Divisionibus christianorum splendor vultus Christi in Ecclesia aliquantulum obscuratur ». Proponerem ut verbum « aliquantulum » supprimeretur. Nam iam nimis debile est quod hic dicitur de inconvenientibus separationis.

6. Pag. 10, lin. 32. Definitio oecumenismi satis obscura videtur, fortasse quia parum clara fuit in prima paragrapho huius schematis definitio Ecclesiae unitatis.

Inest fratribus separatis ius — quod etiam in genere omnibus hominibus recognoscitur a Concilio nostro in schemate decreti cui titulus *de instrumentis communicationis socialis* —, inest fratribus separatis ius ad cognoscendum ...[2] quae sit ista unitas ad quam nos eos peramanter vocamus. Et hoc ipso mane dixit nobis optime em.mus card. Bea.

At, ni fallor, si fratribus separatis agnoscitur ius, nobis, venerabiles Patres, extat officium.

Dicatur ergo oportet — servatis certissime iustitia et caritate necnon veritate et sinceritate —, dicatur quae sit ista una ac unica Ecclesia, unum Christi ovile, sub uno Pastore Petro. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (a nobis).

Secretarius generalis: *Audiant Patres*. Hoc vespere, hora quinta, in Patriarchali Archibasilica Lateranensi, celebrabuntur solemnes exsequiae in suffragium honorati viri Ioannis Gerardi Kennedy, Praesidis Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, occisi recenter. Omnes Patres humanissime invitantur. Em.mi ac rev.mi DD. cardd. induent mantelletam et rochetum violaceum; ceteri Patres tantummodo mantelletam. Hora quinta, igitur, hoc vespere, in Patriarchali Archibasilica Lateranensi.

Antequam communicem exitus suffragationis factae, haec pariter communico Patribus. Unus ex Patribus qui apparebat subsignatus in folio quod deploravit em.mus praeses, conquestus est cum em.mo praeside quod ipse nunquam subsignaverit.

En igitur exitus quoad quaesitum generale:

Praesentes votantes	2.132
Dixerunt *placet*	1.788
non placet	331
placet iuxta modum (nullum)	1
Suffragia nulla	12

Et nunc proceditur ad ultimam suffragationem: *An placeat Patribus integrum schema de instrumentis communicationis socialis.* Responsio erit: *placet,* vel *non placet.*

10

Exc.mus P. D. ANASTASIUS GRANADOS GARCIA

Episcopus tit. Cidramenus, aux. Toletanus

Venerabiles Patres,

Loquar de cap. I, et quidem de n. 1, cui titulus *de Ecclesiae unitate et unicitate.*

Imprimis reverenter adhaereo animadversioni factae a S. B. Ignatio Petro Batanian circa ambiguitatem in describenda Ecclesiae unitate, praesertim in pag. 8, lin. 6; et propono ut adhibeantur praeclara verba Sanctissimi Domini Nostri Pauli VI in Allocutione diei 29 septembris aientis: « Ecclesiam unam esse et unam esse debere; et arcanam hanc et aspectabilem unitatem in rem deduci non posse nisi una fide, nisi participatione eorumdem sacramentorum, nisi apta cohaerentia unici ecclesiastici regiminis ».

Quo autem explicatio theologica de unitate Ecclesiae dilectis fratribus seiunctis « facilius iter demonstret ad consensionum unitatem efficiendam » ...[1], sequentia principia circa unitatem statuenda videntur:

1. Sedula distinctio fiat inter unitatem et unicitatem. *Unicitas* enim est effectus et unitatis et catholicitatis simul. Ideo Ecclesia est *unica* quia, una cum sit, ad omnes gentes extendi debet. Quod ita exprimit Leo XIII in Encyclica *Satis cognitum*: « Partam per Iesum Christum salutem, simulque beneficia omnia quae inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare aetates debet Ecclesia. Quocirca *unicam* in omnibus terris, in perpetuitate temporum, esse necesse est ».

2. De *unitate* autem loquentes, unitas Ecclesiae obtinetur per incorporationem Christo: « Omnes vos — aiebat apostolus — unum estis (vel graece *unus* estis) in Christo Iesu » ...[2]. Per hanc enim incorporationem homo adipiscitur solidaritatem cum Christo et cum eius membris: « Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » ...[3].

3. Haec vero unitas, « quam Christus sanxit, propinqua iam morte, augusteque consecravit » ...[4], est simul sanctificans. Nihil enim est aliud quam adhaesio vitalis Capiti nostro, Christo, omnium gratiarum fonti;

quae adhaesio necessario secum fert unionem omnium inter se tamquam membra eiusdem Corporis.

4. Principium unitatis in Ecclesia est Spiritus Sanctus, cui « attribuendum est, ut omnes Corporis partes tam inter sese quam cum excelso Capite suo coniungantur » (ita Encyclica *Mystici Corporis* ...[5]). Hoc vero principium « talis est excellentiae, ut ratione sui omnia unitatis vincula, quibus vel physicum vel morale corpus copuletur, in immensum prorsus evincat » ...[6].

Est ergo Spiritus Sanctus in Ecclesia simul uniens et vivificans; immo *uniendo vivificat.*

5. Ecclesia autem ex voluntate Christi est simul visibilis scil. societas perfecta, et ideo vera unitate sociali praedita. Quam unitatem socialem, *modo sibi proprio spectata Ecclesiae indole hierarchica,* ex ipsa hierarchia mutuatur.

Etenim auctoritas hierarchica fundatur in missione Christi: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » ...[7]; missione quidem a Spiritu Sancto vivificata.

Haec missio triplex munus messianicum Christi perenne reddit in terris. Exercitium huius triplicis muneris — docendi nempe, regendi et sanctificandi — statim ac in hominibus effectum sortitur, producit unitatem fidei, unitatem regiminis, quae et ipsa, ut verbis utamur Leonis XIII, « unitatem communionis efficit et complectitur » ...[8], et unitatem in participatione eorumdem sacramentorum.

En triplex vinculum sic dictum symbolicum, hierarchicum et liturgicum, in quo unitas socialis Ecclesiae consistit.

Est proinde sacra hierarchia « principium inchoandae et praesidium custodiendae unitatis » ...[9]

Nihil mirum, si traditio ecclesiastica supremam auctoritatem Petri sub luce unitatis saepe saepius extollat. Sit exemplo S. Pacianus: « Ad Petrum locutus est Dominus: ad unum ideo ut unitatem fundaret ex uno » ...[10].

6. Animadvertere liceat unitatem visibilem in Ecclesia numquam propter seipsam esse quaerendam, sed ut vehiculum unitatis intimae, arcanae, vitalis, communionis in caritate, vitae Christi in homine, pro qua Ipse Christus Patrem instanter rogavit: « Ut omnes unum sint ».

Ita fit, ut hierarchica potestas sit causa unitatis visibilis et socialis, haec vero sit *signum* et *causa* unitatis invisibilis et vitalis ...[11].

Hac ratione hierarchia et ipsa, nomine Christi et ut instrumentum Spiritus Sancti, *uniendo vivificat* ...[12].

His innixus principiis, proponere audeo: Ut in n. 1 huius capitis unitas Ecclesiae ita describatur ut eluceat: eius necessitas ut proprietas

Ecclesiae indita a Iesu Christo; eius vis sanctificans ex actione Spiritus Sancti homines Christo incorporantis; eius causa iuridica, scil. sacra hierarchia; eius finis, recapitulatio omnium in Christo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Paulus VI, ib.). [2] (*Gal.* 3, 28). [3] (*Rom.* 12, 5). [4] (*Satis cognitum*). [5] n. 55. [6] (ib., n. 60). [7] (*Io.* 20, 21). [8] (*Satis cognitum*). [9] (*Satis cognitum*). [10] (Ad Sempronium, ep. 3, n. 11). [11] « In ea disposita est communicatio Christi » (S. Irenaeus, *Haer.* 3, 24). [12] Nunc vero: sacra hierarchia, quae ut finem habet, vi suae missionis, salutem animarum unitate ecclesiali cohaerentium, tanquam dispensatrix mysteriorum Dei, prae oculis semper habere debet monitum apostoli: « inter dispensatores quaeritur ut fidelis quis inveniatur ». Fidelis ergo sit oportet missioni suae, quae vere est missio *unitatis et vitae.* Ita certe ministrando serviet populo Dei.

Moderator: Velint Patres audire! Instante iam proxima conclusione huius periodi conciliaris, moderatores, iuxta *Ordinem Concilii Oecumenici Vaticani II*, art. 57, par. 6, Patribus proponunt hoc quaesitum: An placeat Patribus iam concludi disceptationem circa cap. I schematis *de Oecumenismo,* ita ut transitus fieri possit ad disceptandum de cap. II eiusdem schematis?

Patres quibus concludi *placet* velint surgere. Assignatores faveant videre!

[*Intervallum*].

Patres quibus iuxta articulum et paragraphum praedicta ius manet loquendi, hodie nomina sua secretariatui velint tradere.

Secretarius generalis: Moderabitur disceptationem circa cap. II *de Oecumenismo* em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Loqui postulaverunt: em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph M. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis in Hispania; exc.mi DD. Michaël Darmancier, vic. ap. Insularum Wallis et Futuna in Polynesia, Nicolaus Margiotta, arch. Brundusinus in Italia, Stephanus Desmazières, ep. aux. Burdigalensis in Gallia, Petrus Martin, vic. apost. Novae Caledoniae in Oceania, Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia, Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia, Antonius Cardoso, ep. aux. Bejensis in Lusitania, Ioannes Gay, ep. Imae Telluris in America Centrali, Augustinus Farah, ep. Tripolitanus pro Melchitis in Libano, Alfonsus Sanchez, ep. Papantlensis in Mexico, Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania, Carolus Himmer, ep. Tornacensis in Belgio, Ioannes Nuer, ep. coad. Thebanus in Aegypto, Vincentius Enrique, ep. Celsonensis in Hispania, Franciscus Tomašek, ep. tit. Butiensis in Cecoslovachia, Con-

radus Mingo, arch. Montis Regalis in Italia, Eduardus Necsey, ep. adm. ap. Nitriensis in Cecoslovachia, Paulus Schmitt, ep. Metensis in Gallia, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia, Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

11

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

Venerabiles Patres,

Cap. II « de Oecumenismi exercitio » practicam methodum dialogum oecumenicum ducendi completam et bene ordinatam offert, iuxta tria elementa: purificationem, orationem et operationem, quae proficua nos auspicari licet bona in via ad sinceram inter christianos unionem devinciendam, donec ad optatam unitatem, faxit Deus, deveniamus.

Nonnulla tamen addere velim.

1. Initium et primus gressus, fons omnium bonorum qui ex oecumenismo exspectantur, abs dubio in *oratione unanimi* reponendum est, de qua in n. 7. Optarem ut in eo specialis mentio fieret de Sanctissima Eucharistia, quae est signum efficax unitatis; et de Beatissima Virgine Maria, Matre Ecclesiae omniumque qui in sanguine Christi unam redemptionem invenerunt.

Minus placet verbulum « officiali », in lin. 27 pag. 16; forse melius « cultu publico » diceretur.

2. Distinguenda quidem *Renovatio Ecclesiae,* de qua in n. 4, et *conversio cordis,* de qua in n. 5. Sed in textu videntur quodammodo permixta elementa quae ad aliud et ad aliud obiectum spectant.

Renovatio Ecclesiae potius referenda videretur ad actionem vere ecclesialem, ut est motus biblicus, liturgicus, praedicatio verbi Dei, catechesis, apostolatus laicorum, vitae religiosae novae formae, spiritualitas matrimonii, doctrina et activitas Ecclesiae in re sociali, etc. Quae omnia valde quidem conferunt sive ad vultum Ecclesiae demonstrandum, sive ad internam renovationem et conversionem cordis, qua christiani, adaucta fidelitate erga suam ipsorum vocationem, versus unitatem properabunt.

Ea quae in linn. 10 et 11 pag. 15 ad dialogum cum fratribus separatis referuntur, transferendae potius essent ad n. 8.

3. N. 8 mutuam fratrum cognitionem attendit. Ast non sufficit ut mutuo se cognoscant; opus est adhuc ut commune patrimonium spiri-

tuale, quod etiam fratres separati haereditate a Christo acceperunt, exaltemus et perficiamus. Necesse etiam est ut, mediante dialogo illo oecumenico, sincera caritate ducto, communi studio verum fundamentum et naturam unitatis qua Christus voluit Ecclesiam suam praeditam, melius in dies et profundius cognoscatur; sensus sacramenti baptismatis, valor liturgiae, cultus eucharisticus communitarius, germanae Patrum traditiones, etc., magis ac magis ad conscientiam vivam efferantur. Hac via certe unitas inter christianos primo magis optanda apparebit super fundamentum illius spiritualis patrimonii, et futuram perfectam in unitate Ecclesiae Christi exspectare licebit, Dei adiuvante gratia.

4. Maximi momenti sunt ea quae in n. 11 referuntur de cooperatione cum fratribus separatis erga communia incoepta ad perfectiorem reddendam humanam conviventiam, si fructus sint caritatis oecumenicae. Oporteret tamen expressam facere mentionem de communi opera ad fovendam conscientiam dignitatis humanae, libertatis et respectus iurium humanorum ubique terrarum, atque de pace inter nationes promovenda et apparatu bellico, maxime catastrophico, deprimendo.

Sed urgenter in schemate desideratur alia cooperationis ratio, sine qua oecumenismus evanescit, nempe: de ordinanda cooperatione in propagatione evangelii; et hoc, sive inter non christianos, sive inter christianos diversarum confessionum.

Schema memorat « admirationem eorum qui divisionum inter christianos testes sunt ». Non solum, sed et scandalum et causa sterilitatis nuntii salutis ponitur, si praecones Christi diversa evangelia praedicant iis qui evangelium nondum receperunt. Hinc et confusio et despectus evangelii oritur inter ipsos.

Si vero id occurrat inter christianos, nemo non videt quam gravissima dissensionum causa est proselytismus, ex una aut ex altera parte, si nomine unius Christi Domini diversa evangelia praedicantur, nec forse semper pacato animo aut mediis honestis, ad christianorum conversionem. Licet evangelium a saeculis alicubi iam praedicatum fuerit et firmiter in corde fidelium radicatum, si aliud dein diversum evangelium ab aliis iisdem praedicatur, sub specie quidem amoris et fiduciae in Christum, quis vitare poterit quod non pauci, praesertim iuvenes et rudi, gravissima confusione et diffidentia capiantur et in indifferentismum tandem misere ruant? Quod si praeterea, sensus qui maxime cordi fidelium sunt, ut amor erga Sanctissimam Eucharistiam, devotio erga B. Virginem Mariam, fidelitas erga Romanum Pontificem, offendantur, nihil mirum si dissidia et iurgia oriantur et separatio fratrum in abyssum mutetur.

Equidem dialogus oecumenicus, ex definitione, proselytismum exclu-

dit seu animum convertendi colloquentes; sed etiam dicendum est quod nihil magis contrarium paci oecumenicae quam actio proselytistica inter ipsos christianos. Nulla exstaret difficultas ad religiosam libertatem inter christianos (loquor non de principiis, sed de applicationibus) si ii radicitus abstinerent ab hac ratione agendi, praedicandi nempe evangelium ubi evangelium iam viget, fortasse a saeculis, et adhibendi calliditates aut media quibus christiani simplices errore circumveniuntur. Non timerem libertatem religiosam religionum non christianarum, iudaeorum, musulmanorum, etc.; timeo vero, proh dolor, libertatem praedicandi nostris fidelibus aliud evangelium, praeterquam illud quod nobis a saeculis praedicatum fuit.

Vellem igitur ut in schemate vehemens votum exprimeretur: Ut Oecumenismus vigeat, optandum valde est ut in praedicatione evangelii omnes christiani fratres modum servent in caritate et pace, et aliqua coordinationis ratio sincero animo inter ipsos statuatur ad perniciem animarum vitandam. « Nolumus enim — sunt verba dilecti Pontificis — fidem nostram esse causam ob quam cum illis concertemus ». Dixi.

12

Exc.mus P. D. MICHAËL DARMANCIER

Episcopus tit. Auguritensis, vic. ap. Insularum Vallis et Futuna

Venerabiles Patres, carissimi Observatores,

Brevissime loquar de par. 7, cui titulus « De oratione unanimi ».

Huius paragrayphi laudo duo praecipua argumenta, scil.:

a) Commendationem ut catholici frequenter ad precationem conveniant pro Ecclesiae unitate, libenterque ad publicas oecumenismi spiritualis significationes occurrant, qui tamquam anima totius motus oecumenismi revera existimandus est.

b) Commendationem ut, in quibusdam adiunctis, catholici cum fratribus separatis in oratione consocientur, remota quavis communicatione in cultu officiali.

In praedictis tamen non indicantur spiritus et obiectum huius orationis, quibus quidem differentibus, oratio *unanimis* esset prorsus impossibilis.

Quidquid est de controversiis ad ultimam determinationem huius obiecti pertinentibus, mihi videntur tria de huius orationis radice breviter dicenda, in eo evangelico modo quo fratres separati nobiscum convenire possint:

1. Oratio sacerdotalis Christi (prout in cap. 17 S. Ioannis legitur) ea perfecte exposcit quae ad visibilis unitatis mysterium pertinent. Quae quidem unitas vere est mysterium cum in ea appareat Corpus Christi mysticum: soli Deo perspectum est solaque Christi oratio *huic mysterio*[1] adaequatur.

2. Christi pro unitate oratio post Coenam prolata non est solummodo historicus eventus: Dominus enim in gloria Patris redux continuo pro Ecclesia sua intercedit, et hanc intercessionem in membris Corporis mystici exprimit; a. v.: inter fructus quos Mystica Vinea, *i. e. Christus,*[2] per ramos suos profert, hanc orationem pro unitate licet annumerare, cum in ea eminenter Christi caritas a nobis exprimatur. Attamen, ut scribit S. Paulus ad Romanos: « Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus ». Proinde, sicut semper aiebat Pater Paul Couturier, *et in hac ipsa congregatione generali dixit em.mus card. Bea,*[3] nihil melius postulare possemus nisi ipsam unitatem quam Christus vult, et quibus mediis ipse vult efficiendam.

3. Haec humilis et docilis deprecatio, quae mysterii limen non calcat, est orationis *unanimis* conditio sine qua non. Sic in Christo deprecantes, mentem Evangelii nostram facimus, cum omnibus Christi discipulis concordes sumus. Nunquam autem fratres separati pro reditu ipsorum ad nos nobiscum orarent.

Proinde humiliter propono ut addantur par. 7, post citationem Ioannis Evangelii « ut omnes unum sint », sequentia verba:

« Pro unitate orantes, nec alia ac ipse Christus rogare debemus, cum sola Christi oratio ea perfecte postulat quae ad unitatis mysterium pertinent. A. v., illi consentiendum est ut orationem suam, quae nunquam deficit, ipse in corde nostro indesinenter suscitet ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] illi. [2] deest. [3] deest.

13

EXC.MUS P. D. NICOLAUS MARGIOTTA
Archiepiscopus Brundusinus

Venerabiles Patres,

Loquor « de Oecumenismi exercitio », in cap. II, pag. 16, art. 8 « De fraterna mutua cognitione ».

Quoniam « Fratrum separatorum animum cognoscere oportet » et

« ad haec necessario requiritur studium, quod secundum veritatem et animo benevolo peragatur », quoniam etiam « catholici acquirant oportet omnino meliorem fratrum separatorum doctrinae et historiae, vitae cultualis et asceticae cognitionem, psychologiae religiosae nec non culturae, quae fratrum separatorum propria est », atque ad eis fidem nostram aptius exponendam, humiliter propono ut, subsistente indice librorum heterodoxorum, sicut utili et opportuna indicatione (hac de re verbum « prohibitum » altero verbo reponere oportebit), *excommunicationis poena tollatur* legentibus et retinentibus libros qui et ad illarum doctrinarum scientiam pertineant et bona vere christiana, quae apud fratres separatos inveniuntur, contineant, etiam ad mutuam aestimationem et comprehensionem in caritate magis magisque fovendam.

Hoc modo fratrum separatorum doctrinae et historiae, vitae cultualis et asceticae cognitio definite *expediri potest.* Eo accedit ut poenae efficientia, nostra praesertim aetate, nullius immo quidem minimi momenti sit, cum, necessariis neglectis cautelis, plerique christifideles omne legendi studium explere cupiant. Quorum nonnulli sincera fide, alii extra Ecclesiam viventes, libros qui vocantur prohibiti legunt, alii denique, boni christifideles, digni sunt qui libris improbatae lectionis utantur, quibus autem fides nostra habeatur. Dixi.

14

Exc.mus P. D. STEPHANUS DESMAZIÈRES

Episcopus tit. Bybliensis, aux. Burdigalensis

Loquar de finalitate oecumenica omnis pastoralis actionis. Liceat mihi sermonem incipere, citando Observatorem, mihi bene notum ac carum, qui in hoc momento sane me audit: ipsum enim audivi dicentem: « In aula S. Petri, praesentia Observatorum testis est maximae et dolorossissimae absentiae ». Venerabiles Patres, quis ex nobis possit se dicere amantem discipulum Christi, si maneat insensibilis huic absentiae, quae Cor Divinum laedit, et illius Cordis consiliis obstat?

Unitatem enim christianorum, Christus Patrem rogavit; pro hac unitate mortuus est, et hac unitate fidem mundi provocare voluit.

Tum cum Concilium oecumenicum ad spem aperit omnium mentes, nonne esset culpa — gravis culpa — contra Spiritum Sanctum, manere insensibilem, immo forsan obstantem motui oecumenico: consequentiae essent infaustissimae pro Regno Dei, per longissima tempora!

Atqui, hoc schema, in cap. II, cum describit Oecumenismum in exer-

citio, *gravem et certam responsabilitatem in hac materia omnium Pastorum cuiuscumque regionis insinuat. Nam*:

1. *Hoc caput II est omnino pastorale et* [1] exacte correspondet menti Ioannis Papae XXIII, tam carissimae memoriae. Mentem enim suam saepe aperuit Ioannes Papa, in illis sermonibus quos in memoria ferventer omnes tenemus, scil.: ostendere mundo Ecclesiam purificatam, ac quasi iuvenilem iterum factam — sine macula, sine ruga — et hoc spectaculum futurum esse pro fratribus separatis quasi invitationem ad unitatem quaerendam, et inveniendam.

Idem sonat hoc schema, nos omnes invitans ad renovationem vitae et conversionem cordis. Ex utraque parte, idem finis proximus: renovatio Ecclesiae; idem finis ulterior: unitas *christianorum.*[2]

Sane debet Ecclesia depositum fidei fideliter custodire, debet etiam secundum hanc fidem vivere.

...[3] Evangelium praedicare, bonum est! Addere testimonium, melius! Et cum testimonium nostrum semper est imperfectum, oportet ut semper humiles maneamus, ut veritati conformes fiamus.

Quis vestrum, venerabiles Fratres, non vehementer commotus est, cum, prima die Concilii, in hac aula, Paulus Papa VI, in admirabili sermone suo, ad fratres separatos sese convertens ex toto corde, culparum veniam humiliter rogavit et donavit? Quam evangelicus sonus! Quam christiana vox!

Placet ergo quam maxime hoc caput, *tam evangelicum, tam pastorale, tam conforme menti Ioannis Papae.*[4]

2. Immo mihi videtur par. 9 maximi momenti, et deberet esse, meo sensu, paulo amplior et magis instans.

Etenim oecumenismus non est specialistis reservatus, sed iam spectat ad omnes pastores, et totam eorum actionem pastoralem, omnes nos, dicam, episcopos, etiam si in nostris dioecesibus non inveniuntur fratres separati: universa Ecclesia, *omnes* [5] presbyteri, *omnes* [6] fideles, — velint, nolint —, in hunc dialogum cum fratribus separatis in solidum inducuntur.

Iam non solum Observatores, sed etiam *omnes* [7] quotcumque illi repraesentant, nos observant. Declarationes nostras legent forsan, certe quomodo vivamus aspicient.

Quapropter urgens mihi apparet hoc munus pastorale, scil., erga presbyteros et laicos, invigilare ut inter se vere collaborent: ut Sacras Scripturas melius cognoscant, et in lectione divina Deum dociles auscultent; ut Liturgiae Eucharisticae conscie et actuose participent; ut sacramenta minus mechanice recipiant, et magis « in Spiritu et veritate ».

De his omnibus, fateri debemus, venerabiles Fratres, quod exempla

nobis praebent aliquando fratres separati, exempla quae sincere admirari possimus (caritas non est « sensu unico »!), admirari et etiam — cur non? — in spiritu aemulari.

Haec omnia sunt ergo magni momenti relate ad oecumenicum dialogum: nam non solum dialogo favent, sed iam in actu dialogum faciunt.

Et vicissim, haec cura oecumenica multum affert ad actionem pastoralem: id expertus sum per plures annos ut parochus magnae paroeciae. Est enim stimulus permanens, zeli pro pastore, sanctitatis pro fidelibus.

Velimus, nolimus, omnis actio pastoralis iam habet finalitatem oecumenicam.

Huius rei conscios fieri oportet hodie omnes pastores.

Sic, universa Ecclesia, eodem motu, ad unitatem progredietur: unitas invenitur non regressu, sed progressu.

Recenter, Summus Pontifex Observatores excepit, et unus ex illis nomine ceterorum, dilectissimus Professor Skydsgaard, ait ad Summum Pontificem: « In via sumus ». Et Papa illi respondit: « Ergo adhuc non pervenimus! ».

Et concludo, ego, pro omnibus simul ad Christum conversis: « Igitur, progrediamur, in nomine Domini! ».

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Ecclesiae. Quare huius schematis cap. II mihi valde placet. [3] Ceteris. [4] deest. [5] universi. [6] universi. [7] deest.

Animadversiones additae:

Additio proposita in cap. II, n. 9, lin. 16: « Hodie universa Ecclesia in motu oecumenico in solidum inducitur: cuius rei magis interest omnes pastores conscios fieri, etiamsi in eorum dioecesibus non inveniuntur fratres separati; etenim omnis iam actio pastoralis, evangelica praesertim et liturgica ad mentem Concilii, certocertius finalitatem oecumenicam habebit quam faustissimam ».

15

Exc.mus P. D. PETRUS MARTIN

Episcopus tit. Selinusiensis, vic. ap. Novae Caledoniae

Venerabiles Fratres, humanissimi Auditores et Observatores,

Si quidem inveniuntur in toto orbe terrarum aliquae plagae ubi triste fulgeat divisio christianorum, tales sunt certe Insulae Oceaniae. Liceat mihi, cui pastori versari in his insulis datum est, aliquid exprimere de « exercitio Oecumenismi ». Quas animadversiones subscripserunt 15 Patres et approbaverunt 40 alii.

Prius, in genere adnoto: in hoc schemate, et specialiter in hoc capitulo, quod « de oecumenismi exercitio » tractat, nihil dicitur de methodo et normis circa oecumenicum dialogum. Quae enim in par. 10 proponuntur « de modo exprimendi et exponendi doctrinam fidei », necnon cautiones contra « falsum irenismum » (lin. 22) quae quodam modo huic quaestioni referuntur, valde insufficientes videntur. Exc.mus De Smedt, anno elapso, in hac aula, normas oecumenismi clare delineaverat; illas vero sperabamus simul collectas in nostro schemate reperire. Dantur quidem referentiae circa Instructionem « de Motione oecumenica » (nota 2 in fine pag. 18), sed istae normae sunt nimis generales et negativae. Praeterea hoc documentum, quod iam anno 1949 ortum est, nunc exactum specialistis videtur.

Fratres a nobis separati hoc exspectant quod Ecclesia Romana ad verum dialogum habendum sese inducat, in quo omnes colloquentes aequo iure interveniant, immo in quo omnes colloquentes (i. e. Ecclesiae) patiantur seipsos in causam poni, in a. v. sinant ut de propria emendatione agatur. Durante recenti conferentia « de Fide et Constitutione » (vulgo dicta Faith and Order), habita in Canada, in civitate Montréal, plures oratores obiecerunt Ecclesiae catholicae quod, usque nunc, dialogum istum recusavit, necnon quod nullo modo tolerat seipsam in causam poni, i. e. ut de propria emendatione agatur, dum, e contrario, talis est usus in Consilio Oecumenico Ecclesiarum (World Council of Churches).

Dici solet quod Ecclesia catholica talem usum permittere nequit. Et tamen, quid aliud facimus in hac aula, coram Observatoribus? Proinde haec quaestio proponitur: Nonne melius esset Ecclesiae tolerare ut de sua propria emendatione disputetur, inter saltem definitos terminos, potiusquam hoc punctum fundamentale eludere?

Non potest ceterum impediri ut Ecclesia, velit nolit, in causam ponatur, aequo iure ac ceterae Ecclesiae et communitates christianae ab hominibus qui Ecclesias secundum earum modum vivendi et agendi iudicant reiiciuntque si non reperiant in eis conformitatem Fidei quam proferunt.

Quod nobis verbis Evangelii in Matthaeo, cap. 5 (beatitudines), et 25 (parabola ultimi iudicii) satis indicatur.

Nonnulli Patres conciliares ad hos textus iam se retulerunt, tales exc.mi Hakim et Boillon in disceptatione de Ecclesia. Mihi videtur in hoc schemate quaestiones sequentes explicite proponendas:

1. Quod attinet ad beatitudines:

Utrum corpus sociologicum Ecclesiae exprimat modo visibili, in sua facie externa, in sua agendi ratione, in sua vita, evangelicas beatitudines

et insuper earum primam: « Beati pauperes spiritu », scil. humilitatem et paupertatem?

2. Quod attinet ad ultimum iudicium: « Esuriebam... » etc.:

Quomodo sentimus de humanitate dolente et paupere quae ad duas partes hominum extenditur, et sustinet maius pondus peccati? de illa humanitate cui Christus, in parabola cap. 25 Matthaei, seipsum identificare voluit?

Utrum haec miserior humanitas sit pro nobis signum praesentiae Christi ad quam nos attendamus? memores verborum Ioannis XXIII, venerabilis memoriae, quae rursum card. Montini ante electionem ad Summum Pontificatum protulit: « Pauper est imago Christi et quasi vivens sacramentum ».

Utrum sit pro tota Ecclesia *exhortatio* directa ut sese melius conformet Christo, per huius humanitatis servitium?

Utrum tandem in ea videamus iudicem Ecclesiae, quae per Christum nos iudicabit die novissimo et etiam in praesenti?

Huiusmodi reflexiones quidem ad Oecumenismum spectant. Quibus non possumus indifferentes manere. Oportet igitur et convenit ut de illis in schemate nostro mentio fiat.

Humanitas dolens et pauper, et nempe ille populus Dei qui extenditur ad mundi dimensiones, exspectat utique ut ab Ecclesia sibi aperiantur thesauri Christi amoris et salutis. Non super verbis, sed super factis Ecclesiam iudicat.

Proinde Ecclesia Romana, sicut ceterae Ecclesiae et communitates christianae debent simul hac de re examen conscientiae agere, sibi suadentes ut ad viam unitatis, practicum exercitium caritatis celeriores effectus producat quam argumentationes in abstracto.

Certo certius, hoc haud minimi ponderis esset, si in lucem proferretur haec veritas, nimis quidem in oblivione usque nunc relicta, ita ut roboraretur cum fratribus a nobis separatis cooperatio de qua ceteroquin egregie loquitur par. 11.

Et conclusiones meas ad secretariatum affero.[1] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Conclusio. Humiliter propono ut in finem par. 11, sequens textus addatur: « Ad efficaciorem cooperationem cum fratribus a nobis separatis fovendam, sequentia semper in memoriam revocanda essent: Humanitas pauper et dolens, quae maius pondus peccati sustinet, cuique Christus in parabola *Mt.* 25 seipsum identificare voluit, est *signum* cuiusdam praesentiae Christi, *exhortatio* directa toti Ecclesiae facta ut sese melius conformet Christo per huius humanitatis servitium, *iudex* qui Ecclesiam per Christum sanciet die novissimo et etiam in praesenti. Proinde Ecclesia catholica ceteraeque Ecclesiae et communitates christianae ita invicem aemulari debent, tanquam corpus sociologicum, in sua

facie externa, in sua agendi ratione, in sua vita, ut evangelicas beatitudines et insuper earum primam " Beati pauperes spiritu ", scil. humilitatem et paupertatem, exprimere valeant ».

[*Subsignaverunt etiam*] Alfred Ancel, év. aux. Lyon; André Fauvel, év. Quimper; José Vicente Távora, arch. Aracaju; Carlo van Melckebeke, év. Ningsia; Antonio Fragoso, vic. cap. São Luis; Pierre M. card. Gerlier, arch. Lyon; Carolus M. Himmer, ep. Tornacen.; E. Loosdregt, év. tit. Amaura, vic. ap. Vientane; Jouhannes Nuer, Louxor; H. Golland Trindade, arch. Botucatu; G. Mercier, év. Laghouat; O. Sevrin, év. tit. Mossina; Michel Darmancier, vic. ap. Wallis et Futuna.

Secretarius generalis: Communico imprimis exitum suffragationis factae circa integrum schema *de instrumentis communicationis socialis*:

Praesentes votantes		2.112
Dixerunt	*placet*	1.598
	non placet	503
Vota nulla		11

Ergo schema a Patribus congregationis generalis probatum est.

Hoc vespere erit etiam in hac Basilica Vaticana, uti iam nuntiatum est, solemnis caeremonia in honorem S. Iosaphat, cuius exuviae iam translatae sunt in altare dicatum S. Basilio Magno. Patres humanissime invitantur.

Attendatis, Patres venerabiles! Nos iam recepimus plures elenchos nominum quod attinet ad electionem faciendam feria quinta proxima. Res, quae videbatur facilis, est revera implexa. Aliquae conferentiae tantum nomina dederunt, quin indicarent sedem episcopalem vel munus. Aliquae conferentiae in unum coaluerunt et exhibuerunt elenchum unicum. Attamen quid factum est? Quaedam Conferentiae, quamvis exhibuerint elenchum unicum, alium elenchum per se singulae exhibuerunt. Porro, ut res fiant expedite et clare, secretaria statuit attendendas esse tantummodo notas quae secumferunt subsignationes exhibentium; ita ut, si v. g. nota vel elenchus factus sit pro his et his conferentiis episcopalibus, et subsignatio habeatur illius qui fidem faciat et responsabilis sit, nulla alia nota poterit acceptari a conferentiis quae iam inclusae sunt in illa nota unica. Secus maxima confusio habebitur. Quod iam dictum erat in hac aula, erat clarum, sed videtur non fuisse ab aliquibus saltem clare intellectum.

Secretaria generalis, quae responsabilitatem ipsa in hac re habere non potest, publicabit singulos elenchos cum indicatione omnium conferentiarum, vel conferentiae, quae illum elenchum exhibuerunt, ita ut respon-

sabilitas sit tantummodo illorum qui subsignationem apposuerunt. Aliud facere non possumus.

Cum, ut dixi, res aliquod tempus requirat, rogantur iterum praesides conferentiarum episcopalium ut ante horam quintam huius diei notas exhibeant, vel in hac basilica, vel etiam in nostris officiis in Via Serristori, 10. Poterunt notas relinquere ianitori, seu ostiario, clausas in involucro, cum enixa adhortatione ut statim deferat vel ad officium vel ad habitationem secretarii generalis.

Em.mus card. Ioseph Frings rogat ut communicem omnibus archiepiscopis et episcopis Germaniae conferentiam quae erat statuta pro hoc vespere, attentis caeremoniis quae celebrabuntur hoc vespere et de quibus notitia data est tantum hoc mane, in aliam diem, quae communicabitur, differri. Gratias.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. card. EUGENIUS TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXV
26 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXXV
26 novembris 1963

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem circa capp. I et II *de Oecumenismo* em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Audite, Patres venerabiles! Em.mi cardinales, archiepiscopi, episcopi Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, vivos gratitudinis sensus erga omnes Patres promunt ob vivissimam participationem in ipsorum luctu per mortem honorati viri Ioannis Gerardi Kennedy, praesidis Statuum Foederatorum. Grates maximas agunt sive quia Patres partem habuerunt in exsequiis heri celebratis in Archibasilica Lateranensi, sive quia preces fuderunt et promiserunt pro requie animae electae et pace totius mundi.

Crastina, Patres venerabiles, distribuetur elenchus Patrum qui propositi sunt a conferentiis episcopalibus pro eligendis novis membris commissionum conciliarium, et simul dabitur scheda in qua nomina electa inscribenda sunt. Statuit Summus Pontifex ut maioritas pro electione iam a prima vice sit maioritas relativa, uti hesterno anno factum est.

Lego nomina eorum Patrum qui ad normam art. 57 § 6 *Ordinis* loqui postulaverunt adhuc, nomine quidem aliorum Patrum, de cap. I schematis *de Oecumenismo*. Hi sunt: exc.mi DD. Gabriel Manek, arch. Endehenus in Indonesia; Raphaël González Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania; rev.mus D. Sighardus Kleiner, abb. gen. Ord. Cist.; exc.mi DD. Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia; Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioannes Zoa, arch. Yaundensis in Cameroun.

Exacta hac disceptatione, orationem facere possunt circa cap. II Patres qui sequuntur: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Valerianus Gracias, arch. Bombayensis in India; Radulphus Silva, arch. S. Iacobi in Chilia; S. B. Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum; exc.mi DD. Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia; Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia; Antonius Cardoso, ep. aux. Beiensis in Lusitania; Ioannes Gay, ep. Imae Telluris in America Centrali; Augustinus Farah, ep. Tripolitanus pro Melchitis in Libano; Alfonsus Sanchez,

ep. Papantlensis in Mexico; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Carolus Himmer, ep. Tornacensis in Belgio; Ioannes Nuer, ep. coad. Thebanus in Aegypto; Vincentius Enrique, ep. Celsonensis in Hispania; Franciscus Tomášek, ep. tit. Butiensis in Cecoslovachia; Conradus Mingo, arch. Montis Regalis in Italia; Eduardus Necsey, ep. adm. ap. Nitriensis in Cecoslovachia; Paulus Schmitt, ep. Metensis in Gallia; Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia; Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Aemilius De Smedt, ep. Brugensis in Belgio; Petrus Boillon, ep. Virodunensis in Gallia; Hyacinthus Thiandoum, arch. Dakarensis in Senegal; Vincentius Reyes, ep. Boronganensis in Philippinis; Aemilius Blanchet, arch. tit., rector Instituti Catholici Parisiensis in Gallia; Antonius Añoveros, ep. coad. Gadicensis in Hispania; rev.mus P. Benedictus Reetz, sup. gen. Congr. Beuronensis O.S.B.; rev.mus P. Hilarion Capucci, sup. gen. Ordinis Basiliani Aleppensis Melchitarum; exc.mi DD. Ioannes Taylor, ep. Holmiae in Suecia; Radulphus Staverman, vic. ap. Kotabaruënsis in Indonesia; Antonius Pildáin, ep. Canariensis in Hispania; Christophorus Butler, sup. gen. Congr. Angliae O.S.B.; Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis in Gallia; Ioseph Lecuona, ep. tit. Vagadensis in Hispania; Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia.

Moderator: Quia, venerabiles Patres, tempus nobis remanens contractum est ad paucos dies, et multi Patres nomen dederunt, enixe et humanissime rogantur oratores, ut stricte maneant intra materiam eamque contractent in quantum possibile est, et omittant repetitiones, ita ut etiam alii Patres intra tempus, pro opportunitate determinandum, vota sua oraliter proferre possint.

PATRUM ORATIONES
(*De Oecumenismo cap. I*)

1

Exc.mus P. D. GABRIEL MANEK
Archiepiscopus Endehenus

Em.me Moderator, venerabiles Patres conciliares,

Loquens de cap. I schematis *de Oecumenismo,* nomine undetriginta episcoporum hierarchiae Indonesianae sequentem interventionem proponere velim.

In interventione nostra generali,* secretariae scripto tradita, iam proposuimus, titulum Ecclesiae non tantum Ecclesiis orientalibus a nobis separatis, sed etiam sic dictis communitatibus ex Reformatione, libenter applicari. Liceat mihi rationes et momentum huius nostri propositionis ...[1] breviter explicare.

Etiam in communitatibus ex Reformatione adsunt elementa, quae ecclesias particulares in sensu analogo constituunt. Sunt enim congregationes baptizatorum christifidelium, qui inter se et etiam, quamquam imperfecte, nobiscum uniuntur fide, spe et caritate — et adunantur verbi divini praedicatione et professione et cultu divino. Symbola antiquorum Conciliorum Oecumenicorum in illis communitatibus agnoscuntur ut expressiones authenticae verbi Dei revelatae.

Homines non tantum in illis communitatibus, sed ut iam dixit em.mus D. card. König per illas, vere mediantibus illis verbum Dei salvificum audiunt et Deum adorant. Communitates ergo, in quibus hae conditiones verificantur, sunt in sensu vero, etsi analogo, Ecclesiae particulares christianae.

Quae in textu schematis dicuntur de illis communitatibus ex se tendunt ad titulum ecclesiae.

Adsunt enim, ut dicitur pag. 8, lin. 26, nonnulla visibilia elementa, quibus Ecclesiae unitas manifestatur.

Adsunt etiam actiones sacrae, quibus vita gratiae significatur, gignitur et nutritur. Nequaquam ergo ut communitates salutis significatione exutae sunt. Ut schema recte dicit, Spiritus Sanctus iis communitatibus uti non renuit tamquam salutis mediis, quorum virtus derivatur ab ipsa plenitudine gratiae et veritatis, quae Ecclesiae concredita est. Attente legenti textum schematis apparet ut inconsequentia, de Reformatione sermonem fieri tantum ut communitatibus.

Si autem possunt appellari Ecclesiae, et debent. Hoc enim maximi momenti est pro dialogo oecumenico. Dialogus fit non tantum inter personas individuales, sed et inter Ecclesias et eorum repraesentantes. Immo conditio pro dialogo oecumenico cum christianis non-catholicis videtur esse illa agnitio characteris ecclesialis. Si ergo possibile est sine detrimento fidei ut ita loquamur, et quidem sensu theologico et non mere sociologico, etiam necessarium est ita loqui. Ita faciendo magna differentia in nostra aestimatione erga Ecclesias orientales a nobis separatas et Ecclesias ex Reformatione non tollitur. Evidens enim est titulum Ecclesiae suo et fortiori modo valere pro orientalibus.

Haec nostra propositio adhuc confirmari potest correctione qua-

---

* Cf. Vol. II, Pars V, p. 921.

dam textus schematis, pag. 8, linn. 22 ss. Distinguitur hic inter interiora Spiritus Sancti dona: vita gratiae, fides, spes, caritas, et visibilia elementa, quibus Ecclesiae quoque unitas manifestatur. Haec autem distinctio in contextu videtur minus recta. Dona Spiritus Sancti, fides, spes et caritas ut explicite christiana in illis communitatibus christifidelium constituunt Ecclesiam. Et ista pertinet ad visibilia elementa Ecclesiae.

Quando ergo in communitatibus ex Reformatione recognoscuntur ista omnia, oportet etiam dicere, ibi Ecclesiam Christi, etsi modo imperfecto, realizari.

Observationes minoris momenti, quae imprimis stylum textuum respiciunt, scripto tradam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] iam facta ab aliis Patribus conciliaribus.

Animadversiones additae:

Pag. 7, lin. 8. Est locutio aequivoca. Intelligi potest de Sanctissima Eucharistia. Potius dicatur: Ecclesiam suam instituit ut mirabile sacramentum unitatis.

Pag. 7, linn. 16 ss. Non apparet, quare hic verba *Rom.* 4, 16 referuntur. Melius esset referre ad *Gal.* 3, 27-28.

Pag. 7, lin. 26. S. Petrus non promisit maiorem dilectionem. Ergo terminus « maioris » deleatur.

Pag. 8, lin. 1. Loco « per eorum eorumque successorum » dicatur: per apostolorum eorumque, vel: eorum successorumque.

Pag. 8, lin. 2. Post Evangelii praedicationem et sacramentorum administrationem etiam dicatur: et pastoralem sollicitudinem.

Pag. 8, lin. 14. Loco « schismata » melius: scissuras, ut in textu vulgatus.

Pag. 8, linn. 17 ss. dicatur: Fratres seiuncti qui in Christum credunt et baptismum rite receperunt, etsi perfecta Ecclesiae communione non fruuntur quadam tamen cum eius communione coniuncti sunt. Vide Emendationes, pag. 11, 28.

Pag. 8, linn. 22 ss. Haec alinea non bene constructa est. Verbum « possunt » deleatur e textu.

Pag. 8, lin. 26. Verbum « quoque » deleatur. Aut dicatur: quibus Ecclesiae quoque unitas.

Pag. 8, linn. 28, 37; pag. 9, lin. 25 etc. Fratres *a nobis* separati, saltem initio hoc dicatur. Postea « a nobis » omitti potest.

Pag. 8, lin. 32. Loco « item » dicatur « deinde » vel « quapropter ».

Pag. 9, lin. 1. Loco: manifeste ostendunt dicatur: proclamant, vel: profitentur.

Pag. 9, lin. 2. Verba « generale auxilium salutis » male sonant. Potius: salutiferae unitatis mysterium (aut sacramentum).

Pag. 9, lin. 9. Post « Ecclesia » et ante « gaudet » addatur « Dei gratia », vel « per Dei gratiam ».

Pag. 9, lin. 11. « Ex omni parte mundi » videtur nimis optimisticum. Potius: undique.

Pag. 9, lin. 14. Loco « signa temporis » dicatur: signa temporum, ut in Evangelio (*Mt.* 16, 4).

Pag. 9, lin. 22. « Omnem a Christo revelatam veritatem ». Quid de Vetere Testamento? Potius dicatur: A Deo...

Pag. 9, lin. 23. Loco « possideat » dicatur: dotata vel ditata sit.

Pag. 9, lin. 40. Loco « vestigia » potius « divitiae Christi ».

Pag. 10, lin. 14. A perfecta communione...

Pag. 10, lin. 17. Loco « admiratio »: scandalum, aut: admiratio et scandalum.

Pag. 10, lin. 20. Verba « in mundo » deleantur.

[*Subscripserunt etiam*] H. J. M. v. d. Burgt, arch. Pontianak; A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; F. A. H. v. d. Hurk, arch. Medan; G. Manek, arch. Endeh; N. M. Schneiders, arch. Makassar; A. E. J. Albers, ep. Malang; P. M. Arntz, ep. Bandung; W. v. Bekkum, ep. Ruteng; W. Demarteau, ep. Bandjermasin; P. N. J. C. Geise, ep. Bogor; Jac. Grent, ep. Amboina; A. Hermelink, ep. Tandjung Karang; L. v. Kessel, ep. Sintang; J. Klooster, ep. Surabaja; M. Mekkelholt, (olim) ep. Palembang; J. H. Romeijn, ep. Samarinda; P. Sani, ep. Denpasar; W. Schoemaker, ep. Purwokerto; G. Sillekens, ep. Ketapang; J. H. Soudant, ep. Palembang; A. H. Thijssen, ep. Larantuka; Th. v. d. Tillaart, ep. Atambua; T. v. Valenberg, (olim) ep. Pontianak; N. Verhoeven, ep. Manado; N. P. v. d. Westen, ep. Pangkalpinang; R. J. Staverman, vic. ap. Kotabaru (Hollandia); H. Tillemans, vic. ap. Merauke; M. v. Diepen, praef. ap. Manokwari; G. Legeland, praef. ap. Sumba/Sumbawa.

2

Exc.mus P. D. RAPHAËL GONZALEZ MORALEJO

Episcopus tit. Dardanius, aux. Valentinus

Venerabiles Patres conciliares, carissimi Auditores et Observatores,

Parcite mihi si aliquas observationes adhuc proferre audeam[1] circa cap. I, quod in universum sat bonum censeo. Quae observationes attingent ex una parte structuram et sensum totius capitis; ex alia vero peculiaria principia quae in eo deficere videntur.

1. Decretum nostrum « omnino et evidenter praesupponit doctrinam expositam in constitutione dogmatica *de Ecclesia* ...[2], immo et doctrinam circa ...[3] Primatum Romani Pontificis eiusque infallibilitatem, sicut *heri*[4] em.mus card. Bea iam sufficienter notavit. Censeo igitur non iterum repetendam esse in hoc capite doctrinam de unitate Ecclesiae. Oportere autem puto ut in redigenda definitiva constitutione dogmatica *de Ecclesia,* in ea parte quae ipsius unitatem et relationem cum aliis communitatibus christianis tractat, interveniat sententia secretariatus de unione christianorum.

2. Si principia circa libertatem conscientiae in materia religiosa, quae in prima parte cap. V ipsius schematis continentur, constituunt — ut patet — initium quoddam pro dialogo oecumenico, censeo haec eadem principia, servata proportione, resumenda quoque esse in nostro cap. I...[5]

3. Intimior sensus huius cap. I ...[6] arcte *cohaeret*[7] cum fine totius schematis *de Oecumenismo* nunc primum in historia Conciliorum propositi. Qualis igitur est hic finis? Primo et per se, cum Concilium sit praecipue pastorale, evidens est, ut iam relator ipse innuit, schema, et praesertim eius tria priora capita destinari « ad instructionem fidelium, qua illi melius cognoscere possint obiectum, mentem et opportunitatem providentialem oecumenicae motionis »...[8]

Iam vero, qui bene perpenderit normas practicas quae in his capitibus continentur, sed peculiariter eas quae dirigere intendunt dialogum oecumenicum sic proprie dictum, mea quidem sententia, gravem atque altam quaestionem involvunt. Etenim quaero: intenditur his normis praeparare forsitan catholicos ut fructuose interveniant in dialogo oecumenico prout iam hodie habetur inter complures confessiones acatholicas, ita ut possint illum perducere, *quatenus fas illis sit,*[9] ad optatam unitatem inter omnes christianos? An potius intenditur ut intra ipsam Ecclesiam novus dialogus oecumenicus ineatur, cui fratres separati accedere possint, et fideles nostros parare intendimus ut sollerter interveniant?

Responsio ad has quaestiones maximi momenti est relate ad cap. I, immo ad totum schema quod consideramus. Si eius generalem titulum respicimus, cap. I videtur sese referri ad oecumenismum catholicum; si vero ad definitionem in finem huius capitis allatam attendimus, textus totius capitis videtur potius prae oculis habere « omnia quae sub voce oecumenismi veniunt » ...[10]. Et tamen principia quae in eo continentur non videntur sufficere ut illis quaestionibus responsio definitiva praebeatur. Neque ipsam possem ego ipse equidem praebere. Audeo nihilominus rogare secretariatum ad unionem christianorum fovendam ut ita titulum et sensum totius capitis pertractet ut perspicue appareat qualis sit positio Ecclesiae circa hanc rem.

4. In omni casu, cap. I, mea quidem humili sententia, haec alia principia clare enucleare debet:

a) Iesus Christus, cum Ecclesiam suam unam et unicam condidit, non ei dedit speciale charisma quod christianos ab omni interna divisione praeservaret: dedit utique ei infallibilitatis charisma; asseruit quoque Ecclesiam indefectibilem et perennem in mundo futuram esse usque ad saeculorum consummationem. *Iamvero,*[11] etiam si bene noverat

humanam et miserabilem condicionem eorum qui saeculorum decursu sui discipuli futuri erant, etiam si perspiceret difficultates quae ex hac condicione unitati christianorum obstaculo essent futurae, noluit eam tutari peculiari quodam charismate.

b) Dereliquit ergo praeservationem unionis inter christianos tantummodo liberae eorum cooperationi? Minime *prorsus*.[12] Iesus Christus dedit Ecclesiae suae structuram et constitutionem unitariam, veluti solidum fundamentum unionis omnium fidelium suorum. Unio igitur christianorum exigit quidem ut ipsi libere et voluntarie adhaereant doctrinae Evangelii Christi; sed interpretationem authenticam et infallibilem Evangelii sui tradidit ipsi magisterio Ecclesiae ab eo fundatae.

c) Aliunde Iesus Christus dedit discipulis suis « mandatum novum », mandatum scil. caritatis, « quod est vinculum perfectionis »...[13] et pignus unionis: « Diligite alterutrum sicut ego dilexi vos »...[14]; rogavit etiam Patrem « ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te... ut sint unum, sicut nos unum sumus »...[15]; ostendit hanc intimam unionem christianorum signum esse debere et visibile testimonium suae divinitatis ...[16]. Sed Christus noluit tantum postulare liberam ac voluntariam adhaesionem christianorum mandato novo ut inter ipsos unio servaretur: dedit quoque ipsis gratias necessarias, praesertim caritatem supernaturalem, « quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis »...[17], pignus sane optimum ut illud mandatum perficere possent.

d) Sed tamen, proh dolor, saeculorum decursu, christiani inter se saepius divisi sunt! Qualescumque vero sint causae quae tales divisiones effecerunt, duplex exstat hodie certitudo:

1. « Ecclesiam Christi unam esse et unam esse debere; et arcanam hanc et aspectabilem unitatem in rem deduci non posse nisi una fide, nisi participatione eorumdem sacramentorum, nisi apta cohaerentia unici ecclesiastici regiminis, quamvis admitti possint alii sermones, sacri ritus et a maioribus accepti mores... » (ex nuntio Pauli VI f. r. ad aperiendam ...[18] sessionem Concilii).

2. Amissio unionis debetur peccatis ipsorum christianorum, qui mandatum Christi non impleverunt. Decernere cuius sit historicorum factorum culpa, parum iuvat. Lugenda ergo est divisio et separatio, quicumque illius auctor exstitit. Tribuatur sane catholicis certa pars culpae, temporibus illorum separationum commissae. Sed nostris temporibus, cum Papa nostro veneratissimo, misericordia Dei confisi, audiamus consilium apostoli: « Quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quae sunt priora extendens me ipsum... sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum a Christo Iesu »...[19].

Conclusiones secretariatui tradam in scriptis.[20] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Liceat mihi observationes aliquas proferre. [2] (Relatio ad cap. I-III, I, p. 12). [3] Ecclesiae naturam. [4] deest. [5] Oportet proinde supprimere cap. V, relicta ad schema XVII *de Ecclesiae praesentia in mundo hodierno* eius altera parte, in qua potius exponuntur principia quibus regendae sunt intra diversas nationes relationes Ecclesiae catholicae cum reliquis confessionibus, sive christianis sive non christianis. [6] eiusque titulus. [7] cohaerent. [8] (Relatio ad cap. I-III, II, p. 12). [9] deest. [10] (Cap. I, pag. 10, lin. 32). [11] Tamen. [12] vero. [13] (*Col.* 3, 14). [14] (*Io.* 13, 34). [15] (*Io.* 17, 21-22). [16] « ut credat ... ut cognoscat mundus quia tu me misisti » (*Io.* 17, 21): esse igitur instrumentum praecipuum ut missio salvifica Ecclesiae suae adimpleretur: « haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum » (*Io.* 17, 3). [17] (*Rom.* 5, 5). [18] secundam. [19] (*Phil.* 3, 14 et 12) (Ex epistola SS. D. N. Papae Pauli VI, ad Patriarcham Constantinopolitanum Athenagoram, mense septembri elapso missa). *e*) Ecclesia ergo catholica, sui ipsius natura et ob conscientiam quam sui ipsius habet, est essentialiter oecumenica. Haec igitur causa est cur catholici interesse debeant, et quidem sub ductu sacrorum pastorum, dialogo oecumenico, in humilitate et fiducia, in amore et sinceritate, « hoc enim in se sentientes quod et in Christo Iesu » (*Phil.* 2, 5): eos enim semper movet et impellit oratio illa Christi ad Patrem: « ut omnes unum sint ... ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum » (*Io.* 17, 23). [20] *Conclusiones.* 1. Titulus huius Capitis I et omnia argumenta in eo contenta ita recognoscantur ut clare eluceat utrum quaestio sit de participatione catholicorum in quodam motu oecumenico sic dicto catholico cum fratribus seiunctis instaurando, an de eorum participatione in dialogo oecumenico iam diu inter diversas congregationes christianas existente.

2. Initium Capitis I aperiatur cum brevi introductione, in qua dicatur doctrinam de Ecclesiae constitutione hierarchica deque eius unitate, de necessitudinibus inter Ecclesiam et christianos seiunctos, de Romani Pontificis Primatu atque de eius infallibilitate, praesupponendam esse utpote basis totius tractatus de Oecumenismo.

3. Recolantur deinde in hoc cap. I ea principia circa libertatem conscientiae in materia religiosa quae in prima parte cap. V schematis *de Oecumenismo* continentur, cetera transferendo ad schema 17 *de Ecclesiae praesentia in mundo hodierno*.

4. Inter principia oecumenismi, adaequate enumerentur ea quae sub litteris *a*) *b*) *c*) *d*) et *e*) supra exposuimus.

Animadversiones additae:

Raphael Gonzales Moralejo votum suum circa cap. I schematis *de Oecumenismo* Patribus conciliaribus exponere intendit, data venia em.morum moderatorum. Argumenta de quibus fusius locuturus est haec sunt:

Cap. I in genere placet, ut optima basis disceptationis. In specie vero, perfici potest, dummodo 1. structura reformetur in paucis; 2. quaedam principia addantur.

1. *Puncta reformanda.*

a) Doctrina de Ecclesiae unitate non repetatur.

b) Doctrina de libertate conscientiae ad hoc caput debita proportione transferatur, reliqua ex cap. V relinquendo pro schemate 17 « de Ecclesiae praesentia in mundo hodierno ».

2. *Principia addenda.*

Ad rectam doctrinam catholicam de oecumenismo exponendam, et ad fructuosum dialogum oecumenicum fovendum, mea humili sententia, schema nostrum dicere debet:

a) Christus Iesus Ecclesiam suam fundavit unam, perfectam, indefectibilem et infallibilem; sed unitatem christianorum relinquit cooperationi hominum.

b) Dedit Iesus Ecclesiae suae structuram unitariam, et discipulis suis dona supernaturalia concessit ut « unum essent sicut Pater eius caelestis et ipse unum sunt » ut « cognoscat mundus quia tu me misisti ».

3. Divisiones inter christianos, proh dolor, exortae sunt, quae peccatis hominum imputari debent.

4. Quaecumque sint responsabilitates uniuscuiusque Ecclesiae, pro certo habemus Ecclesiam catholicam semper habere, et hodie habet, omnia elementa ad unionem revocandam et restabiliendam, a Christo Domino Ecclesiae suae concredita.

5. Ecclesia catholica, ex natura ipsa sua atque ex conscientia quam ipsa habet de eiusdem natura, magis oecumenica est et esse debet quam aliae Ecclesiae. Cum omni humilitate et fiducia, cum amore et sinceritate, dialogum oecumenicum aggreditur.

3

Rev.mus P. D. SIGHARDUS KLEINER
Abbas generalis S. Ord. Cist.

Venerabiles Patres,

In priore schemate *de Ecclesiae unitate* « *Ut omnes unum sint* », quod Patribus Concilii subiectum fuit, inter media supernaturalia ad unitatem promovendam commendabatur recursus supplex ad Beatissimam Virginem Mariam Matrem Dei hominumque, cum iuxta S. Germani verba ibidem citata « permagnum unitatis christianae praesidium divinitus oblatum est in Maria ».

Iamvero in novo schemate Beatissimae Virginis incidenter tantum fit mentio. Omnes autem in hoc concordes sumus, Oecumenismum catholicum absque Ecclesiae Matre conceptum nullum obtinere posse effectum. Si autem res ita se habet, tacere hoc fas non est, ubi de principiis Oecumenismi agendum est.

Paucas rationes, quae locum Matri Ecclesiae competentem in hac re illustrant, enumerare liceat:

1. Maria Mater est Ecclesiae, unde etiam Mater est unitatis Ecclesiae. Una est Mater ...[1], una est Ecclesia. Cum Ecclesia e latere Christi

in Cruce morientis, ipsa eius Matre in doloroso partu compatiente, exorta est, una et unica prodiit. Maria est Mater unitatis, sicut est Mater Ecclesiae, et, iuxta verba Leonis XIII, fautrix unitatis exsistit christianae. Pie credimus, ipsam texuisse tunicam inconsutilem Iesu Filii sui, quae est imago formae indivisibilis Ecclesiae, quam nunc miserandum in modum scissam perspicimus. Maria ergo est spes nostra in negotio unitatis. Ipsa hanc tunicam sine sutura restituere poterit.

2. Maria omnium baptizatorum peculiariter est Mater. Inter filios suos quos amore materno amplectitur, schismata esse cernit. Quis poterit securius, expeditius, efficacius schismata in familia christiana exorta e medio tollere, si non Materfamilias?

Et de facto, ad hanc suam Matrem omnes christiani convolant, diversis quidem modis, ardente cum amore eam extollentes alii, alii timide, plus minusve in obscuritate matrem exquirentes. Et candide fateor, me fingere non posse pacem neque veram unitatem nisi inter eos christianos, qui matrem suam aliquatenus saltem, sed amanter cognoverint et fiducialiter agnoverint.

3. Maria est ianua ad Christum. Qui per eam non intrat ad illum, qui per hanc fenestram Christum non perspexerit, Christum *totum* non inveniet. Ipsa est mediatrix ad mediatorem, uti S. Bernardus, Mariae cithara, cecinit. Ipse Dominus noster « *totum* nos habere voluit per Mariam ». Qui autem Christum *totum* non habet, ab unitate Ecclesiae deficit.

His breviter perpensis, quaestio oritur, utrum schema silere possit nomen et actionem huius beatissimae Matris Ecclesiae, ubi negotium unitatis tractatur? Certe Mater suam actionem unificatricem, agens sicut mater agit in domo sua, in silentio exercet. Sed filiis non convenit, ut idem silentium de actione Matris servent.

Unde cum de Oecumenismi principiis loquimur, Sanctissimae Ecclesiae Matri locum congruum tribuendum esse humiliter censeo. Hoc autem fieri debere modo biblico, i. e. loquela oecumenica, propter rationes obvias manifestum est.

Brevitatis causa, propositionem concretam secretario generali tradam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] unus est Christus.

Animadversiones additae:

Proposito supra enuntiato satisfieri potest saltem aliquatenus, si in pag. 7, n. 1, lin. 3, loco « ut homo factus » dicatur « ut e Maria Matre natus et homo factus »; quo addito satis innuitur, Mariam esse ianuam quo Deus intravit in humanitatem, et hoc modo ipsam alteram factam esse Evam, Matrem novi populi

Dei, qui, ea mediante ad unam familiam, ad unam Ecclesiam congregatus est in Filio suo.

Altera propositio: Ut loco apto addatur haec vel similis sententia: « Ecclesia una est in communione orationis, sicut apostoli et discipuli Domini erant perseverantes in oratione cum Maria Matre Iesu » (*Act.* 1, 14).

[*Subsignaverunt etiam*] Guido Bentivoglio S. O. Cist., arch. Catanensis; fr. Heinrich Groner, abb. null. Wettingen-Mehrerau; fr. Carolus Braunstorfer S. O. Cist. S. Crucis in Austria; fr. Theobaldus Moscatelli S. O. Cist. S. Crucis in Ierusalem in Urbe; fr. Ioannes Van Engelen S. O. Cist. Congr. Belga; fr. Athanasius Merkle S. O. Cist. S. Crucis in Brasilia; fr. Nivardus Buttarazzi, abb. praes. Congr. Casamari.

4

EXC.MUS P. D. HENRICUS COMPAGNONE
Episcopus Anagninus

Venerabiles Patres,

Omnia quae mihi dicenda erant iam heri a quibusdam Patribus in hac aula dicta sunt, praesertim ab exc.mo Guano.

Unum dicendum remansit, quod pluribus Patribus qui mecum consentiunt videtur non *levioris* [1] ponderis.

Agitur de cap. I, par. 1 huius schematis, pag. 7, lin. 23. Dum in hac aula, feria IV praeterita, die 20 novembris, disceptatio evolvebatur circa nostrum schema *de Oecumenismo* complexive consideratum, in Aula Benedictionum quae cum hac Basilica communicat per fenestras, Summus Pontifex in generali audientia peregrinis concessa, haec verba pronuntiabat, quas in linguam latinam non verto, ne aliquid meum in translatione introducam: « La nostra religione si presenta come una società, spirituale e visibile, umana e divina, che vive e sopravvive da venti secoli, composta indistintamente da chiunque vi voglia entrare, di qualsiasi razza o nazione, di qualsiasi condizione sociale ... [2] e dove tutti sono fratelli e tutti uniti, ma dove esiste una organizzazione, una gerarchia da Cristo stesso istituita, nella quale in primo luogo sono gli apostoli ... [3] cioè i Vescovi, e alla loro testa Pietro cioè il Papa. E voi, venendo a visitare il Papa, prendete coscienza di questa società, a cui voi stessi appartenete, e che si chiama la Chiesa, *la quale è tutta fondata sulla pietra posta da Gesù stesso*: *sul Papa* ».

Haec verba, quae non casu nec leviter prolata dicenda sunt, erant non cognita Patribus, qui in congregatione generali diei 21 novembris locuti sunt de fundamento supra quod Christus Ecclesiam suam aedificavit. Sed adhuc ignorata fuerunt in allocutione unius Patris qui de eadem re locutus est die subsequenti, scil. 22 novembris.

Per illa verba omnes invitantur ad fideliter referendum conceptum a Christo expressum, *verbis*[4] quae, prolata coram omnibus apostolis, ad Petrum tantum referebantur et pertinent ad ampliorem contextum verborum Christi quae Petrum respiciunt, sive agatur de mutatione nominis in ipsa vocatione ad apostolatum, sive de fratrum confirmatione, sive de toto dominico grege pascendo. Nec dicatur in hac nostra insistentia haberi quamdam petulantiam immodicam. Agitur de ipsis verbis Christi prout ab evangelista relatis; quibus, cum agatur de ipsa Ecclesiae constitutione, eadem veneratio ac fidelitas debetur quae debetur verbis formae sacramentalis. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] spernendi. [2] (cf. *Col.* 3, 1). [3] (*1 Cor.* 12, 28). [4] per verba.

[*Subscripserunt etiam*] J. B. Piasentini, ep. Clodiensis; Antonius, arch. Nictheroyensis; Christophorus Arduinus Terzi, ep. tit.; F. Longinotti, vesc.

5

Exc.mus P. D. STEPHANUS LEVEN

Episcopus tit. Buritanus, aux. S. Antonii

Em.mi Patres, venerabiles Fratres iuncti et seiuncti,

Ea quae dicturus sum de cap. I, etiam de cap. II dicenda videntur. Nam velim de Oecumenismi catholici principiis et praxi loqui...[1]

In diebus istis quam clare apparet quantum indigemus dialogo non solum cum acatholicis sed etiam apud nos episcopos.

Sunt namque Patres qui loquuntur ac si solus textus in Sacra Biblia esset ille ...[2]: « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam »; qui ex unaquaque interventione argumentum contra collegialitatem episcoporum faciunt; qui nobis praedicant et verbis nos castigant ac si contra S. Petrum et successorem suum stemus, vel ac si fidem gregum nostrarum velimus arripere et indifferentismum promovere.

Loquuntur ac si Sanctus Pater Ioannes XXIII nunquam verbum illud S. Augustini tempore nostro citasset: « Velint, nolint, fratres nostri sunt. Tunc esse desinent fratres nostri si desierint dicere *Pater noster* ». Loquuntur ac si tota doctrina Papae Ioannis XXIII de libertate conscientiae uniuscuiusque hominis, tam clare in Litteris Encyclicis *Pacem in terris* expressa, esset auribus piis offensiva.

Nos iterum et saepius in aula castigant ac si praelatus, evidentia clara compulsus, recognoscens charismata Spiritus Sancti adesse in

personis alterius corporis ecclesialis, fidem negasset et verum scandalum innocentibus constituisset.

Praeferunt acatholicos, quos forsan numquam viderunt, obiurgare plusquam liberis in propriis paroeciis catechismum tradere; alioquin cur timerent effectum dialogi non esse bonum? Cur non melius instruuntur eorum fideles? Cur non visitentur oves in domibus suis? Cur non habeatur confraternitas doctrinae christianae activa et operosa apud eos?

Periculum malorum ex Oecumenismo oriendorum forsan exaggeratur. Praelati dialogum sincerum et fructuosum cum acatholicis peragentes, non inveniuntur in statu disoboedientiae et disaffectionis erga Summum Pontificem. Non sunt nostri catholici, qui Sacram Missam adire recusant, qui sacramenta respuunt et qui pro regimine communistico suffragia ferunt!

Non sumus nos, qui voluntatem bene cognitam et saepe saepius formaliter et exemplis et verbis expressam, Suae Sanctitatis Pauli VI et etiam Ioannis XXIII parvi pendimus! Et quid de voluntate ipsius Dei qui, ut S. Paulus dicit, vult omnes homines salvos fieri et ad veritatem venire? Et Christus dixit: « Qui enim non est adversum vos pro vobis est »...[3]

Nostri catholici boni sunt, et nobis episcopis et sanctae Matri Ecclesiae et Summo Pontifici omnino fideles sunt. Nos non perdidimus classem laborantium. Fundamentum sunt et sustentaculum Ecclesiae catholicae apud nos.

Fratres venerabiles conciliarii, rogo vos: non protrahamus istud scandalum recriminationis mutuae. Procedamus ordinatim ad examen et studium istius motus providentialis qui nunc Oecumenismus vocatur ut cum patientia et humilitate illam unitatem prosequamur pro

---

In textu scripto tradito: [1] Loquor nomine meo et permultorum aliorum episcoporum ex variis nationibus. Loquor ex experientia 27 annorum praedicandi in viis et plateis praesertim apud acatholicos in dioecesi missionaria ubi solummodo duo per centum incolarum erant catholici. Loquor ex experientia dialogi fere quotidiani cum orthodoxis et protestantibus per totam vitam sacerdotalem 35 annorum. Si ergo loquor tanquam confrontationem faciens aliquibus qui iam frequenter in hac aula nobis locuti sunt, est solummodo ex caritate Christi quae urget me. Cum humilitate loquor, sed etiam in veritate necnon claritate, et spero sine offensione. [2] ex cap. 16 Evangelii S. Matthaei vers. 18 depromptus. [3] (*Mc.* 9, 40).

[*Subsignaverunt etiam*] Victor J. Reed, Oklahomapolitanus et Tulsensis; Eustachius J. Smith, vic. ap. Berytensis; Valentinus Wòjcik, ep. tit. Barenus in Hell.; Agnus a Gorcum, vic. ap.; John Morkovsky, coad. Galveston-Houston; George H. Pearce, vic. ap. Samoa et Tokelau.

qua Christus Dominus in caenaculo oravit. Et scripsit S. Paulus: « Nunc autem manent fides, spes, caritas, haec tria; maior autem horum est caritas ». Et dixi.* [*Plausus*].

Moderator: Omittantur plausus, quaeso! Loquatur nunc exc.mus P. Ioannes Zoa, arch. Yaundensis in Cameroun; et tunc transitus fit ad disceptationem de *cap. II.*

6

Exc.mus P. D. IOANNES B. ZOA
Archiepiscopus Yaundensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Auditis plurimis episcopis ex Africa et Madagascar, haec breviter propono ad dialogum oecumenicum fovendum in terris nostris, inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias reformationis; quia apud nos conatus oecumenicus urgenter desideratur ab omnibus.

Vigesimum saeculum suam unitatem vehementer quaerit.

Quia promissiones unitatis generis humani in Corpore Christi habet, maximam curam Ecclesia catholica habet de hac exspectatione cui vult respondere in virtute Christi.

---

* Quoad orationem P. D. Stephani Leven scripto secretariae generali Concilii exhibitae sunt die 26 novembris 1963 (Prot. E/1852) annotationes quae sequuntur:

I. Die 17 novembris 1963, 99 ex 120 episcopis ex hierarchia episcopatus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis adunatis approbaverunt interventionem S. E. Stephani Leven faciendam in aula Concilii de capite tertio oecumenismi.

Thomas A. Boland,
praeses coetus conciliaris episcoporum Americae Septemtrionalis.
Floyd L. Begin,
praeses comitatus de oecumenismo.

II. Floyd – do you want this to stand?
Some of the Bishops—including a cardinal—said they did not want their name supporting Bp Levens intervention of yesterday. They allege that the good Bishop did not—in words or in presentation—reflect their own attitude. Please advise.

John Krol

John – Nequaquam!
No. he changed his intervention *completely.*

Floyd L. Begin

P. S.: There is another copy of this signed by Tom Boland.
Please remove it also F. L. B.

Cum hac exspectatione duo elementa specialem relationem habent: 1. Conatus oecumenicus, qui tendit ad colligenda et denuo unienda membra disiecta familiae christianae; 2. missio per quam nascuntur et crescunt novellae Ecclesiae in caritate cum Ecclesiis Europae vel Americae communicantes.

Ecclesia simul missionem et oecumenismum promovere debet. Cum Christus venit in mundum ut hominibus bonum nuntium salutis annuntiaret et ita eos in unitatem corporis sui vocaret, missio ad unitatem vocat et unitas suscitat missionem. Unde patet quod regiones in quibus missio praedicatur, debent fovere conatui oecumenico et regiones in quibus oecumenismus viget, non posse esse sine praedicatione bonum nuntium proclamante. Saepe saepius vidimus quod divisio christianorum magnum scandalum pro infidelibus est et gravissimum impedimentum pro evangelizatione totius mundi.

Scimus enim quod initium motionis oecumenicae inter fratres christianos ortum habuit a missionibus quae voluerunt commune testimonium de Christo in mundo praebere et collaborationem ferre ad caritatem Christi melius manifestandam. Haec proclamatio hodie vera remanet. Impulsus totius motionis oecumenicae qui in coetu mundiali ecclesiarum organizatur provenit principaliter a sensu missionario: ab ipso tota eius virtus derivatur, ad illum perficiendum omnes eius conatus dirigendi sunt. Oportet ut nos aemulantes caritatem fratrum nostrorum rogemus vehementer Christum ut omnes proximiores reddat. Agitur de evangelizatione regionum nostrarum.

Gaudemus quod in Africa his proximis annis fraterne conventi et conferti sumus cum protestantibus. Gaudemus de his contactibus in hoc historico momento ubi tota Africa laborat ut unitatem suam manifestet, quia concordia inter christianos est signum valde stimulans pro aliis hominibus. Gaudemus de sessionibus Ecclesiarum protestantium africanarum in Ibadan et Kampala quia per eas apparet magis magisque quantum indigemus dialogo oecumenico. Rogamus Christum ut faciat inter nos veram unitatem.

In his circumstantiis, schema de oecumenismo *et cap. I* [1] nobis apparet ut contributio maximi momenti ad laborem in unitate christiana restauranda.

In conclusione, tres propositiones facimus:

1. Cum moderni Status debent solvere magnas quaestiones hodiernae vitae, optandum est ut christiani, quantum possibile est, se uniant ut reddant commune testimonium in rebus in quas omnes conveniunt. Commune testimonium maioris momenti est maiusque pondus habet.

2. In campis culturali, ethnologico, sociali, *et etiam biblico in*

traductione,[2] quae tam magni momenti sunt pro novellis Ecclesiis, utile est — ut congressus in Abidjan coadunatus clare manifestavit — experientias et cogitationes fraterne colligere: theologi vel missionarii catholici et protestantes sperant ut cooperatio pro studiis religionum non christianarum, pro studiis mentalitatum vel organisationis socialis in Africa inter missiones protestantes et congregationes catholicas recte ordinetur. Haec spes decipi non potest.

3. In quaestionibus proprie ecclesiasticis ut vitetur concurrentia, quae non spiritu evangelico moderatur, optandum est ut creetur, *non solum in Africa sed etiam in Europa, forsitan in America, inter Ecclesias laborantes in Africa*[3] instrumentum informativum et consultativum inter diversas communiones christianas ...[4]. Ita paulatim aperietur via ad fraternum examen quaestionum quae in doctrina nos separant. Facilius poterimus vitare syncretismum, qui tam frequenter, *ob ignorantiam,*[5] est periculum pro omnibus communionibus christianis in Africa.

Oecumenismus non impedit laborem missionarium Ecclesiae, sed e contra apparet ut *conditio sine qua non* possit esse in hodierno mundo testimonium verum de mysterio Christi. Priusquam credant in Christum, debent populi videre quod christiani, etiam adhuc seiuncti, mutuam caritatem habeant inter se. Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] in Africa et in Europa et America. [4] in Africa laborantes. [5] deest.

PATRUM ORATIONES
(*De Oecumenismo cap. II*)

7

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Venerabiles Patres,

Loquor de cooperatione cum fratribus seiunctis (cap. II, de exercitio Oecumenismi, par. 11).

1. Haec paragraphus ostendit, quam magni momenti est cooperatio inter christianos, quia manifestat signum Christi, unitatem scil. in caritate. *Hoc valde placet*. Sed, *mihi videtur,*[1] non declaratur sufficienter quod via apertissima ad unitatem est actio communis *in servitium pauperum*. Necessarius certe est labor theologicus, sed actio com-

munis dissolvit multa obstacula. Iam in 1950, Plenarium Concilium *habitum in Indiis Orientalibus* [2] decrevit ita: « Laudandi sunt fideles qui, adhibitis cautelis et servatis praescriptis Ecclesiae, cooperantur cum honestis quoque acatholicis ad bonum publicum sociale et etiam morale secundum normas legis naturalis promovendum »...[3]. Saltem in hac actione sociali possumus uniri sine odio theologico; secus, ut *dicamus* [4] anglice, " In the face of a common enemy, if we do not hang together, we shall hand separately "; et inimicus communis ...[5] est paupertas atque miseria *sparsa in maiore parte mundi.*[6] Una vice, quando in aliqua regione Indiae, in aliqua assemblea faciebam orationem publicam, praeses illius coetus erat episcopus sectae Mar Thomitarum, qui dixit haec verba: " The world is too strong for a divided christianity ". Numquam oblitus sum illis verbis, i. e. usquedum qui christiano nomine gloriantur remanent inter se divisi, mundus suam potentiam magis ac magis manifestat.

2. Dolendum est quod invitationes Summorum Pontificum (Pii XII et Ioannis XXIII) ad collaborationem in actione sociali vel internationali non habuerunt maiorem effectum apud christianos. Paulus VI ipse, adhuc arch. Mediolanensis, declaravit: ...[7] pauperes sunt imago Christi; pauperes sunt sicuti sacramentum vivum ...[8]. En facta — et quidem facta dura. *En citatio* [9] ex recenti publicatione (*The Challenge of Poverty* [10]), in qua scripserunt card. Suenens, arch. Heenan, Pater de Lestapis, Mgr. Ligutti, et alii; *et citatio est haec* [11]: " In the underdeveloped countries, 150 million families are living in sub-human conditions; two-thirds of the population of the world are not receiving the 2.500 callories daily, considered to be the vital minimum; infant mortality still stands at 185 per 1.000 in India and the expectation of life of the newborn is only 32 years in India. *Nineteen* [12] countries representing ...[13] 16 per cent of the world's population control 75 per cent of the world's income ...[14] ". *Contra facta argumentum non valet.*[15]

Nonne ergo deberemus petitionem ad Sanctum Patrem facere, (*utique* [16] mediante coetu moderatorum et consilio praesidentiae, *et Secretario Generali, et ita porro* [17]), ut per prius, in proxima sessione, examinetur fusius *schema XVII?* Hoc pro nobis est in Asia et in Africa vel in America meridionali magni momenti.

3. Mihi liceat addere quod disceptatio de schemate XVII magnum respectum ad Congressum Eucharisticum habet. Erit *enim* [18] praeparatio pro illis rebus, de quibus agemus in Congresso Eucharistico. (*Incidenter, in parenthesi, dicam: omnes Patres Conciliares humanissime invitantur ad hunc Congressum Eucharisticum* [19]). In maiori parte Asiae, nondum annuntiatus est hic Iesus, qui pro nobis egenus factus est et

qui nos invitat ut eum sequamur. Itaque in nostris votis est habere, durante Congressu Eucharistico, studium speciale — vel Seminar — tractando subiectum " Food and Health ", cum collaboratione, ut speramus, Organisationum Internationalium (sicuti FAO, MISEREOR, N.C.W.C., OXFAM, etc.)...[20]

Episcopi et specialistae nostri temporis aerumnarum quae mundum nostrum agitant — ut fames, bonorum non aequa distributio, et pax — congregabuntur in Asia ut examinetur doctrina socialis, ut clarius mundo annuntientur quae per Patres ineunte Concilio mundo annuntiata sunt. Ita melius intelligeremus quid omnes christiani (catholici et fratres *separati*[21]) debent facere ut mundo hodierno signum caritatis dent, significatum per Eucharistiam.

Concludo.[22] Ita celebratio mysteriorum Eucharistiae non erit manifestatio gloriae aut propagandae (saltem non *inter*[23] nos), sed manifestatio caritatis Christi: Eucharistia urget nos ut verum testimonium paupertatis et sollicitudinis erga pauperes manifestemus. Imago Ecclesiae, uti iam dixi, est imago Ecclesiae ut serva, sequens exemplum Fundatoris, qui dixit: « Non veni ministrari, sed ministrare »; et de quo dictum est: « Transiit benefaciendo ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Indiae. [3] (Dec. 33-5). [4] dicitur. [5] in oriente praesertim. [6] fere ubique sparsa. [7] « Le pauvre est l'image du Christ, il en est même comme le sacrement vivant »; i. e. [8] (Documentation cath., Lettre pastorale de Carême 1963, col. 689). [9] Haec citatio est. [10] Christian Responsability and World Poverty. [11] deest. [12] The 19 richest. [13] together only. [14] 150 million families are living in sub-human conditions in the underdeveloped countries, and 30 million in countries called prosperous. India has an illiteracy percentage of 83.4% ". [15] Et mihi videtur quod forsitan non cogitamus satis de promissione, quam fecimus, anno peracto, per nuntium Patrum Concilii ad omnes homines. [16] deest. [17] etc. [18] deest. [19] deest. [20] et nationalium. [21] seiuncti. [22] deest. [23] apud.

8

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Venerabiles Patres,

Hoc cap. II optimi schematis *de Oecumenismo* magnum habet pondus quoad praxim pastoralem. Non sufficit enim de Oecumenismo bene disputare ac eius principia in seipsis statuere; oportet « oecumenice » agere! Oecumenismus potius quam res doctrinalis est methodus

pastoralis secundum peculiarem « mentalitatem », ut dicunt, quae est nostrorum temporum signum, ita ut actio pastoralis quae non sit secundum mentalitatem oecumenicam, eo ipso hodie evadat veluti anachronica.

Duo considerationi vestrae submittere volo circa Oecumenismi exercitium: 1. eius methodologicum initium; 2. et eius aspectus analogicus.

1. *De primo gressu methodologico in Oecumenismi exercitio.* Em.mus relator Hamletus Ioannes card. Cicognani dixit oportere ut Oecumenismus exerceatur « ad fraterna vincula et colloquia cum seiunctis fratribus habenda, " veritatem facientes in caritate "...[1] ».

Pulchra est ista citatio Pauli, at, venerabiles Patres, potuimus in aula audire distinctos modos interpretandi talem affirmationem. Sunt qui, a veritate incipientes, dicant Oecumenismum non posse bene exerceri si ab ipsa veritate modo statico possessa, clare explanata ac in tuto posita, primum suum gressum non sumat, ita ut ne in oratione quidem unanimes esse possimus cum fratribus a nobis seiunctis, quasi non posset adesse vera fides, vera spes, ac vera caritas extra saepta visibilia Ecclesiae catholicae romanae. Certe omnes cupimus et conamur pervenire ad unitatem veritatis semper profundioris, attamen nullo modo est obliviscendum illud axioma sensus communis quod ordo exsecutionis omnino distinguitur ab ordine intentionis, ita ut quod primum est in ordine intentionis revera ultimum evadat in ordine exsecutionis.

Sunt autem alii qui, a caritate potius incipientes, unitatem in veritate utpote metam seu terminum exercitii Oecumenismi quaerant, initium sumentes ab amore Dei et proximi, ex quo, sub ductu Spiritus Sancti, ad unitatem veritatis pervenire possint.

Germanum Oecumenismi exercitium in ista altera modalitate sine dubio fundatur: a caritate incipit, quae est connaturalis dispositio ad veritatem revelatam; ubi eadem caritas, ibi facilius ad eamdem pervenitur fidem. Tamen, venerabiles Patres, primus gressus methodologicus non est amor aut caritas in seipsa, sed aliquid magis concretum et communicativum.

In ipso exercitio humanae educationis primus gressus methodologicus non est nec possessio aut explanatio alicuius veritatis nec simplex amor in genere, sed cordialis familiaritas cum persona educandi.

S. Ioannes Bosco, qui methodo caritatis optime usus est, aiebat amorem in hoc non sufficere (« non basta amare »), sed necessarium esse ut amor ipse concrete et sensibiliter appareat et bene percipiatur a persona amata. De cetero, nonne haec est lex incarnationis ut Deus invisibilis caro efficiatur, vere audiatur et videatur ac manibus contrectetur?

Primus gressus ergo in exercitio Oecumenismi non est defensio vel explanatio veritatis, sed demonstratio veri amoris; demonstratio, dixi, seu exercitium visibile et palpabile caritatis.

Maximi momenti est, proinde, materia in hoc capite contenta, quia indicat praecise aliquos modos, quibus concrete primus ille gressus incipi possit.

2. *De aspectu analogico exercitii Oecumenismi.* Bene prae oculis habendum est exercitium Oecumenismi non esse univocum sed analogum. Principium analogiae supremi est ponderis non solummodo in speculatione sed etiam in actione; sine analogia impossibilis evadit theologia et irrationabiliter applicatur actio pastoralis.

Hesterna die em.mus card. Bea de hac exercitii Oecumenismi analogia bene locutus est. Iam antea exc.mus relator dixerat: « Patet actionem oecumenicam exerceri debere modis diversis prout diversarum nationum conditiones postulant ».

Aliquis Pater iam locutus est de distinctis « typis » fratrum seiunctorum in saec. XVI ac in saec. XX. Ego vellem non solum distinctionem saeculorum in historia, sed etiam regionum in geographia meminisse.

Sic, e. g., hodiernus protestantismus europaeus profunde differt ab hodierno protestantismo in America Latina in dies crescente; hic in Europa, est potius dolorosum residuum luctae in fide ob defectus et peccata christianorum aliorum saeculorum; ibi, in America Latina, est potius novitas quaedam exurgens pluribus ex causis, inter quas non est spernendus motus subveniendi necessitudinibus religiosis multitudinum, ad quas structurae pastorales nostrae saepe saepius impares evadunt, sive ob inopiam cleri, sive ob incuriam in qua relicti sunt laici, sive ob liturgiam inintelligibilem, sive ob catechesim potius moralisticam et devotionalisticam, sive ob iniustitiam socialem aliquorum catholicorum divitorum, sive ob actionem pastoralem propriam status « christianitatis », uti dicitur, potius quam status « missionis », sive ob alias causas.

Duo exinde mihi videntur huic capiti addenda: *a*) affirmatio explicita, in aliqua capitis paragrapho, quod « episcopi et conferentiae episcopales singularum regionum perpendere debent problemata particularia, per regiones sat diversas, atque de iis normas appropriatas edere »; *b*) clara indicatio necessitatis aptatae renovationis Pastoralis quae in dies semper melius consideret statum « missionis » potius quam « christianitatis ». Ecclesia peregrina est realitas historica, et eius institutiones pastorales ecclesiasticae ullo modo debent esse irreformabiles. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Eph.* 4, 15).

Animadversiones additae:

Ad n. 5. Pag. 15, lin. 29: loco « ad sacri ordinis dignitatem evecti », dicatur melius: « ad sacri ordinis ministerium consecrati sunt ». Ratio: ut phrasis sit magis consona cum mente huius Concilii.

Ad n. 7. Pag. 16, lin. 16: loco « pro Ecclesiae unitate », ponatur « pro christianorum unitate ». Ratio: sic affirmatio videtur magis exacta.

Pag. 16, lin. 24: substituatur « opportunum » cum « immo et valde optandum est ». Ratio: ad melius exprimendum animum oecumenisticum.

Pag. 16, lin. 26: pro « remota quavis communicatione in cultu officiali » dicatur potius « remota quavis officiali participatione in cultu ». Ratio: ut magis ampla et magis clara sit affirmatio.

Pag. 16, lin. 33: post « ac propterea » mutetur phrasis hoc modo: « non licet habere communicationem in ritibus liturgicis, exceptis casibus in quibus Ecclesia eandem permittit ». Ratio: sic relinquitur via magis ampla ad exercitium oecumenismi.

Ad n. 8. Pag. 17, lin. 1: supprimatur vox « asceticae » et eius loco ponatur « vitae spiritualis ». Ratio: sic expressio evadit magis oecumenica.

Ad n. 9. Pag. 17, lin. 12: supprimatur adverbium « mere » et eius loco ponatur « vero ». Ratio: ut excludatur revera spiritus polemicus.

Pag. 17, lin. 15: divisio hic proposita videtur inconveniens; prae oculis habendum est schema *de Ecclesia* in quo talis divisio reiicitur.

Pag. 17, lin. 16: supprimatur verbum « viri ». Ratio: ne a labore missionali mulieres excludendae videantur.

Ad n. 10. Pag. 17, lin. 31: loco « profunde et recte et perspicue » dicatur « et profundius et rectius et exactius ». Ratio: Non est solummodo quaestio nominalis; adsunt enim plures expositiones theologicae in quibus desideratur haec profunditas et rectitudo et exactitudo, et hoc factum agnoscendum videtur.

Pretium operis esset etiam ut aliqua pericopa inseratur ad exhortandum populum christianum ad vitam religiosam et cultualem magis puram. Est enim hoc punctum magni momenti pro christianis separatis et oportet excessus agnoscere et corrigere.

Ad n. 11. Pag. 18, lin. 6: post verbum « fundamentis » addatur « sive in scientiis et bonis artibus spiritu christiano provehendis ». Ut enumeratio proposita perfectior evadat.

Pag. 18, lin. 13: substituatur vox « christianam » cum « christianorum ». Ratio: sic affirmatio videtur magis exacta.

9

BEAT.MUS P. D. ALBERTUS GORI
Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

Em.mi Patres et venerabiles Fratres,

In cap. II *de Oecumenismo* quaedam sane optima proponuntur ad finem ...[1], seu unionem cum fratribus nostris orientalibus separatis pro-

movendam. Sic sanctitas vitae in Ecclesia catholica, praesertim si clara est in clero suo, fratres separatos suaviter allicit ad unitatem.

Nunc vero quaedam practica vellem addere circa par. 8, scil. *de fratrum mutua cognitione*. Optarem enim in tali materia sanum realismum qui non raro nimis desideratur. In separatione Ecclesiarum, partes habuit etiam insufficientia cognitionis, ne dicam ignorantia. Unde oritur momentum maximum melioris ac plenioris cognitionis, etiam ex parte nostra, non dicam tantum de doctrina speculativa, sed etiam de mentalitate et de statu rerum in Ecclesiis orientalibus.

In primis, uti optime iam dixit exc.mus arch. Laurentius Jäger, *necessaria est* [2] cognitio Sacrae Scripturae, deinde doctrinae et historiae harum Ecclesiarum. Sed hodie, periti in istis materiis mirabiliter multiplicantur, ita ut nulla difficultas possit esse episcopis. Episcopi tamen cavere debent, fortasse aliquando, pressionem nimiam peritorum suorum, et praesertim timere debent peritos illos qui, iusta in specialitate sua auctoritate gaudentes, temere extra materiam suam loqui praesumunt.

Tale periculum nullo modo illusorium est. Me dolet exemplum afferre debere, hic in aula recenter auditum, de statu rerum exsistenti inter Ecclesias separatas orientales et Ecclesias catholicas in Terra Sancta.

Audivimus episcopum tranquille asserentem auctoritates latinas arcere orientales catholicos a celebratione in Sanctuariis Terrae Sanctae. Qui vero peritus est historiae et conditionum Terrae Sanctae, optime scit quantum talis assertio sit falsa et iniuriosa Ecclesiae latinae. Scire debent omnes quod ex virtute regiminis sic dicti « Statu Quo », a Turcis anno 1852 imposito, et deinde a iure internationali pluries sancito, orientales catholicos infeliciter excludi a sanctuariis Calvarii, S. Sepulchri et Nativitatis Domini. Sed qui vero et quidem omnino rigorose urgent talem exclusionem, sunt unice fratres separati. Qui vult, documenta conferre potest... [3]

Praeter vero cognitionem speculativam, doctrinae et historiae fratrum orientalium separatorum, adhuc, illis qui dialogum oecumenicum cum eis inire cupiunt, *opus est habere cognitionem practicam* mentalitatis, sensibilitatis et modi agendi orientalium separatorum. Cognitio ista practica, peritis catholicis absolute necessaria, acquiri non potest nisi certis condicionibus.

Prima certo est illa sympathia seu caritas supernaturalis, cuius Ioannes XXIII f. r. et eius successor, Summus Pontifex Paulus VI f. r., omnibus nobis sunt egregium exemplar. Sed sympathia illa, caeca esse non debet sed semper realistica ne labor oecumenicus vanus evadat. Unde etiam, necessitas supervisionis ab auctoritate episcoporum.

Secunda vero conditio erit *vera familiaritas* seu experientia quae certo supponit diuturnam commorationem inter fratres orientales, et commercium amicabile cum illis.

Saepe tamen distinguenda est distantia quae haberi potest inter declarationes amoenas vel promissorias et realitatem. Verba saepe mere urbanitas sunt, non vero realitas.

Complexitas istius mentalitatis et modi agendi, nonnisi per diuturnam familiaritatem percipi potest. Hoc non clare patet iis qui orientem celeriter percurrunt, quidquid sit eorum peritia speculativa. Qui vero ibi diu commorantur, certo mirantur et timent peritos illos, qui, brevi peregrinatione vel itinere peractis, totam complexitatem orientis comprehendere praesumunt, et cito librum exhaustivum scribere non dubitant.

Concludendo ergo, dicam quod Oecumenismus cum fratribus nostris orientalibus, sympathia supernaturali motus, scientia speculativa debita rite instructus, semper etiam informari debet familiaritate et experientia practica et vere realistica. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Oecumenismi. [2] deest. [3] Nullo modo sunt latini, qui e contra fraterne et libentissime orientales catholicos admittunt ad celebrationem in sanctuariis suis propriis. Officium meum putavi, exemplum hoc concretum praebere mutuae cognitionis debitae, et confutare assertionem falsam et calumniosam.

10

Exc.mus P. D. VILLELMUS CONWAY
Archiepiscopus Armachanus

Venerabiles Patres,

Cap. II huius schematis *ut in pluribus* [1] placet. Nos omnes laetamur de fructibus positivis ex motu versus unitatem christianorum promanantibus: de caritate crescente inter omnes qui christiano nomine gloriantur, de decrescentibus praeiudiciis, suspicionibus et conceptionibus erroneis ...[2] — ita ut via sterni incipiat actioni Spiritus Sancti omnes in unitatem vocanti. Omnino optandum est ut *faciamus omnia,*[3] salva fide et veritate, quae huic fini nobilissimo revera inservire possint.

De hoc *autem* [4] cap. II duo habeo proponenda.

I. Heri in hac aula optime dictum est ab em.mo card. Bea quod

auctoritas localis ad moderandum et invigilandum *motui oecumenico* [5] est episcopus dioecesis. Sed hoc non dicitur in schemate, *et est omissio alicuius momenti.*[6] Propono igitur ut in prima linea huius capitis post verbum « pertinet » addantur verba: « sub auctoritate et vigilantia episcoporum ».

II. In hoc capite aliquae particulares obligationes enumerantur quae omnibus christifidelibus ob debitam unitatis fovendae sollicitudinem incumbunt, utpote obligatio sanctitatis vitae, mutuae fratrum separatorum cognitionis, instructionis oecumenicae et cetera. Ego velim ut aliud membrum huic elencho addatur, videlicet membrum tractans de obligatione et necessitate quod in hac aetate oecumenica ...[7], omnes catholici sibi acquirant profundiorem et semper accuratiorem cognitionem veritatis catholicae. Hoc necessarium esse censeo non solum propter rationes intrinsecas sed etiam propter ipsius motus oecumenici exigentias.

1. Necessarium est ad praecavendum periculum ne claritas vel certitudo ipsius doctrinae catholicae aliqua confusione obscuretur in mentibus nostrorum fidelium catholicorum, ne catholici in errorem vel incertitudinem dilabantur circa doctrinas quae iam certae et definitae sunt. Quod hoc periculum revera exsistat nemo est, ni fallor, qui non admittat. Nec sufficit ...[8] ut ii qui dialogo formaliter intersunt speciali formatione theologica muniantur. Omnes enim dialogo oecumenico hodierno plus minusve exponuntur, nam dialogus cursum habet in ephemeridibus, in televisione ceterisve mediis modernis communicationis socialis. Medium vero principale ad istud periculum excludendum vel saltem minuendum est instructio religiosa, clara et accurata, nostrorum omnium fidelium in tota doctrina catholica.

2. Secundo vero, hoc urgeo quia clara et profunda veritatis catholicae cognitio est ipsaemet actionis oecumenicae potens instrumentum, quia ideo christifideles deveniunt, ut S. Petri verbis utar, « parati semper ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea quae in illis est spe ». Ex alia parte nihil magis motui oecumenico nocivum est, neque fratribus separatis magis fallax atque frustrans, quam conversari cum catholicis qui ipsi ideas confusas vel erroneas habent de doctrinae catholicae genuino sensu. Absit ut frater separatus unquam dicere *habeat* [9]: « Cum tali quidem individuo catholico libenter assentior, sed nescio an ipse doctrinam suae Ecclesiae recte intelligat ».

Propono ergo ut huic cap. II nova paragraphus addatur de obligatione omnium catholicorum in hac aetate oecumenica sibi acquirendi profundiorem et accuratiorem cognitionem totius veritatis catholicae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in genere. [2] quae hucusque viguerunt. [3] omnia fiant. [4] vero. [5] motum oecumenicum. [6] deest. [7] uti nonnunquam vocatur. [8] praescribere. [9] debeat.

11

EXC.MUS P. D. MICHAËL KLEPACZ

Episcopus Lodzensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcoporum Poloniae.[1] Una et unica Dei Ecclesia iam a primordiis schismata quaedam passa est. Sequentibus vero saeculis ampliores natae sunt dissensiones et sat magnae communitates a communione Ecclesiae catholicae seiunctae sunt. Post tot saecula separationis via ad unitatem haud exiguas praebet difficultates, quae superandae sunt paulatim oecumenismi exercitio. De hac agit praecise cap. II schematis.

Oecumenismi activitas quinque principales praeseferre videtur aspectus. Imprimis importat interiorem Ecclesiae renovationem, quae secumfert conversionem cordis ac sanctitatem vitae. Momentum talis renovationis patet ex eo etiam quod non desunt homines — ut fuit v. g. illustris vir Mahatma Gandhi — qui magni faciebant doctrinam christianam sed *mirati sunt de tepiditate et indifferentia*[2] christianorum. Idem vero valet de mutua communitatum christianarum aestimatione. De hac interna Ecclesiae renovatione sermo fit in cap. II schematis, sub punctis 4, 5 et 6, quae forsitan — magis concise expressa — ad unum reduci possunt.

Secundo: Oecumenismi exercitium innititur reditu ad primigenia testimonia fidei christianae, qua de re vix aliquid habetur in cap. II. Desideratur vero aliqua paragraphus specialis in lucem ponens momentum talis reditus in exercitio practico oecumenismi. Agitur nempe de meliore intelligentia et maiore usu Scripturae Sacrae necnon de profundiore cognitione traditionis postbiblicae, maxime in liturgia expressae, qua alitur fides populi christiani. Scripturarum enim sapientia pietatis formam omnibus christifidelibus communem praebet ideoque verum fundamentum unitatis esse potest. Oportet proinde ut Revelantis Dei Verbum magis in dies cibum vitae spiritualis fidelibus praebeat. « Ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est », ut signanter S. Hieronymus affirmat. Etenim non ut cuiusvis libri lectura lectio Sacrae Scripturae aestimanda est, sed plane ut viva Patris caelestis et filiorum con-

versatio. De nullo umquam alio, sed de evangelii verbo dumtaxat Ecclesia dicit: « Per evangelica dicta deleantur nostra delicta »...[3]

Scimus quantopere multi christiani a nobis seiuncti colant litteralem sensum Sacrae Scripturae. Quare nos quoque magis colere debemus sensum illum Scripturae a Deo intentum et ab auctore inspirato in diversis generibus litterariis expressum. Ita in veritate aliquantulum faciliorem reddemus viam versus unitatem populi christiani restaurandam. Procul dubio Sacrarum Scripturarum studio etiam theologicae disciplinae iuvenescent et sic theologis christianis a nobis separatis Ecclesia ipsa cum novo vultu apparebit, sine ruga et macula. In commendando vero studio Sacrae Scripturae ratio in specie habenda videtur necessitatis alicuius sanae et scientifice elaboratae theologiae biblicae historiae salutis, quae adiuvabit nos in intelligenda ipsa historia Ecclesiae cum eius momentis serenis et obscuris...[4]

Tertio: Fratrum mutuam cognitionem fovere oportet. In hac re sermo fit sub punctis 8, 9 et 10 schematis, ubi inter alia dicitur: « Catholici acquirant oportet omnino meliorem fratrum separatorum doctrinae et historiae, vitae cultualis et asceticae cognitionem »...[5] Maxime hic sublineanda videtur necessitas ut tali modo et sermone fidem nostram exponamus, ut ab omnibus, in quantum fieri potest, lucide comprehendatur...[6]

Dialogus vero considerandus est ut quartum fundamentum exercitii oecumenismi. In dialogo — ut par est — semper veritas quaerenda est ideoque ratio habenda integrae fidei catholicae. Attamen, pro diversis adiunctis, peculiares aspectus fidei nostrae magis sublineari poterunt. Scimus etiam praeter absolutas fidei nostrae veritates haberi sententias theologorum, opiniones scholarum, consuetudines et normas iuridicas quae, etsi venerabiles, saepe a circumstantiis historicis, culturalibus et psychologicis pendent ideoque non sunt immutabiles. In dialogo cum fratribus separatis haec omnia maxime attendenda sunt, ne valor absolutus tribuatur rebus quae valorem talem nullo modo habent. Prae oculis habeatur proinde adagium illud: « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas », necnon verba illa celeberrima S. Augustini: « Veritas nisi totius animi viribus concupiscatur, nullo modo inveniri poterit ». Quae veluti principia sunt dialogi oecumenici — valida etiam in relationibus cum ceteris hominibus a nobis dissentientibus. In praxim vero deducantur oportet non solum a nobis, sed etiam a fratribus seiunctis, qua de re ipsi certo certius nobiscum consentient.

Quod formam dialogi attinet, motui versus unitatem multum conferre possunt sive dialogi individuales cum fratribus separatis, sive de theologicis quaestionibus ex utraque parte conventus, in quibus catho-

lici viri cum fratribus seiunctis etiam in oratione consociantur. Exoptatur quoque maior cooperatio in campo sociali et caritativo. De his quaestionibus plura utique inveniuntur in nostro capite, sed nihilominus paragraphus peculiaris desideratur de dialogo utpote forma quaedam practica oecumenismi exercendi.

Supremum tandem oecumenismi exercitium in oratione pro christianorum unitate consistit. De hac unanimi precatione quaedam notantur sub puncto 7. Sed addendum videtur orationem talem non solum correspondere voluntati Christi Patrem pro fidelibus orantis « ut omnes unum sint » ...[7] sed etiam effectum salutarem — et quidem immediatum — in animis producere, inquantum dissipat antiquiores inimicitias et mutuum caritatis affectum creat, *quae*[8] aspera in vias planas mutantur et invia iter tutum fiunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] aversi sunt ab ea propter tepiditatem et indifferentiam. [3] Utinam studium scientificum — qui verus est apostolatus — et lectio S. Scripturae deleant delicta quae temporibus transactis ansam praebuerunt infelici separationi disiungenti populum christianum. [4] Sed Ecclesiae a nobis separatae verbum Dei peculiari quoque solemnitate celebrant in liturgiae laudis actione, cuius pars necessaria inde ab exordiis fuerat Scripturarum lectio ad fidelium in fidei mysteriis institutionem. Ex parte proinde nostra maior habeatur veneratio erga illas traditiones liturgicas, Verbo Dei Revelantis innitentes, ut hortatur nos quoque constitutio *de sacra Liturgia,* quae promovendum decernit in usu liturgico illum suavem et vivum S. Scripturae affectum (punctum 24). Sic nobis praesto erit aliqua venerabilis forma oecumenismi exercendi. [5] (pag. 16-17). [6] Scimus enim ex exemplo P. Teillard du Chardin — cuius non omnes utique hypotheses accipiendae sunt — quantopere usus sermonis et modus exponendi correspondens conceptionibus, culturae et psychologiae auditorum vel lectorum, idoneus sit ad praeventiones contra fidem nostram dissipandas et dialogum instaurandum cum viris qui aliter ac nos censent. [7] (*Io.* 17, 21). [8] quo.

12

Exc.mus P. D. ANTONIUS CARDOSO CUNHA

Episcopus tit. Barenus in Pisidia, aux. Beiensis

Venerabiles Patres,

Inter problemata quae attentionem S. Matris Ecclesiae in praesenti momento suae peregrinationis terrenae sollicitant, maximum momentum habet unio cum communitatibus christianis quae, in decursu temporum, ab ea se separaverunt.

Divino afflante Spiritu, sincera voluntas eas invadit adimplendi desiderium in oratione sacerdotali Christi expressum: *ut sint unum...*[1]

Horam vivimus gratiae et misericordiae. Oportet ergo ut omnia membra Corporis Christi mystici vividum sensum habeant suae responsabilitatis et omnibus viribus ad unitatem instaurandam laborent.

Hoc valet praesertim pro nationibus ubi magna pars populi constituatur ex fratribus seiunctis.

Cap. II schematis bene nobis indicat media quibuscum unusquisque nostrum concurrere debet.

Liceat tamen mihi aliquas breves observationes facere de iis quae dicuntur de dialogo cum fratribus separatis, in pag. 16, sub n. 8.

Non omnes possunt hunc dialogum instituere. Ad hunc laborem, in quo spes magna ponitur, necessarii sunt homines specialibus dotibus praediti. Habet hic difficilis apostolatus suam propriam paedagogiam. Indiget magna cultura theologica, praesertim biblica et patristica; solida formatione spirituali; cognitione profunda historiae, mentalitatis et linguae eorum cum quibus loquendum est. Praeterea cum tam diversae sint communitates seiunctae, necesse est ut pro unaquaque adhibeatur peculiaris methodus.

Non possumus loqui cum orthodoxis eodem modo ac cum protestantibus. Aliter agendum est cum lutheranis ac cum calvinistis vel cum anglicanis.

Paucis verbis: apostolatus cum fratribus nostris seiunctis solummodo possibilis est si habeamus homines cum vocatione speciali vel utendo termino qui in nostro Concilio fortunam invenit qui, ad hoc, *charisma* habeant.

Certum est quod in Ecclesia Sancta Dei, divina Providentia sic disponente, nunquam defuerunt homines iuxta temporum exigentias.

Meminerimus, venerabiles Patres, Ioannem XXIII, sanctae memoriae, et amantissimum Papam nostrum Paulum VI qui, pro hac quaestione oecumenica sunt Pontifices quos postulabant necessitates Ecclesiae...[2]

Conventus cum fratribus seiunctis haberi fructuose non possunt nisi magna cum prudentia et cautela, quia periculis non carent.

Alioquin maius nocumentum quam fructum afferent.

De hac materia habemus claras normas a Suprema Congregatione Sancti Officii promulgatas anno 1949, die 20 decembris, in illa celeberrima Instructione *De motione oecumenica...*[3]

Hae praescriptiones retinent omnem suum valorem et actualitatem et ideo, meo quidem iudicio, maiore cum claritate et latitudine transcribendae sunt.

Constitutiones conciliares sine dubio brevitate et concisione exarari debent. Sed hoc solummodo tantum quantum fieri possit ita ut non deficiant ea quae necessaria sint.

Iam a primo exc.mo relatore nobis promissum est Directorium ad dirigendos, post Concilium, pedes nostros in laboribus apostolatus oecumenici. Grato animo accipimus hanc promissionem. Attamen, nostra humillima opinione, grave esset omittere in textu conciliari normas claras et praecisas ut in dictis conventibus perveniamus ad mutuam et meliorem comprehensionem in caritate Christi.

His dictis, audeo proponere:

1. Determinentur maiore cum claritate et praecisione condiciones sine quibus conventus cum fratribus seiunctis fieri non possunt, iuxta normas Instructionis memoratae Supremae Congregationis Sancti Officii.

2. Omnino apparet necessitas organi permanentis et centralis, ad instar *Secretariatus pro Unione,* quod, Concilio finito, omnes quaestiones cum motione oecumenica connexas dirigat.

3. In nationibus in quibus magna pars populi ad communitates christianas seiunctas pertineat, foveantur et adiuventur societates quae, sub vigilanti cura episcoporum, ad studium oecumenismi incumbant. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Io.* 17, 22). [2] Mentione speciali dignus est em.mus card. Augustinus Bea, qui non solum purpura cardinalitia eminet, sed praesertim tali scientia et virtute ut in hora conciliari sit homo vere providentialis. [3] (*A.A.S.*, 42, 1950, p. 142 ss.).

13

Exc.mus P. D. IOANNES GAY
Episcopus Imae Telluris et Pointapitrensis

Venerabiles Patres, dilecti Observatores,

Principia, quae per decursum disceptationis cap. I *de Oecumenismo* in mentes evocata sunt, nunc ad effectum concretum adducere debemus. Una autem ex consequentiis immediatis spiritus oecumenici consistit *in necessitate renovandi nostras methodos in actione missionaria.*

Dialogus *lucidus,* et *caritate plenus,* iam initium habuit inter christianos.

Lucidus, quia hodie tempus praeteritum mente sincera et proba conspicimus. Tantae vituperationes, quae ad invicem perferimus, et qui-

dem cum obstinatione, ex praeiudiciis saepe et confusionibus exoriuntur!

Dialogus *caritate plenus*. Certe, tempus illud abiit et recessit, in quo bella inter fratres gerebantur, in quo adversarii sese in acie aggrediebantur. Attamen, etiam hodie, nimium numerosi sunt sive catholici sive reformati, qui spiritum latentis hostilitatis adhuc in corde retinent. Hoc autem plane contrarium est menti Concilii Vaticani II, de quo Summus Pontifex Paulus VI, sicut et Papa Ioannes XXIII dixerunt « quod Concilium non aliud sit quam invitatio fiduciosa ad participationem ampliorem et magis fraternam genuini Oecumenismi ».

Effectus Concilii sane non subito exspectandi sunt. Sed Romanus Pontifex exoptat ut iam nunc efficiatur « primus passus » ad reconciliationem eorum qui eodem Evangelio pascuntur.

Primus ille passus exigit ut ex spiritu oecumenico plene imbuatur vita baptizatorum, scil. eorum modus agendi et cogitandi.

Ostendere vellem *momentum renovationis conceptus nostri de actione missionaria,* quae revera tamquam centrum est quaestionis oecumenismi et quae eminenter concordat cum isto *pastorali* fine instanter a Summis Pontificibus commendato.

Nequaquam hac in re progredi potest, si methodos nostras non reformamus in campo missionario. Saepius etenim praeceptum caritatis fraternae plane deficit in relationibus inter fratres, qui eumdem Christum invocant, et hoc non parvum est scandalum coram paganis, quando christianos vident, qui sese nomine ipsius Evangelii acriter vituperant. Regnum Dei minime promovetur per vim et violationem conscientiis impositam, sed per servitium in caritate et humilitate hominibus praestitum. Quanta et qualis contradictio esset, si coetus electus episcoporum et observatorum conaretur ad mutuam comprehensionem et fraternitatem pervenire, et si eodem tempore agmina eorum discipulorum in infausto certamine perseverarent!

Ut late « pateant ostia Unitatis », iuxta votum Summi Pontificis, necesse est imprimis ut e medio tollantur discussiones steriles et divisiones.

Nonne possibile esset, occasione huius Concilii, aliqua modo practico et in communi decernere, ut sic promoveatur ampla motio oecumenismi? V. g., quae sequuntur:

1. Ut ex hoc nunc vitaretur fideles alius communitatis ad propriam fidem trahere.

2. Ut hoc satis esset, Christum manifestare solummodo eis qui ipsum plane ignorant, v. g. paganis qui degunt in regionibus missionis, vel illis qui non sunt baptizati et nullam religionem colunt.

3. Salvis certis casibus (i. e. quando agitur de personis quae altius surgere vellent in agnitione rerum Evangelii), ut valde leniter et scrupulose procedatur cum hominibus iam baptizatis, qui aliae confessioni christianae adhaerent.

4. Cum aliquis ad aliam communitatem transire cupit, v. g. occasione matrimonii, quare hoc in casu non haberetur colloquium sincerum cum ministro illius communitatis? Hoc esset signum, non solum urbanitatis, sed etiam verae caritatis.

5. Denique, ut valde prudenter procederetur, quando agitur de personis quae in proprio coetu religioso pacem interiorem non invenerunt; hoc enim saepius procedit ex motivis peculiaris sensibilitatis aut deceptionis, vel ex ignorantia. Experientia constat quod mutatio confessionis religiosae, speciatim quando de simplicibus vel rudibus agitur, saepe animos profunde disturbat, et non raro ad ruinam totalem fidei perducit.

Ut omnia summatim dicam: debemus omnes id intendere, ut beneficia oecumenismi ad nostras methodos in apostolatu extendantur. Oecumenismus solum « flatus vocis » esset, si populum Dei et suos ministros non afficeret, et si applicationem suam concretam in vita nostra non inveniret. Dixi.

14

EXC.MUS P. D. AUGUSTINUS FARAH

Episcopus Tripolitanus Melchitarum

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Schema *de Oecumenismo* sibi proponit, sicut oritur de hoc cap. II, ut Oecumenismus ab hoc Sacrosancto Concilio approbetur ut methodus accuratior ad unitatem christianorum promovendam.

Porro, haec approbatio libenter concedenda est oecumenismo. Attamen, consideranda sunt sequentia, respectu habito, praesertim, ad fratres separatos orientis:

1. Non videtur Oecumenismus approbandus, ut methodus exclusiva, in omnibus casibus et adiunctis; etenim, non omnes fratres seiuncti illam tantum habent rationem ut extra catholicam Ecclesiam maneant, rationem nempe quae olim separationem causavit. Sunt enim qui plus perpendant colere Deum in Ecclesia catholica, sine mora, quam exspectare horam, licet benedictam, attamen incertam, reunionis totius Ecclesiae. Aliunde, sunt casus, in quibus solum exemplum, vel testimo-

nium vitae christianae non videtur sufficere: quid tunc impedit quominus coniungatur exemplum cum ipsa praedicatione Evangelii? Quae praedicatio, sine ullo interesse humano facta, non confundenda est cum falso proselytismo: ipse enim Dominus dixit apostolis: « Ite et docete ». Nonne ipsa veritas, proprio lumine, et vitata omni vana discussione, corda allicit et animas?

2. Ipsa methodus oecumenica, ne maneat mere theoretica et sterilis, debet, ut videtur, coniungi cum aliquibus mediis practicis:

a) In textu (n. 10), dicitur curandum esse « de modo exprimendi et exponendi doctrinam fidei ».

Sed curandum est, et etiam, de huius doctrinae fidei concordantia, ut ita dicam, et de eius aptatione quoad applicationem: scil. Oecumenismus sibi proponere debet ut eadem veritas appareat credita et admissa, licet diversimode expressa; etenim certum est differentias inter catholicos et orthodoxos pertinere, saepius, plus ad modum dicendi, quam ad ipsam rem.

Certe, difficultas ex Primatu Romani Pontificis non videtur esse tantum in modo dicendi, sed in ipsa re. Attamen, hic etiam, multum adiuvat ad unitatem modus Primatum exprimendi et, praesertim, illum exercendi. Revera, debet verbum nostrum esse integrum, et Primatum firme teneri et exerceri; sed, in praxi, non est inconveniens, immo necesse est ut aptetur. Ideo, ratione habita non tantum mentis orientalium inde a saeculis in propria autonomia viventium, sed etiam et spiritus Evangelii, ita aptari debet Primatus, ut iugum Petri non sit revera gravius quam ipsum iugum Christi, quod est, ipso Christo testante, leve et dulce. Ita debet etiam aptari Primatus, ut non appareat incompossibilis cum institutionibus, in oriente, traditionalibus et communibus, et quae videntur promovendae, ut sunt: potestas patriarchalis plene exercita, sive ipsius patriarchae, sive synodi patriarchalis; potestas episcopalis plene affirmata et plene exercita; et tandem, collegialitas episcoporum plene affirmata et exercita, in ambitu alicuius realis decentralisationis in gubernio Ecclesiae.

b) Ex textu *passim et praesertim* [1] in n. 5, oritur curandum esse de « caritate » inter christianos.

Ad cuius applicationem videtur promovenda esse caritas Christi, primo inter ipsos catholicos, et deinde erga acatholicos. Et ideo recognoscenda est disciplina nunc vigens, ita ut veram caritatem *Christi* [2] illustret: ad hoc veniunt mitigationes afferendae ad legislationem de communicatione in Sacris, de matrimonio mixto, etc., quae res sunt maximi momenti in relationibus quas quotidie habemus, in oriente, cum fratribus separatis.

c) Tandem, in textu (n. 11), commendatur « cooperatio cum fratribus seiunctis » in materia sociali.

Certe hoc perutile est; attamen non videtur sufficiens: praestanda est nostra cooperatio etiam ad incrementum vitae spiritualis, ita ut crescat, et apud separatos, et sanctitas et humilitas atque scientia de divinis. Praestanda est etiam generose nostra cooperatio, praesertim, ad promovendas, apud eos, novas fundationes monasticas et religiosas: monasteria, enim, et religiosae domus, haec habitacula fidei, orationis et laboris, semper partes maximas egerunt in renovatione spirituali in Ecclesia, et proinde in conatu ad unitatem.

Per modum exempli, liceat citare monasterium orthodoxum, recenter fundatum, in Deir-El-Harf, in Libano; ubi monachi, adhuc paucissimi, sed veri monachi, spiritu Dei afflante, vitam agunt secundum disciplinam authentice monasticam, adiuti, in hoc, a sacerdotibus orthodoxis simul et catholicis, et catholicorum auctorum operibus instructi.

Hoc modo, vera cooperatio fit in renovatione interna, spirituali et ascetica, ad quam oportet, ex omni parte et mediis quam efficacibus, pervenire. Haec interna renovatio, et spiritualis maturatio, debent esse finis attingendus, secus Oecumenismus manet externus et inanis. Haec autem maturatio iam ipsa est Unitas anticipata, in exspectatione illius diei Domini, in qua Unitas, plena et visibilis, consummabitur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

15

Exc.mus P. D. ALFONSUS SÁNCHEZ TINOCO
Episcopus Papantlensis

Em.mi ac rev.mi Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Ad cap. II schematis decreti *de Oecumenismo* quod attinet, in genere placet; attamen haec liceat mihi adnotare.

In hoc capite agitur *obiter* tantummodo de caritate fraterna quando de mediis ad promovendum oecumenismum sermo fit; meo autem humili iudicio tale est momentum caritatis fraternae in motu oecumenico, ut specialem partem occupare debeat in hoc capite. Etenim:

1. Ut docet nos ipsemet Christus Dominus, spectaculum caritatis fraternae est quod maxime nostram unitatem obtinebit, iuxta illa verba:

« Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti »...[1]

2. Aedificatio Corporis Christi mystici in caritate fieri debet, ut *apparet, v. g., in Epistola*[2] ad Ephesios: « Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus; ex quo totum corpus... secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate »...[3]

3. Legitur in cap. I huius schematis: « En unitatis Ecclesiae sacrum mysterium, cuius supremum exemplar et principium est unitas Patris et Filii in Sancto Spiritu »; nunc vero, nonne caritas est vinculum essentiale Trium Divinarum Personarum? « Deus caritas est ».

4. Historia primorum temporum Ecclesiae clare ostendit influxum caritatis in conversione proximorum.

5. Omnia alia media ad oecumenismum promovendum debent inspirari, sustineri necnon informari caritate ut summam habeant efficacitatem; sic apparet in prima ad Corinthios ...[4]: « Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens ».

6. Caritas apostolo oecumenismi obtinet plenitudinem virtutum quibus eget ad suum munus rite adimplendum, *v. g.*[5] zelum, patientiam, humilitatem, ...[6] ut apostolus ait: « Caritas patiens est, benigna est, etc. »...[7]

7. Psychologice re considerata, caritas summi momenti est ad oecumenismum. Haec tantum animadvertamus: ipsa confidentiam gignit, corda aperit, obstacula ruere facit; uno verbo, caritas naturaliter allicit.

8. Denique ut optime aiebat noster Ioannes Papa XXIII, felicis recordationis, pulchritudo Ecclesiae coram oculis mundi clare apparens, erit optimum medium adducendi omnes ad eam; iam vero, caritas quam maxime hanc pulchritudinem Ecclesiae mundo splendescere facit. Quod clare apparet percurrentes praecipuas Ecclesiae figuras biblicas. Nam:

a) quid aliud omnibus gentibus mysticam Sponsam Agni *speciosissimam*[8] ostendit, amore, docilitate ac mansuetudine plenam, nisi caritas?

b) nonne caritas constituit mirandum spectaculum Templi Dei sese aedificantis super vivos lapides et ubi Deus obsequens commoratur?

c) quid aliud splendescere faciet Corpus Christi mysticum et apparere in eius partium harmonia, in eius validitate, in eius perfecta aedificatione ac vitali functione, nisi caritas?

d) caritas dat mortalibus pacem et beatitudinem in Regno Christi

ubi omnes servi adimplent eius praecepta et laborant ad eiusdem dominationem augendam.

e) caritas mundo patefacit plenam pulchritudinem fecundae Vitis quae, palmitibus plena, mura civitatis conscendit.

f) fraterna caritas est figura Boni Pastoris qui oves suas sub unico ovili collocat.

g) caritas fraterna nos in caelum ducit ut gaudeamus beatitudine Magnae Familiae Dei, ubi et Pater Deus et nos omnes fratres et cohaeredes Christi.

Concludo. Unde ex dictis, reverenter postulo ut in hoc capite addatur specialis paragraphus ubi appareat momentum caritatis fraternae in oecumenismo atque criteria fundamentalia proferantur, ut in actione Ecclesiae haec virtus partes habeat. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Io.* 17, 21). [2] apud illud apostoli. [3] (*Eph.* 4, 15-16). [4] (13, 1 ss.). [5] scil. [6] etc. [7] (*1 Cor.* 13, 4 ss.). [8] deest.

16

Exc.mus P. D. FRANCISCUS HENGSBACH

Episcopus Essendiensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Loquor ad n. 11 « De cooperatione cum fratribus seiunctis ». Inspicite, quaeso, pag. 17.

Ibi sermo est de cooperatione in re sociali facienda, tam in campo nationali quam internationali. Propono duo puncta:

1. Ut explicite dicatur, hanc cooperationem appetendam esse non tantum a singulis christianis et ab associationibus christianorum, sed etiam ab ipsis communitatibus ecclesialibus, e. g. ab una vel pluribus dioecesibus catholicis cum communitatibus parallelis protestantium. Liceat mihi, hic commemorare aliquod experimentum, quod factum est cooperantibus pluribus dioecesibus in Germania in territorio industriali, quod vocatur a « Ruhr ».

Agitur de actionibus quibusdam instituendis in fabricis carbonum ad hunc finem, ut condiciones humanae et sociales in ipsis fabricis perficiantur. In his actionibus participant, et tamquam docentes et tamquam audientes, catholici et non-catholici, opifices et directores, clerici

et laici. Domus, in quibus cursus peraguntur, sunt vel catholicae vel protestantes.

Actio impossibilis fuisset, si conati essemus, catholicos et protestantes separare, qui in fabricis semper collaborant.

Evitari debent — uti patet — pericula indifferentismi et falsae communicationis in sacris, et evitari possunt. Ad hoc enim, participantibus peritis ex his fabricis, a catholicis et protestantibus auctoritatibus normae statutae sunt. De industria etiam non adhibemus appellationem « cooperationis interconfessionalis » sed vocem « cooperationis — det mihi veniam em.mus D. Bacci — cooperationis conconfessionalis ».

Experimentum iam experientia duodecim annorum gaudet et optimos fructus dedit tam in campo sociali quam oecumenico.

Haec cooperandi forma etiam prudenter suadenda est in campo internationali, nempe quod attinet cooperationem christianorum ad hoc, ut nostrae aetatis aerumnae uti fames, analphabetismus et similia in integris nationibus et regionibus vinci possint. Omnes scimus, non solummodo Ecclesiam catholicam hisce adlaborare, sed etiam communitates christianas non-catholicas. Per cooperationem organisatam inter competentia officia catholica et non-catholica efficientia huius activitatis socialis multum augeri posset, et scandalo, quod praebet divisio christianorum in mundo, opponeretur exemplum solidarietatis. Patet etiam in hoc campo praecavenda esse pericula alicuius indifferentismi.

Quae dixi de cooperatione in campo sociali, etiam applicari possunt — saltem in regionibus mixtae religionis — in campo politico. Etiam hoc experientia docet. Si enim auctoritates catholicae et non-catholicae communiter quaerunt solutiones pro difficilibus problematibus vitae religiosae publicae ordinandae, et quidem antequam auctoritas civilis decidat, multae inconvenientiae evitantur et pax religiosa in communitate politica melius servatur.

2. Propono, ut post n. 11 addatur numerus, quo explicite providetur, ut principia huius decreti etiam respiciantur in revisione C.I.C. Haec principia enim oecumenismi postulant, ut in Codice diligenter examinentur e. g. omnes normae, quibus reguntur matrimonia mixta. Meo humili iudicio tota haec materia hoc in Concilio adaequate absolvi nequit. Requiruntur studia profunda et nova de aspectibus theologicis, iuridicis, socialibus et pastoralibus totius quaestionis, respectu habito diversitatis regionum in mundo. Est quaestio, quae milies milia familiarum dolorose afficit, et quae etiam inter maximas difficultates oecumenismi recensenda est.

Ante talem revisionem Codicis etiam dialogus institui posset cum non-catholicis de hac quaestione. Ab hoc dialogo enim exspectandum

esset, fratres nostros seiunctos videre, iuris disciplinam catholicam non procedere ex defectu veri et sani oecumenismi, sed imprimis ex complexitate ipsius materiae. Dixi.

17

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

Em.me Moderator, venerabiles Fratres, carissimi Observatores et Auditores,

Hoc cap. II omnino placet. Ordinate enim et complete prout fieri potest, in lucem ponit media praecipua quorum adunatio quam maxime favet ad unitatem christianorum promovendam. Et recte quidem inter illa praeprimis proponitur ipsa ipsiusmet Ecclesiae renovatio.

Circa hanc renovationem *duo* [1] animadvertere liceat: 1. quoad huius indolem exteriorem et veluti institutionalem; 2. quoad huius extensionem *speciatim quoad eius causam, veluti* [2] motivam, scil. nos episcopos.

1. *Quoad indolem exteriorem et institutionalem huius renovationis.* Etsi ab intus, immo ab intimo corde procedere debeat haec renovatio, oportet prius hanc manifestari *exterius* et, secundo, sese protendere non solum ad personas *individuales* sed etiam ad coetus seu *communitates,* immo ad *institutiones* et structuras. Est tota civitas, scil. Ecclesia veluti supra montem posita quae lucere debet nova luce sanctitatis evangelicae « omnibus qui in domo sunt », scil. omnibus inhabitantibus humanam societatem. Ab illis qui foris sunt Ecclesia non iudicatur tantum secundum sanctitatem vel etiam proh dolor pravitatem quorumdam membrorum suorum sed etiam secundum apparentias visibiles, v. g.: monumenta ac caeremoniae cultus publici; relationes *Ecclesiae* [3] cum potestatibus civilibus, socialibus, oeconomicis; domus ubi habitamus et ubi collocantur opera nostra educationis, apostolatus, etc.; *breviter, stylus vitae Ecclesiae*; [4] etiam positiones *doctrinales et morales* [5] Ecclesiae in re sociali et oeconomica; positiones Ecclesiae quoad problemata hodierna maxima, pacis et belli, etc.

Haec omnia non tangunt structuram essentialem dogmatis et iuris divini sed tantum modum agendi, *haec omnia* [6] non possunt *secundum voluntatem Christi* [7] ullo modo abscondere vultum authenticum scil. evangelicum quem Christus vult pro sua Ecclesia cum qua intimo ligamine vitali semper coniungitur. Secundum votum Papae nostri *amantissimi* [8] Pauli VI in allocutione in initio huius sessionis, *secundum votum, dico, ab illo pronuntiatum,* [9] utinam posset Ecclesia renovata, *puri-*

ficata,[10] declarare, humiliter quin timeat contradictionem: « Qui videt me, videt Christum ».

2. *Quoad extensionem huius renovationis et causam eius motivam scil. nos, episcopos.* Quinam, quaenam personae ad hanc renovationem vitae invitantur? Fideles, sed etiam praeprimis pastores ...[11]; *hoc dicitur in n. 4 nostri schematis,*[12] non exclusis, *dicitur,*[13] his qui in ordinibus sacris constituti sunt ...[14]. Immo isti prae ceteris ad hanc conversionem cordis enixe invitantur. Et quidem recte. Etenim secundum Christi voluntatem *quae* [15] sacram hierarchiam Ecclesiae instituit, renovatio huius Ecclesiae non fiet vel saltem non attinget optatam amplitudinem nisi initium sumat in actione atque exemplo pastorum.

Nonne, dilectissimi Fratres, sumus revera veluti in ipso corde, *in ipso cardine* [16] Concilii quando de hac renovatione loquimur?

Nonne Ioannes XXIII ad hoc praecise nos omnes convocavit ...[17]?

Atqui omnis vera renovatio incipere debet a conscientia lucida et vivida carentiarum, defectuum, omissionum. Nonne oporteret antequam fideles ad examen conscientiae et ad paenitentiam invitemus, quod prius nosmetipsi pectus nostrum sincere et humiliter percuteremus?

Accidere enim potest quod nos, etsi saltem inconscie et indirecte, partes habeamus in tepiditate, in indifferentia, immo in peccaminosa vita horum qui nomine catholico decorantur. Si nostra aetate, uti omnibus nobis compertum est, Ecclesia *indiget renovatione,*[18] nonnisi iniuste causa huius situationis ex sola parte fidelium vel ex sola parte influxus mundi externi materialistici quaerenda esset. Nec ceterum sufficit coram fratribus separatis culpas confiteri *antecessorum nostrorum,*[19] anteactae historiae sed etiam usque nunc progredientis.

Parcite mihi, dilectissimi Fratres, si quaedam exempla nunc afferre audeo. *Et quia est hora duodecima, sub forma cuiusdam examinis conscientiae. Breviter* [20]:

I. *Quid fecimus de verbo Dei, speciatim de Evangelio et de eius praedicatione?* Nonne *aliquando Evangelium abstulimus e manibus fidelium nostrorum? Nonne* [21] est aliquid quasi contradictorium in hoc agendi modo: ex una parte fideles, in difficillimis circumstantiis saepe degentes, exhortari ut vitam evangelicam ducant et testimonium pro Christo reddant, dum, ex altera parte, iidem fideles relinquuntur sine cibo spirituali, i. e., sine contactu illo vitali atque immediato cum Evangelio, sive in textu suo originali, sive saltem tramite alicuius praedicationis cuius indoles sit satis scripturistica et christologica?...[22]

II. *Ad cultum et ad orationem eucharisticam quod attinet,* nonne humiliter fateri etiam debemus quod saltem ante influxum recentis renovationis liturgicae participatio populi Sacrificio Missae vel quasi nulla

evaderet vel secundum formas incompletas immo partialiter falsas fidelibus proponebatur? Dum Missa secundum mentem Christi est per excellentiam centrum vitae religiosae populi Dei, *fons viva gratiae et caritatis,*[23] haec Missa devenerat pro multis, et est adhuc in pluribus locis, caeremonia inintelligibilis, aliena, longinqua a praeoccupationibus vitalibus, taedium generans, cui praesentia consentitur saepius propter timorem praecepti infractionis quam propter verum sensum religiosum...[24]

Addi etiam... multa, sed tempus deest... Unum tantum: dicitur in nostro schemate, ubi resumuntur omnia illa media quae renovationem Ecclesiae procurare debent: « Doctrina et activitas Ecclesiae in re sociali ». Circa has res etiam nos interrogare possumus[25]: quid fecimus, *quid parati sumus facere*[26] ad fovendas diffusionem et applicationem Encyclicarum *Mater et Magistra* atque *Pacem in terris?*

Conclusiones secretariatui tradam. Tantummodo volo..., si parcitis mihi, vellem consentire verbis ab em.mo card. Gracias dictis in hac sessione. Utique debemus praeoccupatos esse doctrinae socialis Ecclesiae diffundere et promovere, et hac occasione nonne posset optari quod proxima sessio, si ita placitum esset Summo Pontifici, initium sumeret in examinando schemate XVII?

Etenim... illa pars hominum qui ad Concilium[27]...

Moderator: Exc.me Pater, denique tandem sufficit! Examen conscientiae et aliae res sunt vere utiles, sed non ad rem pertinentes!

Orator: Gratias!

In textu scripto tradito: [1] quaedam. [2] et causam eius. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] pronuntiata. [10] deest. [11] scil. nos episcopi. [12] In textu schematis (n. 4) haec fervens exhortatio ad conversionem cordis fit omnibus christifidelibus. [13] deest. [14] (n. 5). [15] qui. [16] deest. [17] ut ipsam Ecclesiae renovationem alacri studio atque sapientibus ac firmis decretis praeparemus? [18] plurimis carentiis laboratur et quadam renovatione — ne timeamus verbum adhibitum ab ipso Summo Pontifice — indiget. [19] deest. [20] Parcite etiam si in hoc brevi examine conscientiae pastorum per quaestiones procedo. [21] deest. [22] Verba Christi, ut ipse declarabat, « spiritus et vita » sunt, sed ut mirabilem suam exerceant virtutem, debent sicut panis quotidie vel saltem frequenter manducari et assimilari. Filii Dei petierunt panem et nimis frequenter non invenerunt qui eis frangeret. Deo gratias agentes laetamur quidem de progressu quem, hisce ultimis decenniis, Spiritu Sancto inspirante et duce, motus biblici atque conamina adaptationis praedicationis et catecheseos in multis locis iam cognoscunt. Maxima spes inde oritur pro renovatione Ecclesiae. Insistendum tamen est ut hi motus, biblicus et catecheticus, totam Ecclesiam quamprimis pervadere possint necnon omnes dioeceses ac paroecias attingere valeant. Hic autem effectus obtineri non poterit nisi nosmetipsi, magis conscii propriae responsabilitatis in hac gravi materia,

sacerdotibus et seminaristis formationem scripturisticam, theologicam et pastoralem, quae ad haec attendat, diligenter procuremus. [23] actus nempe in quo hic populus praeprimis valeat exercere suum regale sacerdotium et fontem vivam gratiae et caritatis appropinquare potest. [24] Constitutio liturgica ab hoc Concilio elaborata et nuperrime adprobanda, affert revera optimum instrumentum pro inculcando vero actuosae participationis fidelium sensu. Hoc non impedit quominus actualisatio huius constitutionis praeprimis a pastorum vigilantia pendeat. [25] III. Addi etiam posset semper *quoad cultum,* tertium quoddam quaesitum: illa indigentia ordinis spiritualis in qua relinquebantur fideles propter eorum remotionem a cibo Sacrae Scripturae et a vitali participatione Sacrificii Missae fuitne pluries causa vel saltem occasio gravium depravationum vel saltem defigurationum pietatis? Aliquando vertit, speciatim apud fideles minus cultos, in quasdam formas devotionis non ab omni superstitione immunes. Cogitate v. g. de quibusdam deviationibus et excessibus in cultu sanctorum. Quid mirandum? Etenim genuina adoratio Patris in spiritu et veritate in periculo ponitur quando non satis exsurgit ex fontibus ab ipso Christo assignatis et apertis.

IV. Sunt et *alia signa* ac *media* renovationis Ecclesiae quae optime numerantur in n. quarto nostri schematis nempe laicorum apostolatus, vitae religiosae novae formae, matrimonii spiritualitas, doctrina et activitas Ecclesiae in re sociali. Cui forte opportune addetur nova adaptatio vitae paroecialis. Circa omnia haec, si tempus daretur, possent fieri analogae considerationes ut etiam ibi appareat omnia haec ad actum numquam reductura iri sine vigilantia ac zelo episcopi. [26] v. g. [27] Concludo. 1. Indubium est sicut declaratur in primo capite huius schematis quod Ecclesia catholica omnem a Christo revelatam veritatem et omnia instrumenta gratiae detineat ut in ipsa affulgere valeat vultus ipsius Christi.

2. Manifestum est etiam quod his nostris temporibus eadem ipsa Ecclesia potenti Spiritu Sancto ductu impellatur ad illas varias formas veluti complementarias renovationis evangelicae quae in numero quarto huius schematis opportune recoluntur. Haec renovatio in multis locis iam inchoata semper magis ac ubique ad actum est reducenda.

3. Nec tamen obliviscendum:

A) quod hae renovationes, fideles ac coetus fidelium ita profunde attingere debent ut etiam manifestentur in aspectibus exterioribus et institutionalibus ipsius Ecclesiae;

B) quod ad hos effectus ope divinae gratiae obtinendos requiritur praeprimis pastorum cura indefectibilis. Possunt autem ad eumdem finem valde conferre, praeter hanc Sanctam Synodum, sensus fervens et activus collegialitatis episcopalis intra ipsas conferentias regionales vel nationales atque frequentiores contactus inter conferentias nationum, in quibus experientia et etiam dynamismus apostolicus mutuo communicantur.

4. Liceat ibi humiliter aliquod votum proponere circa futuros Concilii labores.

Quia secundum dicta in n. 4 huius schematis « doctrina et activitas Ecclesiae in re sociali » annumerantur inter signa Ecclesiae renovationis saltem sensu lato intellectae, cur hac occasione non posset optari quod proxima sessio, si ita placitum esset Summo Pontifici, initium sumeret in examinando schemate XVII.

Etenim illa pars hominum qui ad Concilium animum attendunt expectant quod nostra Synodus ad magna problemata mundi hodierni quam primum accedat.

Ceterum labores conciliares adhuc postea peragendi circa ipsam renovationis internam Ecclesiae, efficaciores erunt si ducuntur non ab abstracto et a priori sed sub lumine conditionum concretarum temporis hodierni.

Oportet Concilium renovationis (aggiornamento) habeat fenestras super mundum externum quam latissime apertas.

Nunc ad quasdam emendationes conformes his votis venio:

Pag. 15, lin. 6. Ad minus deleatur vox « interior ».

Pag. 15, lin. 7. Quaeratur formula in qua renovatio Ecclesiae etiam in quantum exterius apparens et institutiones ecclesiasticas attingens, clarius definiatur.

Pag. 15, lin. 12. « Spiritualis fidelium renovatio » mutetur in « Spiritualis renovatio pastorum et fidelium » vel melius: « fidelium et praeprimis pastorum ».

Pag. 15, lin. 32. Addatur: Meminerint ergo pastores et praeprimis episcopi ipsos rationem esse reddituros huius renovationis Ecclesiae.

Moderator: Proxima congregatio erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. I SCHEMATIS DE OECUMENISMO

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. I SCHEMATIS DE OECUMENISMO *

1

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

1. In pag. 8, lin. 20, dicerem « Fratres autem qui in Christo quidem *uti oportet* credunt... ».

2. In eadem pag. 8, linn. 33-34 dicerem: « Iis enim Spiritus Christi, *ut pie credere possumus,* uti non renuit... ».

3. In pag. 9, linn. 32-33, omitterem verba « *et in theologicis veritatis elucubrationibus* ».

4. In pag. 10, lin. 29 dicerem « Deinde, *salva cura fidei tuendae,* una cum illis... ».

5. In eadem pag. 10, linn. 38-39 dicerem: « ... commendat *ut prudenter promoveatur et ab ipsis dirigatur* ».

2

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ

Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Ad num. 1. Pag. 7, lin. 10: Post « in aeternum » addatur « et Ecclesiae est unitatis principium ». *Ratio*: ad clarius indicandum momentum Spiritus Sancti pro unitate Ecclesiae.

Pag. 8, linn. 1 s.: Pro his duabus lineis scribatur « Christus Iesus, per apostolorum eorumque successorum munus pascendi, Spiritu Sancto operante... ». *Ratio*: ut magis biblice loquatur.

Ad num. 2. Pag. 8, lin. 14: Loco « schismata » dicatur « dissensiones ». *Ratio*: ut vitetur durities sermonis.

Pag. 8, lin. 15: Loco « Ampliores natae sunt dissensiones » dicatur « graves quoque natae sunt scissurae ». *Ratio*: Stylus, et ad vitandum iudicium de magnitudine differentiarum.

Pag. 8, lin. 23: Loco « constituitur » dicatur « aedificatur ». *Ratio*: ut exactius exprimatur iudicium.

Pag. 8, linn. 23 s.: Post « exstare possunt » addatur: « et maximi quidem momenti ». *Ratio*: oportet suum tribuere momentum istis bonis.

Pag. 8, lin. 24: Post « ... eius saepta » addatur « quae Christus per Spiritum Sanctum operatur ». *Ratio*: ad indicandum fontem istorum bonorum qui implicat vivam relationem ad unitatem.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio clausa est.

Pag. 8, lin. 25: Post « fides, spes et caritas » sequentia hoc modo mutentur: « et nonnulla alia elementa quibus Ecclesiae unitas etiam visibiliter manifestatur ». *Ratio*: ne nimis urgeatur distinctio inter visibilia et invisibilia.

Pag. 9, lin. 1: Pro « in sola » scribatur « Per solam enim catholicam Christi Ecclesiam... ». *Ratio*: ut magis appareat vis dynamica instrumentalitatis Ecclesiae ad salutem.

Ad num. 3. Pag. 9, lin. 17: Pro « filios Ecclesiae » scribatur « Fideles catholicos... ». *Ratio*: sic verior redditur affirmatio nec contradicitur ad affirmationem factam in pag. 8, lin. 21.

Pag. 9, lin. 23: Pro « possideat » dicatur « acceperit ». *Ratio*: magis conformis cum doctrina gratiae secundum quam supernaturalia a Deo proveniunt et a creaturis accipiuntur.

Pag. 9, lin. 24: Post verba « membra eius » sic corrigatur phrasis: « Non omni qua par est plenitudine de ipsis vivunt, ita ut... ». *Ratio*: defectus enim fervoris non est carentia vel indigentia unica in receptione sacramentorum et veritatis revelatae. Utendum est verbo generaliori; « vivere » videtur magis aptum quam verbum « uti ».

Pag. 9, lin. 36: Omittatur « possidebunt et ». *Ratio*: sic affirmatio videtur verior.

Pag. 9, lin. 40: Pro « vestigia » dicatur « divitias ». *Ratio*: affirmatio sic redditur magis biblica ac magis recta et insuper evitantur interpretationes peiorativae vocabuli « vestigium ».

Pag. 9, lin. 27: Phrasis « quantum ad unumquemque eorum attinet » substituatur cum ista alia phrasi « secundum gratiam unicuique datam ». *Ratio*: sic stylus redditur magis biblicus et melius elucet aspectus Ecclesialis.

Pag. 10, lin. 10: Omittatur « aliquantum ». *Ratio*: ne iudicetur de magnitudine obscurationis. Loco « regni divini » scribatur « Regni Dei », quod est magis biblicum.

Pag. 10, lin. 14: Substituatur « ab ecclesiastica communione » cum ista alia phrasi « a plena communione ecclesiastica seiuncti ». *Ratio*: sic sensus accuratius exprimitur.

Pag. 10, lin. 17: Loco « admiratio » ponatur « scandalum ». Ratio patet.

Pag. 10, lin. 30: Post « aestimare » addatur « diligere ». Sic phrasis videtur magis oecumenica.

3

Em.mus P. D. FRANCISCUS card. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Oecumenismus est motus et actio ordinata ad illam unitatem christianam fovendam, quam Iesus Christus ante Passionem suam a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus. Hoc schema ergo incipit ab unitate unius Ecclesiae Christi definienda. Christus Dominus nempe suam Ecclesiam aedificavit su-

per fundamentum apostolorum et prophetarum atque universale mandatum docendi, sanctificandi et regendi concredidit collegio apostolorum, inter quos B. Petrum elegit ut fratrum suorum collegio praeesset atque universum gregem in perfecta unitate pasceret. Haec unitas consistit in confessione unius fidei, in divini cultus communi participatione celebrationeque, necnon in regiminis fraterna concordia. Quae triplex unitas est Ecclesiae omnino essentialis, eiusque supremum exemplar et principium est unitas Patris et Filii in Sancto Spiritu.

Haec quidem est basis oecumenismi sensu catholico, ideoque propono ut titulus totius schematis sit « de Oecumenismo catholico », quo probe distinguatur ab oecumenismo sensu diverso ab acatholicis concepto.

In una et unica Christi Ecclesia saeculis praeteritis exorta sunt schismata et communitates haud exiguae ab Ecclesia catholica seiunctae. Quamvis communitates separatae quaedam elementa verae Christi Ecclesiae servarent, earum separatione factum est ut obscuraretur splendor vultus Christi in sua Ecclesia, et ut regni divini incrementum funeste retardaretur. Immo et pro ipsa Ecclesia difficilius sit plenitudinem catholicitatis exprimere.

Conatus quidem iam facti ad consequendam reunionem communitatum ab Ecclesia separatarum incassum evenerunt, hodie autem tum in Ecclesia catholica tum in ecclesiis separatis preces funduntur et incepta ineuntur ut e medio tollantur obstacula unitatem christianorum impedientia, et ut magis magisque foveatur mutua aestimatio et comprehensio.

Qua de causa Sacra Synodus gaudet hunc cultum oecumenismi in dies augeri, eumque episcopis ubique terrarum commendat, ut sollerter promoveatur et prudenter ab ipsis dirigatur.

Cap. I huius schematis placet.

4

Exc.mus P. D. MICHAEL ARATTUKULAM
Episcopus Alleppeyensis

Cum vox Oecumenismus diversimode intelligi aut interpretari possit, omnino necessarium mihi videtur ut ante omnia definiatur Oecumenismus catholicus. Sane, sub n. 3 cap. I dicitur oecumenismum prout in schemate nostro exhibetur esse motum et ordinatam actionem (Ecclesiae catholicae) ad illam christianam unitatem fovendam quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus. His verbis vere describitur finis quem Ecclesia catholica habere potest et habet in suo Oecumenismo et hunc finem proposuit Ss. Dominus Ioannes Papa XXIII ab hoc Concilio Vaticano II prosequendum.

Christus vero in oratione sacerdotali oravit pro unitate eorum qui in eum crediderant vel credituri erant. Ipse Dominus in principio orationis dixit se non pro aliis in illa oratione orare: « Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi » (*Io.* 17, 9).

Unitas haec habenda est in caritate fraterna ad imitationem ipsius Domini caritatis erga homines. Sed antequam haec unitas in caritate haberi possit, prout Iesus eam vult, debet primum existere fides. Iesus enim orat pro speciali et visibili unitate eorum qui usque ad finem mundi in eum credituri erant: « Non pro eis autem rogo tantum (i. e. pro discipulis tunc in eum credentibus) sed et pro eis, qui credituri sunt per *verbum eorum* in me » (*Io.* 17, 20). Ergo unitas fidei primum requiritur, ut unitas perfecta et supernaturalis in caritate habeatur inter discipulos Christi. *Integritas fidei* in Christum, per *verbum apostolorum,* sive scripto sive oretenus traditae, servanda est ut eius discipuli in pleno sensu simus atque ut oratio eius, pro unitate discipulorum suorum in perfecta caritate, nobis proficiat. Ad restituendam, ergo, unitatem christianorum, primum restauranda est unitas fidei. Nulla unitas, prout Dominus Iesus eam vult, haberi potest nisi primum restituatur integritas fidei.

Hoc faciendum est non ut hominibus placeamus, sed Deo et Salvatori nostro Iesu Christo; et Dei et Domini nostri infinito amori erga nos debito modo respondeamus. Omnia enim quae Iesus apostolis suis et per eos nobis revelavit nihil aliud est nisi de amore Dei erga nos et de oeconomia salutis humanae, quam Deus ex amore hominum adhibet erga nos. Ex amore Deus Pater misit Filium suum unigenitum ut genus humanum sanguine suo ex peccatis redimeret. Ex amore Filius, natura nostra assumpta, seipsum in ara Crucis immolavit victimam pro reconciliatione hominum cum Deo. Ex amore ipse Filius Ecclesiam suam condidit eique ipsum suum sacrificium modo incruento in perpetuum Deo ab ea offerendum commisit, ut esset sacrificii Crucis perpetua commemoratio atque perfecta repraesentatio. Ex amore, Filius Dei, visibilem Ecclesiam suam visibili capite sui vices gerente munivit, qui eam in unitate fidei sub ductu Spiritus Sui visibiliter (ut omni societati hominum convenit) regeret. Ex amore dedit Ecclesiae suae Sacramenta sua per quae, Ipse in animis hominum praesens, easdem in vita gratiae et in caritate erga Deum et homines vivificaret et amorem ipsius Patris erga homines mundo manifestaret: « Ego in eis et tu in me: ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti » (*Io.* 17, 23). Itaque, verba quae Filius a Patre recepit hominibus tradendum, seu bonus nuntius fidei christianae nihil aliud est nisi nuntius amoris Dei erga homines. Mirabile systema veritatum fidei christianae ab apostolis ex ore Filii Dei, Redemptoris nostri acceptum et ab eisdem Ecclesiae scripto vel oretenus traditum ab eademque Ecclesia infallibili magisterio Petri et successorum suorum clarius in dies intellectum atque declaratum, nihil aliud nobis exhibet quam Patris et Filii in Spiritu Sancto amorosam dispensationem pro salute humani generis, nisi — ut pressius dicam — amoris Dei erga unumquemque nostrum.

Venerabiles Patres, nihil aliud potest Ecclesia catholica ut finem oecumenismi sui sibimet proponere nisi ut fratres nostri separati ad integritatem fidei christianae a Petro et successoribus suis edoctae redeant. Hanc fidem

integre siquidem ab omnibus christifidelibus accipi vult ipse Spiritus Sanctus, qui supremum Ecclesiae magisterium in infallibilitate Fidei servat, nos perperam agimus si finem oecumenismi nostri aperte non declaramus, aut si eundem finem silentio praeterimus vel circumlocutione obscuramus.

Unitatem christianorum, quam quaerimus non est quaedam unitas mere naturalis et externa, sive civilis sive socialis, sed est unitas essentialiter supernaturalis et interna Corporis Christi mystici, quae non in regulis urbanitatis, sive civilis sive socialis, sed in veritate fidei fundatur et in caritate supernaturali crescit et confirmatur. Ad hanc unitatem fratres omnes in omni caritate invitare et allicere officium nostrum est; hunc finem nostrum urbanitatis specie celare scelus est. Ipsi fratres nostri separati, qui nostrum hoc sincerum ac caritate plenum secuti invitamentum, ad integritatem fidei catholicae investigandam primum, atque dein amplectendam, animum movent, non humano cuidam victori se subiicere censeant, sed se veritati fidei immo ipsi Christo Redemptori, fidei christianae auctori, adhaerentes, victores prodire, ex bello sibimetipsis indicto pro possessione veritatis.

Unde haec circa cap. I de Oecumenismo proponendum censeo:

1. N. 1 cap. I retineatur quidem, sed ut prooemium totius schematis, cum his tamen mutationbius:

a) In pag. 7, lin. 29, post verbum « unitate » et ante verbum « pascendo » inserantur verba « fidei, sacramentorum et regiminis », ita ut nova lectio sit: « in perfecta unitate fidei, sacramentorum et regiminis pascendo etc. ».

b) In pag. 8, lin. 6, loco verborum « fraterna concordia » substituatur verbum « unitate », ita ut nova lectio sit: « necnon in regiminis unitate etc. ». Hic est enim sensus totius fontis citati, nempe: Encyclicae Leonis XIII: *Satis Cognitum.*

2. In primo numero capitis primi ponatur definitio Oecumenismi catholici, quae sic posse enunciari humiliter censeo: « Oecumenismus catholicus est ordinata actio Ecclesiae catholicae ad illam in veritate et caritate unitatem christianorum fovendam, quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus ». Et haec definitio explicetur in sensu supra a me exposito.

3. In pag. 9 deleantur linn. 28, 29 et 30.

Ratio est: quia Ecclesia Christi erit sine macula et ruga solummodo in ultimo stadio redemptionis humani generis, quando nuptiae aeternae inter Christum et Ecclesiam suam in caelo celebrabuntur. Tunc solum Ecclesia revera erit etiam gloriosa, et splendorem vultus Christi plene in se exhibebit. In praesenti saeculo Ecclesia semper constabit non solum iustis sed etiam peccatoribus pro quorum peccatis etiam humilitatem et mortificationem Iesu in corpore suo portat. Ecclesia constans peccatoribus in praesenti saeculo, non potest simul esse sine macula et ruga, et Ecclesia passioni Christi participans quomodo potest simul esse gloriosa?

Ergo, loco verborum quae in praedictis lineis continentur substituantur

haec verba: « ut vita eorum fidem suam manifestet atque argumentum constituat veritatis eius », ita ut lectio nova sit: « Quapropter, catholici omnes ad perfectionem christianam tendere debent atque eniti, quantum ad unumquemque eorum attinet, ut vita eorum fidem suam manifestet atque argumentum constituat veritatis eius ».

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

N. 1: Cum hic numerus agat de mysterio unitatis et unicitatis Ecclesiae, videtur valde opportunum plena in luce ponere totum momentum primatus petrini et romani pro unitate Ecclesiae. Iuxta enim Conc. Vaticanum I, ipse Christus primatum iuridicum in Petro et eius successoribus eo constituit ut « episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur ». Hinc primatus est « perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum » (D. 1821). Iamvero haec functio non videtur sufficienter indicari in schemate proposito; immo expressio in pag. 8, lin. 6: « in regiminis fraterna concordia » posset male intelligi, sc. de primatu honoris tantum, et ita « neutralizare » id quod dicitur in pagina praecedenti linn. 25-29 de primatu Petri.

Ad n. 3: Maxime optandum est ut fratres separati redeant ad domum quam sui antecessores reliquerunt. Omnes catholici hoc desiderant et desiderare debent. Non video tamen cur ad hoc necesse sit dicere fidelibus ipsos nunc non possidere « veri nominis catholicitatem », « plenitudinem catholicitatis » (pag. 9, lin. 35; pag. 10, lin. 15). Scimus enim Christum promisisse suam assistentiam Ecclesiae suae; ex hoc sequitur eam semper fuisse et futuram esse catholicam pleno sensu. Utique, reditus fratrum separatorum hanc catholicitatem materialiter pleniorem faciet. Sed, de facto vita spiritualis eorum, qui in vera Ecclesia Christi sunt, etiam sine hoc reditu plene catholica est. Optemus et adlaboremus ut fratres ad domum suam redeant ut possint frui omnibus divitiis Christi; nullatenus tamen impressionem demus Ecclesiam Christi non esse plene catholicam ob eorum absentiam.

6

EXC.MUS P. D. MARINUS BERGONZINI

Episcopus Volaterranus

Quae in hoc capite habentur optima sunt quoad substantiam, ideoque omnino retinenda. At dicendi modus non semper clarus et perspicuus evadit, quapropter nonnullae emendationes propono ut ea quae perfectibilia mihi visa sunt, perfectiora reddantur.

Caput totum videtur quadam obscuritate laborare, et haec obscuritas provenit ex rerum et idearum congerie non bene digesta. Quae de toto

capite dicuntur, praesertim valent de prima paragrapho, in qua Ecclesiae unitas declaratur. Qua de re suadere velim ut revisores schematis maiorem brevitatem inquirant et latinitatem magis expolitam exhibeant.

Ad particulares animadversiones descendens, en emendationes quas propono ad textum clariorem reddendum.

1. Verba S. Pauli, ex epistola ad Romanos allata, quae inde a lin. 11 pag. 7 recitantur, expungenda sunt. Ratio est quia illa verba ad rem non pertinent: respiciunt enim vitam gratiae multo magis quam Ecclesiae unitatem, et ideo magis involvunt ideas quam declarent.

2. Ad linn. 30-31 eiusdem folii 7, ubi sermo inducitur de beati Petri Primatu, expungenda sunt verba « semper manente », ita ut brevius et clarius legatur: « Ipso summo angulari lapide Christo Iesu ».

3. Item: non est perspicua locutio quae invenitur in linn. 24-25 pag. 8, ad explicanda elementa illa constitutiva Ecclesiae Christi, quae etiam apud fratres separatos inveniri possunt. Enumerare enim illa elementa secundum ordinem textus, scilicet: « vita gratiae, aliaque interiora Spiritus Sancti dona, fides, spes, caritas », idem est ac confusionem inducere inter dona spiritus et virtutes. Melius ergo videtur dicere: « vita gratiae, virtutes (supernaturales scil. et naturales infusae), et Spiritus Sancti dona ».

Ordo in hac emendatione propositus cum theologiae catholicae loquendi modo melius consonat.

4. Ad lin. 37, pag. 9, corrigenda sunt verba: « ... et ad hanc Ecclesiam catholicam domum omnibus aditus patefiet ». Ratio est quia verbum « aditus », quod est subiectum grammaticale propositionis, non concordat, immo pugnat, cum anteriore subiecto, quod erat: « ipsi », idest catholici et ita fit ut sensus sermonis obscurior atque inelegantior evadat.

5. *De usu Sacrae Scripturae in hoc capite.*

Ad lin. 23, pag. 7, leguntur verba S. Pauli *Eph.* 2, 20, iuxta quae Ecclesia fundata perhibetur « super fundamentum apostolorum et prophetarum ». Sed haec eadem verba in suspicionem iam venerunt cum Patres Concilii schema de Ecclesia pertractarent, quia eorum interpretatio adhuc controvertitur: etenim non pauci exegetae aestimant eorum verborum applicationem hic fieri posse more tantum oratorio, minime vero biblico. Sed, quoniam in textu conciliari Sacrae Scripturae verba in genuino sensu biblico proferenda sunt, totam illam propositionem censeo esse expungendam.

7

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Parcite mihi, si dicenda a me alicui vestrorum extra horum mea verba sonabunt. Sum enim solus, quia ceteri episcopi meae patriae et vicinarum regionum omnes sunt libertate privati, nec habent possibilitatem esse nobiscum.

In capite de Oecumenismi catholici principiis, in paragrapho de Oecumenismo omnia dicuntur talibus verbis et tali modo ut aliquis ignarus factorum non tantum temporis praeteriti, sed etiam praesentis existimare possit nos tempora admodum pacifica vivere, ut parum iam distat genus humanum a plena omnium christianorum unitate, nunc iam viventium et orantium in pace. Disceptantiae, si aliquae adhuc supersunt, « splendorem vultus Christi in Ecclesia aliquantum obscurant » (pag. 10, linn. 9-10). Et tamen reminiscamur sortis catholicorum nostris temporibus — hoc saec. XX — in Portugalia, catholicorum et ceterorum christianorum in Russia et regionibus ab ea subiugatis ab anno 1918 usque ad praesens, Mexicam, Hispaniam, Italiam anno 1931, hodiernas nationes sub iugo atheorum in regionibus catholicis vel saltem christianis: a Lituania, Letonia usque ad Rumeniam et Bulgariam. Sic nostro saeculo ab anno 1910 usque ad praesens tempus christiani et praesertim catholici non singuli hic vel illic, sed sicuti ovium greges mactantur decenis millium, trucidantur, virgines Deo consecratae aggrediuntur et humiliantur modis inauditis nec apud paganos antiquos. In toto autem mundo, catholicis non exceptis, altum opportunisticum silentium regnat. Et nos dicimus splendorem vultus Christi in Ecclesia aliquantum obscurari. Haec omnia accidunt eo, quod christiani divisi sunt ita ut quando una Ecclesia christianorum opprimitur, a ceteris hoc sumitur pro servitio praestito Deo, quod catholici inertes sunt et quasi inconscii Corporis Mystici Christi unitatis. Nostris diebus haec omnia evenerunt cum catholicis, ceteris christianis, cum iudaeis non in regionibus paganorum cum parva minoritate christianorum, sed in regionibus in quibus christiani constituunt quasi totalitatem populi. In his regionibus christiani et iudaei trucidantur a parva minoritate inspirata, directa et variis modis suffulta a potestatibus inimicis Dei et christianitatis, quae universaliter unitae sunt. Et hic video non modo communismum atheum, sed etiam associationes — massonicas et ceteras — sine quarum adiutorio etiam communismus in nulla regione posset in potestate subsistere.

Utique, pro nostris fratribus, qui persecutionem patiuntur omnes oramus. Existimo tamen non esse satis orare pro fratris felici morte, qui in nostris oculis a malefactore invaditur.

In Capitibus III et IV verbum fraternum facimus ad omnes fratres separatos et non christianos, maxime ad iudaeos. In toto schemate tamen de millibus millium catholicorum et ceterorum christianorum, qui pro fide et vita christiana hodie persequuntur, nec unum verbum. Et quid de iis ex christianis et iudaeis, qui nomini Dei impudentissime maledicunt, iuventutem a fide et religione avertere conantur non persuasionibus tantum sed nefastissimis legibus, qui adultos credentes cives non computant inter cives pleni iuris etc.? Lucidis promissionibus persuasi, ex quibus nihil boni evenit, in principio huius Sacrosancti Concilii non sumus ausi eorum nomen proferre in nostro verbo salutis toto orbi. Me vere latet, si quid boni hoc silentio obtinuimus, e contra me patet multis fidelibus oppressis silentium hoc

magnum dolorem causasse. Ex hoc iam ipsi dicunt nos partem Ecclesiae silentis facere.

Verum est historice, quod dicitur de nostris vinculis cum Synagoga. Id tamen, quae in cap. IV, pag. 4 ultimis lineis dicitur, mihi videtur esse insufficiens. Hic nos quasi veniam petimus a iudaeis pro persecutionibus sive olim, sive nostris temporibus perpetratis. Certe, iniuriae et persecutiones tam iudaeorum quam christianorum deplorandae et damnandae sunt, sed essetne opportunum mundo declarare has persecutiones, praesertim nostris temporibus perpetratas esse ab hominibus dechristianizatis, in quo opere, mediantibus associationibus massonicis et marxistis iudaei non parvam partem habent. Rebus sic stantibus nostra verba deplorationis et damnationis parum facient. Dechristianizatus homo tandem aliquando vindicta ardens insurgit contra eos, qui eum fide privarunt et moribus depravarunt. De modo inhumano agendi responsabilitatem semper assumere tenentur illi, qui ex homine filio Dei animal efficiunt. Mihi videtur examinationis dignum esse propositum omnes — tam christianos quam iudaeos — monere, ut abstineantur ab omni participatione in quacumque atheistica et antichristiana activitate. Activitates istius generis omnes sunt inimicae hominis ut talis — et christiani et iudaei et ceterorum.

Et tandem pauca verba ad cap. II, n. 7: De oratione unanimi. Ex illis, quae veniunt in Iure Canonico nomine communicationis in divinis, in schemate unitas cum acatholicis non permittitur solummodo in celebratione mysteriorum sacrae Eucharistiae. Quid vero de ceteris functionibus liturgicis, exercitiis pietatis? Estne sufficiens limes in schemate positum?

Nihil definiti audeo de hac re proponere, scio tamen in vita esse aliquid aliter, quam in studio ianuis clausis. Omnes, qui volunt mundum reformare, semper debent memini esse etiam periculum a mundo deformari. Velim, ut in hac divina missione — omnes fratres efficere unum — ne omittantur necessariae cautelae pro illis, qui pleni bona voluntate nondum aetate provecta nec valde probatis virtutibus praediti sunt, ne incitamenta ad illimitatam communionem cum aliter credentibus careat debitis limitibus.

8

Exc.mus P. D. IOSEPH FLORIBERTUS CORNELIS
Archiepiscopus Elisabethapolitanus

Nomine plurimorum episcoporum ex Congo loquar.

In cap. I huius schematis, in luce ponitur (pag. 9, linn. 31-35) manifestatio catholicitatis Ecclesiae ut communionis: in necessariis unitas, in legitime diversis libertas, in omnibus caritas. Et hoc nobis valde placet.

Principium authenticae catholicitatis, siquidem maximi momenti quoad aspectum oecumenicum (etenim iterum affirmatur pag. 22, linn. 15-21), non minoris momenti est quoad futura Ecclesiae in Africa. Successus missionis sic successui oecumenismi in non paucis alligatur.

Etsi voce oecumenismi, ut in hoc capite littera sonat, significetur « motus et ordinata actio ad unitatem christianorum fovendam », in praxi tamen vox oecumenismi saepe intelligitur ut respiciens tantum adunitionem christianorum separatorum. Attamen duae considerationes addendae sunt.

1. Actio oecumenica oportet fundetur in sensu catholicitatis seu universalitatis Ecclesiae, in omnibus materiis.

Ecclesia non est nisi una, sed unitas Ecclesiae non est nisi unitas catholica seu oecumenica, id est unitas in diversitate omnium nationum et humanitatum.

Semper tamen adest tentatio unitatem ad uniformitatem reducendi: uniformitatem, dico, eiusdem organisationis, eiusdem expressionis, eiusdem theologiae. Atqui unitas catholica seu oecumenica est illa quae sub diversitate ingeniorum, culturarum, humanitatum sese exprimit. Si uniformitas omnia regit et diversitates legitimas evellit, non amplius manifestatur oecumenicitas. E contra, nonne diversitas orientalium rituum quam tam feliciter prae oculis in hoc Concilio habemus omnes, testimonium praestantissimum perhibet de multiplicibus divitiis catholici cultus quando legitimae traditiones diversae servantur?

2. Etiam si in sensu stricto sumitur, oecumenismus non tantum quasi ad praeterita versus respicit adunitionem christianorum iam separatorum, sed implicat illam virtutem vigilantiae quae contra omnes vires et fermenta discordiae in ipsa Ecclesia semper et acriter pugnat. Et sic sensus oecumenismi nunquam in Ecclesia deficere licet, etiamsi — quod Deus nobis largiatur! — Ecclesia perfecte una evaserit.

In his temporibus autem, permultae humanitates diversae, mirabili modo evolvuntur et iura suae dignitatis legitime vindicant. Tempus advenit ubi non iam viget quasi simplex transitus bonorum spiritualium ab occidente usque ad extremum Asiae vel Africae, sed iam valet inter Ecclesias antiquas et novellas mutua communicatio bonorum et communio divitiarum spiritualium. Et antiquae Ecclesiae a novellis discere debent sicut et novellae ab antiquioribus. Haec est quoque vera catholicitas seu oecumenicitas quae Ecclesiae decet.

Sed nondum mentes et mores nostras plene penetravit. Oportet ergo mutetur in melius habitudo nostra ita ut diversitas ecclesiarum novellarum appareat nobis non ut scandalum tolerandum, sed ut vere signum divitiarum Christi.

Et haec consideratio maximi momenti est quoad iuniores ecclesias Africae. Populi Africae nigrae — qui exstant pars notabilis tertii mundi — cum magna spe ad Concilium aspiciunt et sese interrogant: Numquid Ecclesia, *africana* fiet inter africanos, sicut latina est inter latinos et orientalis inter orientales?

Ecclesia, si nunc non est capax *agnoscendi, servandi* et *assumendi* in sua oecumenicitate proprium ingenium populorum Africae, recte periculum adit eiusdem dolorosae lacerationis quam olim in oriente et in occidente passa

est. Patres Conciliares, illam spem iuniorum communitatum Africae christianae decipere non possumus!

Per modum *conclusionis,* humiliter proponimus:

1. ut in hoc schemate, Concilium principia oecumenica statuat de (ut dicitur in lingua gallica) « la rencontre de l'Eglise et des diverses civilisations »;

2. ut omnibus ecclesiis novellis in Africa et alibi, quae in firma spe et expectatione stant, Concilium Vaticanum II praebeat, sine mora, non verba et voces sed actus verae communionis catholicae.

9

Exc.mus P. D. PAULUS DALMAIS
Archiepiscopus Arcis Lamy

a) *De expressione « fratres separati ».* Schema utitur passim verbis « fratres separati » praesertim in hoc capitulo, pp. 8 et 9, ad designandos omnes christianos a nobis de facto seiunctos. Quando tractatur de omnibus christianis a nobis seiunctis in genere et non in specie, difficile est alia verba invenire. Aliqui patres censuerunt melius esse dicendum « fratres a nobis separati ». Sed haec verba, sub respectu euphoniae, non tam bene sonant in textu, etiamsi peropportune monstrant nostrum schema non praeiudicare velle de historica responsabilitate in divisionibus et schismatibus. Puto nos servare posse verba « fratres separati », ea conditione ut haec verba adhibeamus cum aliqua explanatione seu declaratione intentionis. Nihil prohibet quin pag. 8, sub n. 2, post verba « Ecclesiae catholicae seiunctae » (lin. 16), quaedam declaratio addatur super vocabulo « separati » intellecto in sensu mutuae divisionis inter omnes christianos: fratres christiani sunt a nobis separati et nos ab ipsis. Exemplum talis declarationis postea tradam Concilii Secretariatui.

b) *Animadversiones super par. secunda.* Pag. 8, linn. 22-23. Dicitur: « ex elementis seu bonis quibus ipsa Ecclesia constituitur ... *quaedam* exstare possunt extra visibilia eius saepta ». Cum hic sermo fit generatim de omnibus Ecclesiis et communitatibus, quorum habitudines ad Ecclesiam Christi non eodem pondere perpendere possumus, vocabulum « quaedam » mihi videtur insufficiens. Etenim multa plus quam « quaedam » ex his elementis seu bonis exstare possunt apud fratres nostros separatos: v. g. praeter fidem, spem et caritatem et alia dona spiritualia, vitam sacramentalem per baptismum et Eucharistiam, sacerdotium et episcopatum. Haec non sunt aliqua tantum sed multa et essentialia. Ideoque textum sic emendari velim ad lin. 22: « ex elementis seu bonis quibus simul sumptis ipsa Ecclesia constituitur et vivificatur, *multa* exstare possunt ... etc. ».

Pag. 8, linn. 37-38, dicitur: « Communitates et Ecclesiae eorum, *illa unitate* non fruuntur quam Iesus Christus iis omnibus dilargiri voluit ».

Censeo hanc sententiam claritate deficere, cum de qua unitate agatur perspicue non demonstret. Optarem ut notae verae et perfectae unitatis, internae et externae, melius exponantur. Defectus unitatis provenire, certo potest a defectu communionis visibilis cum Petro eiusque successoribus, quae communio est simul signum et conditio necessaria perfectae unitatis. Sed altius est investiganda ratio ultima unitatis quam non omnino reiecerunt fratres christiani a nobis separati. Res significata ab ipso signo communionis visibilis cum Petro nihil aliud est quam communio oboedientiae et gratiae cum Christo, et insuper fraterna et mutua communio christianorum inter se ipsos. Haec communio gratiae per Spiritum Sanctum efficitur et ad fundamentum unitatis nos revocat. Cum videmus etiam fratres nostros separatos, v. g. orthodoxos, sibi vindicare unitatem, de unitate tractare debemus cum omni qua par est claritate et praecisione, distinguendo simul et iungendo in conceptu unitatis perfectae signum et rem (cf. *Declaratio* S. B. patr. Athenagoras in colloquio panorthodoxo Rhodiensi sept. 1963). Insuper meminisse iuvet proh dolor multos inter catholicos ea unitate deficere (per peccatum) quae christianos cum Christo et inter se ipsos coniungit. Meminisse etiam iuvet responsabilitatem lamentabilis divisionis quae, decurrente tempore inter christianos orta est, non reiiciendam esse tantummodo in partem fratrum nostrorum separatorum. Ecclesia catholica culpas suas profiteri debet, ut insinuavit S. Pater Paulus VI in sua oratione inaugurali 29 sept. 1963. Censeo praesens schema locum faciendum esse solemni declarationi contritionis pro parte quam catholici habuerunt in peccato schismatis.

Pag. 9, lin. 40 sub n. 3, dicitur: « *Vestigia* Christi et dona Spiritus Sancti in vita aliorum agnoscere aequum et salutare est ». Haec mihi videntur minus recte dici. Plene assentio sententiae eorum qui proponunt vocabulum « praesentia Christi » loco « vestigia Christi ». Etenim vocabulum « vestigia » male sonat auribus modernis. In lingua gallica, verbum « vestiges » significat monumenta quae supersunt ex tempore peracto et mortuo, non connotat realitatem vivam. Timeo ne fiat aliqua confusio in usu huius vocabuli cum fratres separati in commercio cum lingua latina non tam facile versantur. Quae agnoscere possumus apud multos fratres christianos separatos non sunt mera vestigia sed realitates magnas et vivas, in primis fides integra in mysterium Sanctae Trinitatis, et in mysterium Christi Salvatoris, Sacramentum Eucharistiae, etc.

[*Subscripserunt etiam*] Louis Gaumain, év. de Moundou; M. Bernard, arch. Brazzaville; I. B. Fauret, év. de Pointe-Noire; J. I. Adam, ep. Liberopol.; I. Wolff, arch. Diego-Suarez; Henri Véniat.

10

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Schema *de oecumenismo* commendat integram ac dilucidam fidei catholicae expositionem, cum nil magis ab illo unionis motu alienum sit quam falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur vel eius sensus genuinus et certus obscuratur (pag. 17, linn. 20 ss.). Tam sapiens consilium optarem ut praesertim in cap. I applicaretur, cum de fundamentis veri seu catholici oecumenismi sermo sit. Hac ductus ratione quasdam liceat mihi animadversiones facere.

Quae in hoc capite, de Ecclesiae unitate dicuntur aliqua laborant ambiguitate. Non apte distinguitur in hoc capite Ecclesia catholica romana ab aliis communitatibus christianis. Non dicitur aperte ac terminis univocis quod vera Ecclesia est tantum Ecclesia romana catholica a Summo Pontifice pendens, qui plena atque suprema auctoritate in omnes et singulos fideles ac episcopos necnon infallibilitate gaudet. Haec omnia clare et distincte dicenda sunt eo vel magis quia decretum pro catholicis datur qui tantum solido fundamento fulciti oecumenismo sine periculo ac fructuose inservire possunt.

Inde, optarem ut post citatam orationem Domini (pag. 7, lin. 6), diceretur illam exauditam esse in ipsa ecclesia catholica indefectibiliter una, ac in lin. 13 loco « qui est Ecclesia » diceretur « qui est Corpus Christi mysticum, seu Ecclesia catholica romana ». His auctum expressionibus schema iam ab initio unicam Christi Ecclesiam indicaret.

Eadem ratione vellem clariorem et certiorem affirmationem de fundamento verae Ecclesiae Christi. Quae enim de hac re dicuntur, lin. 22 ss. nec clara sunt, nec ut mihi videtur, omnino certa. Nescio cur schema signite non loquatur de illo unico fundamento super quod aedificavit Christus Ecclesiam suam, ut clare legitur in Ev. Mt.: « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam » (16, 16)! Legenti schema praecipuum Ecclesiae Christi fundamentum videretur illud mere doctrinale apostolis ac prophetis constitutum, quod de se necessario visibilem et unicam societatem non efformat. Huic fundamento accederet, modo velut secundario, potestas docendi, regendi atque sanctificandi, et quidem concessa primario toti collegio apostolorum, et solum postea Petro, cui Dominus in collegio praesidentiam concessisset. Quae omnia videntur minus recte dicta:

a) In Ecclesia fundamentum iuridicum quo ipsa est societas visibilis visibili unitate donata est longe praecipuum. Ipsa doctrina a Christo pastoribus Ecclesiae tradita est custodienda et integre docenda. Cum igitur de fundamento Ecclesiae sermo est primario dicatur oportet de fundamento iuridico, in concreto, de primatu iurisdictionis Petri eiusque in aevum successorum, quo visibile fundamentum Ecclesiae Christi omnibus patet. Prae-

terea characterem romanum Ecclesiae catholicae celare nec possumus nec debemus. Est inter notas verae Ecclesiae notissima, qua ipsa ab omnibus dignoscitur.

b) Non est certum Dominum collegium apostolorum ut tale constituisse. Immo de hac re solidis fundamentis dubitari potest. Potestatem regendi non constat apostolos unquam collegialiter usos esse. Eorum successores, nempe episcopi, hucusque potestatem regendi in universam ecclesiam nonnisi in Conciliis oecumenicis, quando libere a Summo Pontifice assumuntur, exercuerunt. Quod autem episcoporum collegium universali iurisdictione in totam Ecclesiam forma permanenti gaudeat, etsi cum et sub Romano Pontifici, est res omnino nova nullatenus probata.

c) Potestas sanctificandi ut liquet non exercetur collegialiter.

d) Petrus Christum caput Ecclesiae repraesentat, non vero apostolorum collegium.

Ut memorata menda e textu eradicentur, has propono emendationes:

1. Lin. 24, loco « super fundamentum... » dicatur: « primario, et quidem iuridice ac doctrinaliter, super Petrum, necnon secundario, quoad doctrinam vero, super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ».

2. Lin. 25, loco « atque collegio Duodecim universale... » dicatur: « apostolis ».

3. Linn. 25-29, loco « inter quos ... pascendo » dicatur: « sub ductu B. Petri, qui fratribus suis praeesset, singulos etiam in fide confirmaret et universum gregem in perfecta unitate pasceretur ».

Textus emendatus hic erit: « Hanc sanctam suam Ecclesiam aedificavit primario, et quidem iuridice ac doctrinaliter, super Petrum, necnon secundario, quoad doctrinam vero, super fundamentum apostolorum et prophetarum, atque apostolis universale mandatum docendi, regendi et sanctificandi concredidit sub ductu B. Petri qui fratribus suis praeesset, singulos etiam in fide confirmaret et universum gregem in perfecta unitate pasceretur ».

* * *

1. In pag. 8, linn. 2-6, quaedam addenda mihi videntur ut vera Christi Ecclesia ab aliis communitatibus christianis apte distinguatur. Dicitur ibi quod Christus per apostolorum eorumque successorum fidelem Evangelii praedicationem et sacramentorum administrationem, Spiritu Sancto operante, familiam suam crescere voluit eiusque unitatem perfecit et manifestavit, in confessione unius fidei, in divini cultus communi participatione celebrationeque nec non in regiminis fraterna concordia.

Ad haec animadverto sequentia:

a) Quoad sacramenta, mea opinione signanter septem numeranda sunt. Vera enim Christi Ecclesia septem sacramenta admittere potest et debet, nec plus nec minus. Haec nota verae Christi Ecclesiae videtur clare declaranda, cum eo ipso quod communitas quaedam christiana septenarium sacramentorum numerum non admittat iam Christi Ecclesia dici nequit.

b) Munus pastorum verae Christi Ecclesiae non est tantum praedicare et sacramenta administrare, sed etiam regere et gubernare. Similis inaequalitas membrorum verae Ecclesiae essentialis est, ita ut sine illa Christi Ecclesia exstare non possit. Post ergo verbum « praedicationem » in lin. 2 pag. 8 addantur haec vel similia: « septem sacramentorum administrationem necnon et iurisdictionem... ».

c) Verba in linn. 3-4 « eiusque unitatem perfecit et manifestavit » expungenda mihi videntur. Etenim, unitas Ecclesiae, qua in se indivisa est et a quolibet alio distinguitur, non potest concipi in statu velut inchoativo in primordiis postea perficienda et manifestanda actione apostolorum. Unitas Ecclesiae Christi inde ab initio perfecta et manifestata fuit, ita ut ab omnibus dignosci potuit ut vera Christi Ecclesia. Ecclesia crescit, perficitur ac dilatatur numero et sanctitate fidelium, necnon ampliori cognitione verbi revelati, unitatem tamen semper conservans et mundo manifestans.

d) In Ecclesia Christi omnia in caritate fiant oportet. Hoc autem minime impedit quominus in ipsa vera adsit potestas regendi ac gubernandi cui correspondet oboedientia ex parte fidelium. Immo, ut dixi, inaequalitas membrorum Ecclesiae est nota eius essentialis. Ad episcopos Galliae docebat S. Pius X: « Ecclesia est societas vi et natura sua inaequalis ». Huius inaequalitatis dilucida declaratio valde iuvat ut notio Ecclesiae perspicua sit, quin verae concordiae membrorum noceat. Expressio autem lin. 6 pag. 8 « in regiminis fraterna concordia » aliquo modo tegit potius quam pandat distinctionem membrorum Ecclesiae in superiores et subditos. Dicatur melius: « in filiali regimini oboedientia ».

2. In pag. 8, linn. 7-8, Ecclesia unicus Dei grex in donorum varietate coadunatus dicitur apparere ut signum levatum in nationes pacem annuntians toti generi humano. Quae omnia vera sunt, tamen videntur incompleta. Ecclesia, enim, non est tantum signum levatum in nationes pacem annuntians, sed etiam fons salutis omnibus hominibus offerens veram cordis pacem quam et annuntiat. Post ergo verbum « apparet » in linea 8, ponantur verba: « fons salutis ».

3. Minime ad claritatem et perspicuitatem alicuius notionis confert usus eiusdem vocis ad plura significanda, nisi aliqua explanatione, omnis ambiguitas dissipetur. Iamvero, in schemate, vox « Ecclesia » adhibetur et pro vera Christi Ecclesia, et pro aliis communitatibus christianis. Vera autem Ecclesia Christi toto caelo differt ad aliis communitatibus qui Christi decorantur nomine. Vera Christi Ecclesia est societas supernaturalis, cuius anima Spiritus Sanctus intime omnia membra inter se coniungit; dum aliae communitates christianae sunt tantum congregationes hominum quae aliqualem relationem ad Ecclesiam dicunt, minime vero Ecclesiam constituunt sensu theologico et proprio. Ecclesiae vocantur ergo per meram analogiam. Romani Pontifices usum communem usurpantes minime ipsis notionem verae Ecclesiae applicare voluerunt. In capite autem ubi theologicum fundamentum ponitur pro oecumenismo accuratior usus verborum exigitur.

Modo facta animadversio momento pastorali non caret. Ecclesia vera mysterium est obiectum fidei quam in symbolo profitemur praecise quatenus a societatibus mere civilibus distinguitur, seu quatenus est Corpus mysticum Christi a Spiritu Sancto animatum, propria unitate et entitate supernaturali constituta. Si autem Ecclesia vera, seu catholica cum aliis communitatibus christianis connumeratur eadem denominatione, ipsa apparebit ut mera societas vinculis moralibus tantum una, sicut de facto sunt aliae communitates christianae, quae non habent ut animam Spiritum Paraclitum.

Propono, ergo, ut in decreto vel vox « Ecclesia » ad veram Christi Ecclesiam reservetur, vel cum aliis communitatibus christianis tribuitur, aliqua addatur explanatio qua clare appareat illas communitates Ecclesias non vocari nisi analogia quadam.

11

EXC.MUS P. D. GERALDUS DE PROENÇA SIGAUD
Archiepiscopus Adamantinus

I. Loquar de n. 2 cap. I schematis *de Oecumenismo,* et quaedam dicam 1. de modo concipiendi unitatem Ecclesiae, 2. de actione Spiritus Sancti in Ecclesiis seiunctis.

1. Unitas est nota intrinseca et inseparabilis Ecclesiae catholicae romanae. Ecclesia semper est una virtute animae suae quae est Spiritus Sanctus: una in fide, una in regimine, una in caritate. Haec unitas numquam destrui potest. Proinde quando oritur haeresis vel schisma unitas Ecclesiae non destruitur nec minuitur. Haeresia et schisma certe destruunt unitatem familiae christianae, unitatem scilicet christianitatis, sed non destruunt unitatem Ecclesiae. Unitas Ecclesiae non est ergo restauranda, quia non potest destrui. Restaurari potest et debet unitas familiae christianae, unitas christianitatis. Haereticus vel schismaticus non destruit unitatem Ecclesiae, sed *exit* ex Ecclesia quae permanet una. Ideo minus praecise dicitur pag. 8, lin. 12: « In hac una et unica Ecclesia iam a primordiis schismata quaedam exorta sunt; posterioribus vero saeculis ampliores natae sunt divisiones ».

2. Meo iudicio melius diceretur: « In historia huius unius et unicae Ecclesiae iam a primordiis schismata quaedam inveniuntur; in historia posteriorum saeculorum aliae inveniuntur dissensiones, vi quarum communitates haud exiguae ab unione cum Ecclesia se separaverunt ».

II. Ad lin. 33 eiusdem n. 2, haec legimus: « Iis enim Spiritus Sanctus uti non renuit tamquam salutis mediis ». Haec loquendi forma posset ita interpretari quasi diceretur Spiritum Sanctum esse animam etiam Ecclesiarum separatarum. Servata caritate dicam: Spiritus Sanctus est anima solius Ecclesiae catholicae, cui tribuit triplicem intrinsecam notam: unitatis, sanctitatis, apostolicitatis. Aliae Ecclesiae non habent Spiritum Sanctum tamquam animam, et haec est causa cur errare possunt, in schismate sunt et eximiae sanctitatis exemplaria qui sunt Sancti, non habent. Certe Spiritus

Sanctus operatur in sacramentis et mediis supernaturalibus quae in eis adhuc sunt, sed non utitur Ecclesiis reduplicative, quatenus separatae sunt. Errores quos Ecclesiae separatae docent sunt nota specifica earum. Et Spiritus Sanctus non agit mediante errore qua tali. Non negatur actio Spiritus Sancti in Ecclesiis separatis, sed negatur actio Divini Spiritus *mediantibus* Ecclesiis *qua* separatis. Separatio est enim magnum obstaculum actionis Spiritus Sancti.

Propono ergo ut loco dicendi « Iis enim Spiritus Sanctus uti non renuit tamquam salutis mediis », dicatur: « Spiritus Sanctus uti non renuit mediis salutis quae adhuc in illis sunt, quorum... ».

12

Exc.mus P. D. GEORGIUS FLAHIFF
Archiepiscopus Vinnipegensis

Cum multis Patribus cardinalibus et episcopis consentio, qui schema *de Oecumenismo* laudaverunt, et quidem propter momentum eius historicum in vita Ecclesiae et incrementum quod propagationi Evangelii in mundo affert. Hoc schema plane concordat cum iis, quae Papa Ioannes XXIII et Papa Paulus VI de obiecto Concilii Vaticani II dixerunt, ideoque valde mihi placet.

Attamen, ut mihi videtur, aspectum historicum infaustae divisionis inter christianos non satis in cap. I schematis tractatum esse. Schismata inter christianos modo statico tantum describuntur. Sed nonne munus nostrum est etiam sensum seu significationem divisionum in historia Ecclesiae aliquomodo intelligere? Omnibus bene notum est, schismata inter christianos infelicissimas sequelas habere, quibus vis missionaria Ecclesiae minuitur et multa obstacula contra Evangelii diffusionem eriguntur. Sed cum Deus, Dominus cunctorum eventuum in historia, schismata permiserit, significationem eorum positivam inquirere debemus. Firmiter enim credimus historiam salutis, quae in Israël sua initia et in Iesu Christo suum culmen habet, in Ecclesia peregrinante adhuc perdurare.

Quidnam ergo per schismata nos docere velit Deus?

a) Schismata inter christianos peccati opus et effectus sunt, in quo totus populus christianus participat. Quamvis processum de praeterito facere nostrum non sit, ut Papa Ioannes XXIII dixit, omnes communitates seu Ecclesiae christianae ad culpas suas agnoscendas tenentur. Divisiones, quamdiu perdurant, nos coram Deo accusant et iudicium divinum super nos peccatores pronuntiant. Schismata haec miserrima semper Ecclesiae in memoria revocare deberent, eam non iam sanctam esse neque vocationi ad catholicitatem perfecte oboedire, prout de facto deberet.

b) Adest etiam quidam aspectus adhuc magis positivus divisionum nostrarum. Deus, Dominus misericordiarum, qui semper bonum ex malo

trahit, sicut per incredulitatem magnae partis Iudaeorum — ut docet S. Paulus — salutem ad Gentiles extendere dignatus est, simili modo per divisionem Ecclesiarum multa dona Spiritus Sancti populo suo in hodierna conditione largiri desiderat. Nonne ipsa motio oecumenica fructus principalis Spiritus agentis in populo disiuncto est? Omnino mihi persuasum teneo, motionem oecumenicam esse opus Spiritus Sancti, quo ex schismatibus, melius ex conatu ea superandi, omnes Ecclesiae magnum aliquod bonum accipiunt, ad renovationem impelluntur, novas vias caritatem faciendi inveniunt, et profundiorem intelligentiam Evangelii addiscunt. In ista motione oecumenica, pro prima vice in historia christiana, omnes Ecclesiae et communitates ecclesiasticae testimonium commune de Iesu Salvatore praebent, quo proclamatio Evangelii in mundo novam vim accipit.

Hic aspectus dynamicus, qui opus Spiritus Sancti in lucem ponit, maioris momenti ad oecumenismum intelligendum esse videtur, quam enumeratio bonorum ecclesiasticorum, quae aliis communitatibus asservantur, quod secus in schemate fideliter exponitur. Per oecumenicas actiones ipse Spiritus Dei diversos fructus, quos vult, producit, et christianos omnes ad maiorem fidelitatem erga voluntatem divinam conducit.

Propono ergo, ut prooemium breve textui praeponatur, in quo hic aspectus historicus et dynamicus oecumenismi explicatur. Ita etiam clarius apparebit, ea quae de oecumenismo dicuntur, non esse definitionem nec iudicium definitivum, sed e contra, esse modo initium motionis seu evolutionis, cuius auctor est ipse Spiritus Dei.

13

Exc.mus P. D. IOSEPH GARCIA Y GOLDÁRAZ

Archiepiscopus Vallisoletanus

Totum hoc schema *de Oecumenismo,* sed praesertim n. 2 cap. I, non ad separatarum Ecclesiarum seu communitatum unionem, sed ad perseverantiam tranquillam in separatione, inserviet.

Communitates enim separatae, non ut aliquid in se et obiective deplorandum, sed tantummodo ut minus completae Ecclesiae, mediis tamen sufficientibus ad salutem instructae depinguntur.

Possunt enim in illis dari « vita gratiae, aliaque interiora Spiritus Sancti dona, fides, spes et caritas » sed et « quaedam actiones sacrae apud fratres separatos peraguntur, quae ... procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt atque aptae sunt dicendae ut ingressum in salutis communionem pandant » etc.

Si haec simpliciter asseruntur, sine ulla allusione ad obligationem saltem obiectivam veritatem sincere quaerendi et ad Ecclesiam catholicam pertinendi, et ad bonam fidem requisitam pro illis bonis spiritualibus obtinendis et viam salutis ingrediendi, imprimis magnum scandalum generabitur pro nostris fidelibus, ad quos ante omnia attendere debemus, indifferentismus

fovebitur, conversiones ad catholicismum (si hoc verbo conversionis uti licet in praesenti furore oecumenistico perperam intellecto) minuentur, prout tristissima experientia, proh dolor, iam demonstrat, antequam schema approbatum sit, et transitus catholicorum ad sectas separatas faciliores reddentur, et loco unitatis obtinebitur amplior dispersio et separatio.

14

Exc.mus P. D. ALEXANDER GONÇALVES DO AMARAL
Archiepiscopus Uberabensis

De huius schematis cap. I, ut cooperationem praebeam ad perficiendum quod statutum erit, maxima et qua par est reverentia, duas propositiones habeo faciendas.

Hoc caput, sub titulo « De oecumenismi catholici principiis », rememorat, et quidem valde bene, fundamentum et naturam huius motus et ordinatae actionis « ad illam unitatem christianorum faciendam, quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus », sicut legitur in pag. 10, linn. 32-35.

In unitate et unicitate Ecclesiae inveniri proculdubio potest fundamentum oecumenismi. Et haec unitas et unicitas Ecclesiae fundata est in unitate et unicitate Dei Unius et Trini, ad quam pervenire debemus omnes, per Dominum Nostrum Iesum Christum, qui, in unitate Personae divinae, vinculum indissolubile stabilivit inter humanitatem et divinitatem. Nam « quod semel assumpsit, nunquam dimisit ». Exinde ortum habet unitas et unicitas Ecclesiae Suae Sanctae.

Mihi pergratum est contemplare hoc in pag. 7-8. Fortasse desideranda esset maior synthesis, sed hoc principium optime expositum manet.

Quando vero, in pag. 8, in linn. 10-11, per modum recapitulationis, asseritur: « En unitatis Ecclesiae sacrum mysterium, cuius supremum exemplar et principium est unitas Patris et Filii in Sancto Spiritu » — hoc mihi videtur quasi absque claritate et terminorum praecisione.

Etenim unitatis Ecclesiae sacrum mysterium habet supremum exemplar et principium in ipsa unitate, quae in Trinitate Sanctissima praefulget ab aeterno. Sed haec unitas est Patris et Filii et Spiritus Sancti in eadem, una et unica, etiam numerice, natura divina. Tres personae increatae Trinitatis Ss.mae uniuntur in una eademque natura, communi Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Stupenda et mirabilis haec realitas, in patristicae traditionis incomparabilibus divitiis, invenitur sub nominibus circumincessionis, sicut docent Patres graeci, dum sensum exponunt dynamicum, et circuminsessionis, iuxta Patres latinos, qui eiusdem unionis exhibent aspectum staticum.

Haec est veritas iam definita multoties, e. g., in Concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III, a. 1215, sicut patet in Denzinger, n. 803.

Angelicus Doctor magnificam explanationem huius doctrinae affert, passim, in *Summa Theologica,* p. I, q. XXXI, a. I, ad IV et V, et in *Summa contra Gentiles,* lib. IV, c. 26.

Sancta Mater Ecclesia, in gaudio Praefationis Trinitatis, cecinit, canit et cantabit per saecula: « Qui cum Unigenito Filio Tuo et Spiritu Sancto, unus es Deus, unus es Dominus, non in *unius singularitate personae,* sed in *unius trinitate substantiae* ». Et adhuc: « Ut in confessione verae sempiternaeque deitatis, et in personis proprietas, et in *essentia unitas* et in maiestate adoretur aequalitas ».

Hoc idem in Symbolo Athanasiano valde et perpulchre rememoratur et evolvitur.

His ductus rationibus, existimo melius ut immutetur quod in linn. 10-11, pag. 8, nunc legitur. Et sic se habere potest haec veritas: « En unitatis Ecclesiae sacrum mysterium, cuius supremum exemplar et principium est unitas Patris et Filii et Spiritus Sancti in una eademque natura divina ».

In Trinitate Increata, principium unitatis est natura divina et non una ex tribus personis.

In Incarnationis mysterio, principium et vinculum unionis naturae humanae cum divina est unica persona Verbi.

In Ecclesia, quae est Christi Corpus mysticum, omnes homines fontem habent unitatis et unionis in vita divina, quae ex sacrificio crucis et altaris, ex sacramentis per gratiam et characterem, et ex sacramentalibus nobis dimanat.

Hac de causa, Spiritus Sanctus, qui est anima mystici Corporis Christi, est principium unitatis Ecclesiae, sicut docet Pius XII, sanctae et felicis memoriae, et in encyclica *Mystici Corporis Christi* et in encyclica *Mediator Dei.* Principium autem unitatis Patris, Filii et Spiritus Sancti est una, eademque natura divina.

Nec mihi dicatis, Patres em.mi ac exc.mi et rev.mi, hanc esse quaestionem mere speculativam. Si doctrina clare non exponatur, perniciosa erunt consectaria practica.

Experientia nos docet, etiam in hoc Concilio. Donec soluta non fuerit quaestio doctrinalis, v. g., episcoporum collegialitatis, semper remanebit in praxi disputatio sterilis.

Nec adducatur argumentum terminationis liturgicarum orationum. Aliud enim est dicere Patrem et Filium vivere et regnare *in unitate* Spiritus Sancti, et aliud est asserere unitatem Patris et Filii esse *in Spiritu Sancto.* Unitas Spiritus Sancti est eadem Patris et Filii, scil., in una essentia divina.

Secundam et ultimam propositionem meam habeo fundatam in pag. 10, linn. 32-35, ubi legitur: « Quae omnia sub voce oecumenismi veniunt, quippe qui motus sit et ordinata actio ad illam unitatem christianorum fovendam, quam Iesus Christus a Patre caelesti flagrantibus postulavit precibus ».

Si titulum « De oecumenismi catholici principiis » habet hoc caput,

oportet ut clare appareat, in expositione naturae huius oecumenismi catholici, non tantum genus proximum, sed et differentia specifica.

Atqui in allata definitione patet inveniri tantum elementum genericum, quamvis intentio sit Sacrae Synodo exponendi naturam et principia oecumenismi catholici.

Motus namque et ordinata actio ad christianorum fovendam unionem nihil aliud est quam genus proximum, scil., id omne quod commune est et catholicis et christianis non catholicis.

Qua de causa proponere vellem ut hoc addatur, post verbum *precibus*: « Ut autem vere catholicus sit hic motus et haec ordinata actio ad unitatem fovendam christianorum, oportet ut regatur a principiis catholicis et normis ecclesiasticis, ut eruatur a zelo pro dilatatione regni Dei, quod est in tempore Ecclesia, una, sancta, catholica et apostolica, dum insuper informetur a caritate Dei quae " diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis " et a veritate tota et integra vim obtineat ».

Hoc aut aliud simile determinaret differentiam specificam desideratae definitionis.

Nihil aliud dicendum habeo. Et, si haec quae locutus sum in nomine tantum meo et coram Deo, vobis aliquid nocumenti afferunt, propter vestrum pretiosissimum tempus a me tritum, audeo exspectare a caritate vestra ut amplissimam et generalem absolutionem publicam mihi pandatis, dum vobis, patienter me audientibus, gratias ago in Christo Iesu.

15

Exc.mus P. D. PAULUS GOUYON

Archiepiscopus tit. Pessinuntinus, coad. c.i.s. Rhedonensis

Impossibile videtur proferre hodie accuratam definitionem de Oecumenismo. Attamen Oecumenismus est factum tam perspicuum in omnium christianarum « communionum » vita ut satis schematice delineari possit:

1. est motus spiritualis, theologicus, pastoralis, evangelicus, ordinatus ad illam unitatem christianorum fovendam, talem qualem Christus vult;

2. hic motus implicat methodum per quam progreditur virtute orationis et dialogi in caritate et veritate.

In tali conceptione huius actionis, omnes « communiones » christianae conveniunt. Itaque, stricte loquendo, non datur oecumenismus confessionalis, sive sit catholicus, sive orthodoxus, sive protestantium. Hoc sensu, adest oecumenismus simpliciter.

Sed evidens est illos oecumenicos labores et conatus non exerceri posse eodem modo ab unaquaque « communione » christiana, propter ipsam fidelitatem propriae eius confessioni fidei.

Itaque diversa sunt principia quae regunt hanc communem actionem, scil. alia catholica, alia orthodoxa, alia protestantica.

Per consequentiam, videtur infeliciter loqui, in titulo cap. I schematis:

« De Oecumenismi catholici principiis »; sed proponitur, ut rectior titulus: « De catholicis Oecumenismi principiis ».

Eadem emendatio proponitur cap. IV, lin. 1, quae tunc fiet: « Postquam de catholicis Oecumenismi principiis tractavimus ».

16

EXC.MUS P. D. GORDONIUS IOSEPH GRAY

Archiepiscopus S. Andreae et Edimburgensis

Loquor nomine Scotiae episcoporum. Opportunum et utile arbitramur interventum nostrum circa praesens capitulum schematis *de Oecumenismo.* Fideles enim Scotiae pusillum gregem constituunt in terra traditionis Protestanticae: et verba nostra, etsi brevia, procedunt ex immediata et diuturna consuetudine rerum et adiunctarum de quibus latius in schemate fit mentio. Capitulum ex corde salutamus et maximo gaudio approbamus.

1. Capitulum imprimis approbamus, quia agnoscit, speciatim in art. 2, factum religiosum, immo veritatem cuius nos omnes testes sumus, videlicet, quod per ministerium ecclesiarum a-catholicarum (a. v., per verbi praedicationem et solemne aliquam formam liturgicam) vita christiana, solida et sincera, fovetur inter eorum asseclas.

2. Capitulum insuper approbamus quia, his ultimis annis, vincula, quae variis modis nos cum fratribus separatis coniungunt, olim tenua, nunc Deo adiuvante, in dies arctiora fiunt: magis magisque crescit apud omnes mutuae cognitionis desiderium. Nonnulli Protestantes profundiorem doctrinae et rei catholicae cognitionem, sincere quaerunt: sacerdotes catholici nonnumquam invitantur ut verba faciant ad consociationes religiosas a-catholicas (anglice, Christian Fellowship Groups): conventus et collocutiones haud raro fiunt inter pastores Protestantes et sacerdotes catholicos, immo vero participantibus laicis. Ex alia parte, sacerdotes et seminaristae nostri adhortantur ut uberiorem cognitionem doctrinae Protestanticae adipiscant.

Pastoralis usus ergo et experientia in terra profunde protestantica nos inducunt ad sequentia asserenda: Caput schematis nobis propositum optimum est quoad contentum et formam; constituit documentum maximi momenti, dignum quod a Concilio laudetur et approbetur. Si ergo, ut fore speramus, praesens capitulum, immo totum schema, omnibus Patribus placeat, tunc, Vaticanum Concilium II, principia clara, solida, firma enuntiabit, quibus ulterior et, Deo adiuvante, fructuosior dialogus cum fratribus seiunctis prosequatur.

Aliquas emendationes proponendas habemus. In unico tantum casu aliquod addere volo iis quae in ipso textu emendationum dicuntur, videlicet circa usum verbi « communitates » in art. 2, in linn. 29, 32 et alibi. Nostra quidem opinione, verbum « communitates » omittendum est ob rationes sequentes:

a) In communi usu loquendi, certe in occidenti, verbum « ecclesia »

adhibetur ad designandas fere omnes communitates religiosas sive catholicas sive acatholicas, v. g., World Council of Churches, Church of Scotland, Church of England, etc.

b) Denegare titulum « ecclesiae » magnis communitatibus fratrum separatorum adunatorum ad cultum divinum et ad praedicationem evangelii propter rationes mere historicas, eis magnae displicentiae ansam daret — et, mea opinione, non sine ratione.

c) Distinctio inter « ecclesia » et « communitas » videtur nec utilis nec necessaria in praesenti contextu. Melior est enim loqui de « ecclesia orientali » et « ecclesia occidentali », quam denegare titulum « ecclesiae » omnibus communitatibus protestanticis in occidenti.

Ut textus clarior evadat, utiles reputavimus aliquas alias emendationes proponere, quas tamen, caritatis simul brevitatis causa, rev.mo secretario generali scriptas transmittimus.

1. Cap. I. Art. 2, pag. 8, linn. 17-19. Loco linn. 17-19 substituatur textus: « Fratres autem separati qui in Christum quidem credunt et baptismum rite receperunt, communione Ecclesiae, etsi non perfecta, fruuntur ». *Ratio*: textus emendatus, nobis videtur, est positivus et clarior.

2. Cap. I. Art. 2, linn. 29, 32, 37 et alibi. Omittatur verbum « communitates ». *Ratio*: in commune usu loquendi verbum « ecclesia » adhibetur ad designandas omnes ecclesias a-catholicas, v. g. « Church of Scotland », « Anglican Church », « World Council of Churches ».

3. Cap. I. Art. 2, pag. 8, linn. 25-26. Loco linn. 25-26 proponimus: « Sed et nonnulla ex illis visibilibus elementis quibus Ecclesiae unitas manifestatur ». *Ratio*: nobis videtur quod haec emendatio clarum reddit textum qui aliqua laborat obscuritate.

4. Cap. I. Art. 2, pag. 8, lin. 40. Loco commae post « convivificavit » ponatur punctum. Hic omittatur « quamque Sacra Scriptura ... ostendunt ». Deinde textus legatur ut in schemate pag. 9, linn. 1-3. Deinde post « attingi potest » inseratur « ; » et addatur « necnon et illa unitas quam Christum Dominum pro Ecclesia sua voluisse Sacra Scriptura et veneranda Ecclesiae Traditio manifeste ostendunt ». *Ratio*: haec emendatio, nobis videtur, clarius in summarium reddere sensum articuli.

5. Cap. I. Art. 3, pag. 9, lin. 40. Omittatur: « Vestigia enim ... operibus suis ». *Ratio*: verba haec, ut nobis videtur, parum addunt sensui et videntur aliquantum « patrocinians » (anglice " patronising ").

17

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Multa bona inveniuntur in hoc schemate decreti *de Oecumenismo*; tamen, mirandum est, post tot discussiones, nos adhuc invenire obscuritates, difficultates et ambagies quae ex non accurata notione Ecclesiae ortae sunt.

Huius meae affirmationis probationes invenietis in pagina octava fasciculi cui titulus « Emendationes super schema Decreti de Oecumenismo » et in ipsa prima pagina nostri schematis ubi sermo est de principiis oecumenismi; sic enim legimus:

Lin. 8: « in Ecclesia sua (Christus) mirabile unitatis sacramentum instituit ». Interrogo: sermo est de Eucharistico sacramento vel de Ecclesia ipsa ut sacramento?...

Lin. 12: « Ecclesia est Dei populus, Novi Foederis »; sed in schemate *de Ecclesia,* aliter et quidem diffuse, dissertum est tum de populo Dei tum de Ecclesia quae, ut dictum est, ab Abel iusto usque ad ultimum electum est.

Lin. 1: « De Ecclesiae unitate et unicitate ». Unitas desumitur ex indivisibilitate, sed unicitas — sit venia verbo — ex solitudine; unicus enim est qui solus est! Sed si Ecclesia est unica, quomodo loqui possumus de Oecumenismo et quidem cum ceteris Ecclesiis, ut legimus pluribus in locis textus nostri schematis?...

Et ex non accurata definitione Ecclesiae, gravissima difficultas quae oritur haec est: « *non satis constat, in schemate, cur quis debeat in Ecclesiam catholicam ingredi* », nam:

a) si Ecclesia est ab Abel iusto usque ad ultimum electum, ad quid?... Omnes iusti iam sunt in Ecclesia!

b) Si ipsum Concilium sermonem facit, in ipso schemate de Oecumenismo, de libertate religiosa, ad quid?...

Meo humili iudicio, oecumenismus est dynamismus Vitae et Veritatis qui, ut in divinis, ad unitatem, in pluralitate, ducit.

Mandatum Christi quod in schemate ut fundamentum oecumenismi ponitur, nec fundamentum est nec fundamentum esse potest quia non est mandatum, sed oratio tantum, et est ex abundantia. Nam ipsa redemptio, aiente S. Paulo, est congregatio dispersorum; attamen non unica, sed novissima ac perfectissima.

Ecclesia enim, omnimode universalis, quae ab Adam innocente seu ab Abel iusto perget usque ad ultimum electum, non est quid horizontale, sed *conicum et pyramidale,* scil. ad perfectiorem in dies formam a divina voluntate et caritate, *gradatim,* adductum; in cuius coni seu pyramidis vertice, nempe doctrinae et mediorum ad salutem plenitudine, a Deo perducta et locata est Ecclesiae novissima et definitiva forma quae catholica nuncupatur.

Ideoque qui scienter et volenter, ad illam ascendere renuit, divinae voluntati contradicit, Spiritum Sanctum contristat cuius opus contemnit, sicque a Dei gratia decidit, salutemque suam aeternam in discrimen adducit.

Ex hoc claro principio, sanus oritur oecumenismus, seu catholicorum hierarcharum fideliumque omnium, obligatio universos, sanctitate, oratione, aliisque aptis mediis ad Catholicae Ecclesiae summitatem alliciendi, inducendi, amanterque compellendi; sicut et obligatio universorum qui ad talem apicem nondum pervenerunt, divinam voluntatem, inspiratione vel praedica-

tione aut studio perceptam, humiliter sincereque inquirendi, eique amanter se conformandi, ad Ecclesiae Catholicae perfectionem ascendentes; ut ita, secundum Aeterni consilium, et ipsi se sentiant totaliter factos, seu, ut italice dicitur, « totalmente realizzati ».

Venerabiles Patres, hucusque dixi « mirandum est »; sed nunc addendum, pro sequenti verbo, « dolendum est ».

Dolendum est enim quod clarissimi Patres, confectores istius nostri schematis, in ipso primo capite ubi sermo de principiis oecumenismi catholici, aperte posuerunt doctrinam de collegio episcopali, quae doctrina, ut audivimus in aula istis in diebus ex ore plurimorum Patrum inter quos et purpurati et assertores collegii, non est definita et est difficilis definitu.

Non est dolendum quod ii Patres suam ideam habeant sicut et nos nostram habemus, sed dolendum quia hanc ideam, nec definitam nec definibilem, in schemate posuerunt et quidem aperte, ipsi qui ex officio, ut ita dicam, extra et supra discussiones esse deberent et tam pulcherrime in pag. 17, lin. 21 asseruerunt « nil (esse) ab oecumenismo tam alienum quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur vel eius sensus genuinus et certus obscuratur ».

Et quod peius, dolendum quia ideam sustentant citationibus quae vel non sunt ad rem vel vim probativam non habent. Cf. pag. 1, lin. 27 et notam 5:

a) textus: « ut fratrum suorum (Petrus) collegio praeesset »;

b) nota apposita: *Mt.* 16, 18 et *Mt.* 18, 18.

Prima citatio sic sonat: « Et ego dico Tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam ».

Quaero: ubi collegium?...

Citatio altera sic sonat: « Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo ».

Sed audiamus Origenem, auctorem praecellentem et omnem schismam praecedentem, hos ipsos textus collatos commentando: « ... si ad evangelica scripta animum diligenter attendamus, ibi *magnum* inveniemus *discrimen* et excellentiam eorum quae Petro prae iis quae aliis dicta sunt, etiam in his rebus quae Petrum inter eosque qui ter fratres obiurgaverunt *communes esse videntur*. Nec enim exigua differentia est claves non unius caeli Petrum sed plurimorum accepisse; et quaecumque super terram alligaverit, non in uno caelo sed in omnibus ligata esse, prae pluribus aliis qui super terram et alligant et solvunt, ita ut haec alligata et soluta sint non in caelis, sicut Petro concessum est; sed in uno caelo: nec enim eo penetrandi facultate pollent, quemadmodum Petrus, ut alligent vel solvant in omnibus caelis » (*Hom. in Mat.*).

Conclusio: *a*) Quae non sunt clara, clarificentur. *b*) Quae non sunt clara, in schemate non ponantur.

18

EXC.MUS P. D. ANTONIUS LÓPEZ AVIÑA

Archiepiscopus Durangensis

Circa cap. I *de Oecumenismo* linn. 38 ss.

Schema sic loquitur: « Ex altera autem parte necessarium est catholicos cum gaudio agnoscere et aestimare bona vere christiana quae apud fratres separatos inveniuntur ».

Nulla est difficultas hoc affirmare quando de Ecclesia orientali sermo fit in qua libenter et grato animo agnoscimus et aestimamus bona vere christiana quae apud ipsam inveniuntur.

Sed talia verba applicare communitatibus fratrum separatorum praesertim protestantium, ansam praebent et erronea forma interpretari possunt quasi si bona christiana quibus ornantur essent ipsius propriae essentiae vel naturae separatae communitatis; et hoc non est verum, nam bona illa vere christiana sunt unice et proprie loquendo, Ecclesiae a Christo Domino fundatae.

Quare propono textus emendationem hac forma: « Ex altera autem parte necessarium est catholicos cum gaudio agnoscere et aestimare bona vere christiana quae ob suam in Christum fidem, fratres separati adhuc servant. Vestigia enim Christi ... ».

Circa cap. I n. 3 (*De Oecumenismo*), pag. 10, lin. 25.

1. Sancta Synodus omnes catholicos hortatur ut se abstineant a verbis, iudiciis et operibus quae fratrum separatorum condicioni secundum aequitatem et veritatem non respondent, ideoque mutuas cum ipsis rationes difficiliores reddunt.

Videtur ergo schema non respicere nisi fratres separatos qui in bona fide versantur. Verissimum est dialogum vere pacificum et claritate fundato cum ipsis instituere, magna etiam cum spe et gratiae Dei auxilio, conversiones obtinendi. Etiam verum est magna ex parte fratrum separatorum (in Europa praesertim) esse in bona fide et proinde oecumenismus, forma a schemate proposita, possibilis est.

Tamen, si schema vere spiritu oecumenico ornatur, etiam ingentem multitudinem fratrum separatorum qui sunt in mala fide considerare debet. Dialogum cum ipsis instituere necnon cooperatio, mutua cognitio et aestimatio theoretice fieri potest, practice autem sine scandalo fidelium et quam maximi indifferentismi religiosi, fere impossibilis evadit.

Quare rationibus supra expositis videtur maxime necessarium ut Sacrosancta Synodus normas claras ad dialogum cum fratribus separatis bonae vel malae fidei versantibus statuat.

Circa cap. I, n. 3 (*De Oecumenismo*), pag. 10, linn. 32 s.

« Quae omnia sub voce oecumenismi veniunt, quippe qui motus sit et ordinata actio ad illam unitatem christianorum fovendam quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus ».

Talis descriptio oecumenismi est incompleta ut mihi videtur.

Rationes: *a*) quia non clare exponit finis ultimus ab Ecclesia intentus promovendo et fovendo unitatem; nam valde vagum est affirmare solummodo fovendam esse unitatem quam Christus Dominus postulavit quin dicatur ubinam talis unio inveniri possit et dari.

b) Videtur incompleta descriptio oecumenismi, aliquo metu, nostram fidem integre et lucide exponendi, ne forte displiceat fratribus separatis. Sed (sunt verba schematis n. 10, cap. II, lin. 21) « nihil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patiatur vel eius sensus genuinus et certus obscuratur ».

Quare sequentem descriptionem propono: Motus et ordinata actio omnium christianorum ad fovendam unitatem quae (unio) nonnisi in Ecclesia catholica a Christo Domino fundata haberi potest.

19

Exc.mus P. D. ALOISIUS LORSCHEIDER
Episcopus Angelopolitanus

Pag. 7, lin. 8: in Ecclesia sua mirabile unitatis sacramentum instituit: dicatur: et Ecclesiam suam tamquam mirabile unitatis sacramentum instituit. *Ratio*: claritatis causa.

Pag. 9, linn. 28-29: dicatur: ut Ecclesia, gloriosa Christi sponsa, sine macula et ruga *etiam* in praesenti saeculo magis magisque appareat. *Ratio*: Ecclesia hac in terra numquam erit sine macula et ruga. De die in diem sese perficit.

Pag. 9, linn. 24 ss.: imperfectiones Ecclesiae solis membris tribuuntur. Videtur minus rectum, cum Ecclesia ipsa in intima sua natura sit communitas et humana, et saepe valde humana. Ecclesia igitur semetipsam examinare debet ut videat utrum proprius vultus correspondeat vultui Christi. Cf. allocutionem Pauli VI initio huius alterius sessionis Concilii Oecumenici Vaticani II.

Pag. 10, lin. 10: omittatur vox *aliquantum*. *Ratio*: non videtur necessaria.

Pag. 10, lin. 11: omittatur vox *funeste*. *Ratio*: patet.

Pag. 10, lin. 27: post verba « secundum aequitatem et veritatem » adiungantur verba « *necnon et caritatem* ».

20

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON
Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

Forsan opportunum erit si in hoc schemate aliqua pauca addantur tamquam dulce sed forte monitum contra divisionem, ita ut orientales schismatici cuiuscumque aetatis vel ritus alliciantur ad considerationem quod divi-

siones ecclesiarum sint contra voluntatem Christi et ad timorem ne ob iniquitates nostras et pressuram ab inimicis ut sunt islamici et communistae, fides penitus exstinguatur vel minuatur in quibusdam regionibus.

Fere omnia puncta huius capitis — quod mihi valde placet una cum toto schemate — mihi videntur nimis longa, dicerem kilometrica, ideoque difficilia lectui, difficiliora captui et difficillima recordationi. Rogo ut simpliciora fiant aut verba decurtando aut, si primum damnum ferret textui, in plurima puncta totum caput dividendo.

21

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 9, linn. 30-37. Doctrina, in his lineis tradita, obscuritate et ambiguitate laborare videtur. Quid, v. g., significant illa verba « recta libertas in liturgicis celebrationibus et in theologicis veritatis elucubrationibus aliisque legitime diversis »?

Item, veri nominis catholicitas nonne potius in unitate quam in diversitate est reponenda? Certum sane est catholicitatem, quam in Symbolo profitemur esse proprietatem Ecclesiae, non consistere in diversitate confessionum nisi consentiant in unitatem fidei et communionis verae Ecclesiae.

Pag. 9, lin. 37 usque ad pag. 10, lin. 8. Haec vera sunt. Notandum tamen est

a) « bona vere christiana quae apud fratres separatos inveniuntur » ea sane sunt quae conservant ex catholica Ecclesia, non ipsorum propria. Oporteret clare affirmare unam et unicam esse veram Christi Ecclesiam, cui Christus commisit omnia salutis media administrare, doctrinam revelatam praedicare, et legem evangelicam ad universam humanam vitam applicare. Hoc divinum mandatum Ecclesia adimplet per suos legitimos ministros quos muneribus hierarchicis divinitus instructos habet. Attamen benignissimus Deus, in favorem eorum qui bona fide errant, Ecclesiae concessit ut sacramenta, quae non nisi verae Ecclesiae sacramenta sunt, etiam, velut anormali modo, valide tamen administrarentur, per dissidentes videlicet ministros, habentes tamen necessariam intentionem faciendi quod facit Ecclesia atque supplente eadem vera Ecclesia iurisdictionem quae forte sit necessaria ad aliqua sacramenta administranda. Hac ratione, licet a dissidentibus administrata, non sunt nisi sacramenta verae Ecclesiae unius et unicae. Idem essentialiter dici potest de praedicatione doctrinae revelatae et de applicatione legis evangelicae ad humanam vitam. Ergo bona vere christiana quae apud Fratres separatos inveniuntur, non sunt eorum propria, sed verae Ecclesiae, cuius ipsi, licet illegitimi, tamen veri ministri sunt dicendi. Itaque, fructus omnes sacramentorum, praedicationis rectae fidei et applicationis Legis evangelicae, uni et unicae verae Ecclesiae attribui debent, quae ma-

terno hominum amore divitias veritatis et gratiae a divino suo Sponso acceptas, per ministros dissidentes, veluti mediate, etiam ad eos qui bona fide errant non dedignatur impertire.

b) In laudibus fratribus separatis tribuendis praecavendum esse putamus ne fideles catholici censeant in illorum doctrina et moribus bona invenire, quibus catholici caremus; neque his praebeatur occasio incidendi in indifferentismum religiosum, immo haereticam religionem amplectendi.

Proh dolor! Ex verbis et scriptis, tum a catholicis tum ab acatholicis prolatis, constat in quibusdam regionibus ad protestantium partes hisce ultimis annis non paucos catholicos transiisse.

De hoc gravi periculo, ex non recta communicatione cum fratribus separatis proveniente, schema silet.

Sed, quid docet S. Scriptura? « Attendite a falsis prophetis » (*Mt.* 7, 15). « Haereticum hominem ... devita » (*Tit.* 3, 10), 2 *Io.* 9-11 et alia.

22

Exc.mus P. D. GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS
Archiepiscopus-episcopus Barcinonensis

N. 1, linn. 8 s.: « ... *mirabile unitatis sacramentum* ». Loquitur de Eucharistia? Non satis clare apparet. Potest etiam intellegi de ipsa Ecclesia (scil. Ecclesia est « sacramentum » — i. e. « mysterium » — unitatis). In qualibet suppositione, Eucharistia explicite deberet exhiberi et extolli tanquam signum et causa unitatis Ecclesiae. Ad hanc ideam collustrandam prostant textus innumeri et pulcherrimi (cf. v. g. Litt. Enc. *Mirae Caritatis* cit. in Denzinger-Schönmetzer 3362), et phrases quas ipsa affert, v. g. illud Augustini: « O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis » (*ML* 35, 1613).

N. 1, linn. 13 ss. (pag. 7): in toto contextu videtur studiose vitari imago « Corporis mystici Christi ». Sed verba S. Pauli quae citantur fere omnia collineant in hanc imaginem. Idea unitatis melius effertur sub allegoria Corporis quam in ipsa expressione « Populi Dei ».

N. 1, linn. 22 ss. (pag. 7): modus loquendi (immo forsitan cogitandi?) totius contextus sapere videtur « falsum irenismum ». Quid praecise significat Ecclesiam aedificari « super fundamentum apostolorum et prophetarum »? (Non constat, in contextu epist. ad *Eph.*, de quibusnam « prophetis » agatur, immo, nec de quibusnam praecise « apostolis »). Textus est dubiae interpretationis, ut saepius dictum est. E contra, tacetur textus classicus « super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam ». De hoc silentio vix dari potest ulla explicatio rationabilis; fratres nondum uniti ius habent audiendi explicite quid est quod omnes catholici veri nominis reapse credunt et confitentur. Dicitur B. Petrum electum esse « ut fratrum suorum collegio praeesset ». Textus qui adducitur in nota (*Mt.* 16, 18; supponitur, ni fallor,

etiam vers. 19), etiam collatus cum alio textu (18, 18), aliquid plus dicit quam « praeesse in collegio apostolico »! Idea veri Primatus quasi tegitur sub una phrasi: « universum gregem in perfecta unitate pascendo ». Sed quaeri potest: « grex » includit etiam ceteros « pastores » praeter Petrum, necne?

Ut sincere fatear, redactor mihi videtur defecisse in officio sinceritatis et plenae veritatis.

N. 1, pag. 8, lin. 1: « ... per eorum eorumque successorum ». Ad quosnam refertur? Ad « apostolos et prophetas »? ad collegium Duodecim? ad Petrum in suo munere singulari (etiam)?

Non intellego cur nulla allusio, cum agatur de « nostra » mente exponenda, ad factum « romanitatis »...

N. 1, pag. 8, lin. 6: « in regiminis fraterna concordia ». Quaenam « fraterna concordia », illorum scil. qui regunt, aut illorum qui reguntur? Nonne oporteret verbum facere, in spiritu Novi Testamenti, etiam ad « oboedientiam » sub pastoribus. Nam « concordia » non semper obtinetur ex solo spiritu « fraternitatis ».

N. 2, pag. 8, linn. 13 s.: « Iam a primordiis schismata quaedam... ». Refertur (ut patet ex nota) ad dissidia communitatis paulinae in urbe Corinthiorum. « Primordia » intellegi videntur de aetate apostolica. Verbum « schisma », ex longo usu, refertur ad veram « scissionem » seu separationem totalem a communitate. Nullo modo de hoc agebatur! E contra, facta posteriora vocantur (etsi « ampliores ») « dissensiones ». Nonne fuerunt vera « schismata »? Bonum est quod ex caritate vitetur nomen. Sed, eadem ratione, neque bonis « corinthiis » tribuatur!

N. 2, pag. 8, linn. 32-36: redactio textus laborat obscuritate. Ingerere possunt, insuper, quandam veluti agnitionem « ecclesiarum separatarum » ut pertinentium (qua talium) ad ordinem salutis.

N. 4, pag. 15, linn. 9-12: commendatur dialogus cum fratribus separatis. Hoc valde iucundum est, sed supponit conditiones « culturae » humanae et religiosae (sinceritatis, « elevationis », etc.), quae non semper et ubique dantur. In quibusdam regionibus hoc positive periculosum est, et perniciosum in praxi esse potest. Neque contextus schemati favet huic consilio. Sacra Synodus cavere deberet ab affirmationibus nimis generalibus, cum agitur de rebus, ut ita dicam, « contingentibus ». Immo, saepius pastores, sub ductu supremae auctoritatis ecclesiasticae, contrarium consilium fidelibus dederunt. Valde nocet fidelibus simplicibus (nam non omnes fieri possunt fortes et sapientes! cf. *1 Cor.* 8, 7 ss.) quod, brevi lapsu annorum, de rebus summi momenti, audire teneantur adhortationes fere in contrarium trahentes...

N. 24, pag. 25, lin. 15: ipso « dialogo », iidem (christiani) « iam invicem sunt sibi viciniores ». Phrasis benevola est et pia. Sed nonne ansam praebet ad « reflexionem » minus benevolam? Nam (ad litteram) etiam filii Ecclesiae catholicae facti sunt, propter dialogum, viciniores fratribus sepa-

ratis (in concreto, v. g. « protestantibus »). De qua vicinitate progressiva agitur? Supponitur, ut patet, de affectu caritatis. Sed nonne quis cogitare posset de aliqua « approximatione » etiam in re doctrinali (et quidem quatenus « separata »)? Et de aliqua ulteriori « vicinitate » in ratione cogitandi et agendi — etiam in quantum ipsa specifice pertinet ad ordinem « separationis »?...

23

EXC.MUS P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON
Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Velim aliquas animadversiones facere in n. 2, pag. 8 schematis, et praecise in paragraphum tertiam, quartam et quintam istius numeri, ubi quaedam inveniuntur quae animam meam vehementer perturbant.

1. Quoad paragraphum *tertiam,* scil.: « Etenim ex elementis seu bonis ... » etc., duo velim indicare:

a) Quaenam sunt illa « nonnulla visibilia elementa » de quibus schema loquitur? Quid significant haec arcana verba? Ego triginta et sex Patres rogavi ut genuinum sensum istorum verborum mihi explicarent, et nemo ex illis potuit verbum respondere. Igitur commissio debet mentem suam Patribus pandere et sic obfuscationes removere.

b) Quomodo « Ecclesiae *unitas* manifestatur » illis non-indicatis elementis visibilibus quae extra Ecclesiam forsitan inveniuntur? Hoc clare est *contradictio in terminis.* Schisma minime manifestat unitatem, sed scissionem. Huiusmodi lusus verborum nihil ad oecumenismum confert: e contra, damnum magnum facere possit. Observanter igitur peto ut verba ista auferantur.

2. Quoad paragraphum *quartam,* scil.: « Nonnullae etiam christianae religionis actiones sacrae... etc. ». Et quaero: *Quaenam* sunt huiusmodi « actiones sacrae ... quae procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt »? Et quomodo differunt ab istis non-indicatis « elementis visibilibus » quae in praecedente paragrapho subobscure adumbrantur? Si episcopi medii ingenii haec capere non valeant, quomodo capient fideles ad quos etiam hoc decretum destinatur?

3. Quoad paragraphum *quintam,* quae sic incipit: « Item ipsae ecclesiae ... ». Nullo modo prorsus placet sententia illa « Iis enim Spiritus Christi uti non renuit tamquam salutis mediis ». Sane enim Deus non utitur istis ecclesiis *uti talibus,* id est praecise *uti ecclesiis,* tamquam mediis salutis ac si in eis media salutis ipse posuisset. Quod planum est, ne dicatur Deus auctor schismatis, haereseos et contradictionis. Nihil tam efficaciter fovet *indifferentismum* quam huiusmodi laxitas verborum, uti nos bene scimus qui totam vitam in protestantes agimus.

Enixe igitur rogo commissionem ut has confusiones removeant ne novissima sint peiora prioribus.

4. Alia duo commissioni brevissime propono:

a) In lin. 34, pag. 8, loco expressionis « Spiritus Christi » ponatur expressio « Spiritus Sanctus », nam prior expressio in usu apud fideles *non* invenitur (licet in S. Scriptura inveniatur) et in multis linguis vernaculis omnino non bene sonat nec intellectu facilis est.

b) In lin. 3, pag. 9. Loco expressionis « generale auxilium salutis », quae expressio valde debilis et vacua est, ponatur alia magis robusta et exacta fidelium captui accommodata.

24

Exc.mus P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA
Archiepiscopus Valentinus

Schema *de Oecumenismo* si quinque proposita capita comprehendere intendit, ex ipsius definitione in cap. I data, eruitur: 1. logicum non esse; 2. harmonia paratum non fulgere.

1. Logicum non est. Si definitio oecumenismi, quae ut genuina a relatione (pag. 13, cap. I) laudatur, ea est quae, relatione duce, nn. 1, 2 et 3, inseritur, sic ad litteram sonans (pag. 10, linn. 32-35): « ... quippe qui motus sit et ordinata actio ad illam unitatem *christianorum* fovendam quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus », nemo non videt illogicum « schema de Oecumenismo » esse, si cap. IV, quod de populo iudaico agit, comprehendere intendat; populus enim iudaicus nomine christiano non gloriatur.

Faxit Deus ut cito glorietur et de eo agi mihi pergratum erit, sed in opportuno schemate.

2. Harmonia paratum non fulget. Cap. V enim non tantum de « christianorum libertate religiosa » disserit, sed de omnium hominum « libertate religiosa ».

Posterior autem a praelaudata oecumenismi definitione exulat, aliquid superabundans, extra-vagans, corpori definitionis extraneum, schematisque harmoniam labefactans, addendo. Propono igitur:

1. Ut nomen *Oecumenismi* quod ex acatholicis usurpatum sonat, et impar amplectandi videtur quod anxie amplectari desiderat, mutetur.

2. Ut, si conservetur, restet sicuti est: solos christianos complectens.

3. Ut de libertate, a schemate « religiosa » dicta, praecisis verbis in paedagogia oecumenismi, in eius scilicet exercitio, rite tractetur.

Quod totum et feliciter, sed alio capite, iam Patres conciliares discutiere.

25

EXC.MUS P. D. RENATUS PAILLOUX
Episcopus Arcis Rosebery

Ad titulum decreti necnon ad cap. I, sc. de Oecumenismi catholici principiis. Ex quo liber *de Oecumenismo* typis descriptus fuerit, nova capita addita sunt, nempe: cap. IV: De catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos; cap. V: De libertate religiosa.

Argumenta eorum qui iis duobus capitibus schemati *de Oecumenismo* addendis adversantur aliquo logico fundamento non carent.

Attamen, quamvis aliae opiniones in aula Conciliari ab em.mis Patribus iam expressae fuerint, humiliter sentio exoptandum esse ut hae quaestiones recenter propositae in schemate decreti *de Oecumenismo* locum inveniant.

Meo iudicio, disceptatio sincera Oecumenismi in libertatis religiosae recognitione fundari debet, dummodo explanatio datur de iis quae libertati religiosae competunt ut in novo cap. V reapse fit. Obicitur quod talis declaratio mentes hominum perturbare posset et ad indifferentismum circa varias religiones conducere forsitan posset. Hoc periculum denegari non potest, sed certo vitari potest si materia clare enuntiatur.

Difficilius apparet ut de Iudaeis in cap. IV speciatim agatur, quia tunc non clare videtur cur de Mahumetanis sermo non habetur, quippe qui in Unico Deo credunt. Attamen id fieri posset si, in ipso decreti titulo, vel saltem in aliquo prooemio, latior definitio daretur de ambitu Oecumenismi utpote a nobis intelligitur.

26

EXC.MUS P. D. PASCHALIS QUAREMBA
Episcopus Gallipolitanus

Pag. 8, n. 2 agitur de habitudine fratrum separatorum. In linn. 22 ss. enumerantur tantum in ecclesiis et communitatibus seiunctis elementa bona, quae in eis sunt; nihil dicitur de discrepantiis inter illas ecclesias et communitates seiunctas ad Ecclesiam catholicam quod spectat. Sermo enim fit de gratiae vita, de aliquibus interioribus Spiritus Sancti donis, de fide, spe et caritate, de christianae religionis actionibus sacris etc. quae omnia illae ecclesiae et communitates possidere videntur. Nisi vero adnumerentur etiam discrepantiae, quae SS. Eucaristiam, B. Virginem Mariam et Summum Pontificem respiciunt, magna confusio erit in fidelibus, qui sibi persuadere possunt se alternam animae salutem consecuturos esse etiam in aliis ecclesiis vel communitatibus christianis; ac proinde indifferens esse hanc vel illam ecclesiam ingredi.

Mea humili sententia, ne fiat tractatus dogmaticus, discrepantiae enucleentur inter illas ecclesias et communitates quoad Ecclesiam catholicam.

Pag. 9, n. et sequentibus agitur de custodienda *unitate in necessariis* et de libertate in explicanda religiosae vitae forma. Animadvertere mihi liceat varias formas religiosae vitae explicari in textu, sed nihil dici de conditionibus, quae tuendae erunt ad unitatem habendam.

Valde utile est eas *cum claritate* exponi, ita ut unusquisque sciat quid *necessarium* sit ad salutem consequendam.

Pag. 10, n. 3 linn. 29 ss. agitur de exhortatione ad inquirendas modalitates quibus catholici et fratres seiuncti cognosci possunt. Ut colloquium cum seiunctis fieri possit, necesse est ut cognoscatur eorum doctrina, ut visitentur eorum templa, ut nota sit eorum vita religiosa etc. Sed haec omnia quomodo haberi possunt cum adhuc vigeat lex non legendi eorum libros, non communicandi cum eis, non colloquendi cum eis etc.? Necesse ergo est ut haec lex abrogetur, et facultas ordinaria sit episcopis licentiam concedendi ut eorum subditi haec pergere valeant sine recursu ad Sanctam Sedem.

27

EXC.MUS P. D. PETRUS ROUGÉ
Episcopus Nemausensis

Hoc caput valde placet, tum quia considerat communionem quam iam cum fratribus christianis habemus et quam semper ac semper magis augeri speramus, tum quia declarat renovationem Ecclesiae catholicae necessariam esse.

Vellem tamen aliquas animadversiones facere, ut praecisius et clarius manifestemus sensum huius capitis.

1. Per hoc schema Ecclesia catholica proponere non contendit rationem oecumenicam (vel methodum) perfecte elaboratam ex propria unitatis notione.

« Principia » igitur non ponit alicuius « oecumenismi catholici », cui opponere possint alii oecumenismi. Unus est oecumenismus et omnes christianos amplectitur. In hoc schemate potius agitur « de principiis catholicis in oecumenismo ».

2. Summum punctum huius schematis est affirmatio quod secundum mentem Ecclesiae catholicae communitates seiunctae extra salutiferum Ecclesiae mysterium non sunt, sed et cum nobis participant aliquid de mysterio salutis in Christo Iesu. Affirmamus Iesum Christum in omnibus baptizatis qui nomen christianorum vindicant agere. Arbitramur quod omnes christiani in Verbum Dei credunt, et ex eo vivere profitentur. Non leve est Iesum Christum hominum Salvatorem co-amare, et Evangelium eius velut unicam salutiferam veritatem co-vindicare.

3. Ecclesia catholica, dum pronuntiat unitatem non tantum promissam esse, sed iam Ecclesiae datam, sua ipsi exsistentia — una cum Ecclesiis orthodoxis — affirmationem affert maximi momenti, unitati perfectae essentialem, quam desiderat omnes seiunctas communitates perpendere. Hoc di-

cens, non aestimat Ecclesia catholica se non aequaliter ac omnes ecclesias labore indigere ad se renovandam et se mundi et Ecclesiae Domino subiiciendam. Exspectat adventum eschatologicum Domini, et scit se ab eo iudicaturam esse. Primum opus ad unitatem consequendam, uti dicit schema, renovatio totius Ecclesiae est.

4. Tempora bellatoriorum contentionum vixerunt. In nostra aetate oritura est vera theologia Ecclesiae, communionis mysterii. Eucharistia, unitatis sacramentum, adest et vocat nos. Hodie inter nos dissensiones adhuc tales sunt ut unio in Eucharistia sanciri non possit; attamen donum ille quod Christus nobis donavit, unitas sua in Corpore suo, focus est lucens et ardens omnes christianos alliciens, ut fiet una cena, una communio, una Ecclesia.

Per baptismum etenim et per vitam christianam fideliter professam, Christus vocat fratres christianos, ad maiorem coniunctionem cum eo. Si cum gratiarum actione recognoscamus actionem Domini in fratribus nostris et si renovemur in spiritu mentis nostrae, Dominus, quando sibi placuerit dabit unitatem perfecte visibilem.

Optarem ergo ut in cap. I melius indicaretur quod ipsa plenitudo catholicitatis quae omnes nos attrahit est Christus ipse, cuius per Spiritum sapientia repleti sumus: ut ait apostolus oportet et nos « scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei » (*Eph.* 3, 19). Oecumenismus non existit nisi sollemniter recognoscatur actio Christi in Spiritu in christianos, ut congreget eos in Eucharistia.

Recognoscenda sunt in fratribus christianis dona a Christo data et actio Christi eos ad meliorem intelligentiam mysterii inducens.

28

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

In nomine suo et plurimorum episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis.

Introductio.

1. Cum recenter in congregationibus generalibus fuse demonstretur inutilitas immo et periculum in discussionibus de *verbis* vel singulis expressionibus corrigendis, non loquor de particularibus verbis.

2. Nec in hoc capite videtur requiri emendationes de rebus theologicis et doctrinalibus in eo sive expressis sive implicitis nam, uti saltem nobis videtur, principia in capite bene fundantur in doctrina catholica omnino orthodoxa.

3. Potius interventio vult monstrare principia ipsa in capite tum debere tum esse *pastoralia* et sub hoc respectu optime esse accommodata ad *opera* oecumenica recte regenda.

I. Finis cap. I huius schematis, quod revera maxime pastorale est, sic exprimi potest: ut principia elaborentur quae ad *opera* immediate dirigantur. Nullo modo est ad doctrinam vel corpus doctrinae speculativae complendam.

II. Nullus alius finis, saltem his diebus, possibilis est nam:

1. Oecumenismus est natura sua *operatio* vel, melius, « modus operandi », « movimento », « movement ».

2. Oecumenismus multiformis est nec mere intellectualis, vel theologicus, vel doctrinalis, vel socialis sed « complexus » illorum aliorumque rerum.

III. Hic finis legitimus est nam:

1. sancitur ab auctoritate in Ecclesia suprema.

2. Respondet voluntati Christi in oratione sua « ut omnes unum sint ».

IV. Hic finis requiritur nam necessarius est ut habeatur oecumenismus catholicus qui et ipse requiritur quia: Si mere ad quattuor saecula elapsa attenditur, elaboratio depositi fidei ut sit in seipso clarissimum, quamquam omnino necessarium sit, relative impar videtur ad voluntatem Christi plene implendam vel, uti die 21 in hac aula a Patre conciliari notabatur (cum de « saecularizatione » ingentis numeri « catholicorum » loquitur), ad fidem conservandam multorum qui baptismum catholicum receperunt sed revera a fide defecerunt, cum de facto religionem catholicam (ne dicam christianam!) ne quidem externe profitentur.

V. Hic finis optime impletur in capite primo nam, si recoleretur in mente quid sit momentum huius capitis: quod est pastorale potiusquam theoreticum, ad ordinem practicum ordinatum potiusquam idealem, normativum potiusquam pure scientificum, facillime videretur nihil contra doctrinam catholicam et traditionalem in eo inveniri simul ac ipsa principia viderentur ex experientia saltem valde utilia esse.

Conclusio. Nisi hic finis capituli, et in mensura sua, finis totius schematis, omnino proprius semper attendatur et prae oculis habeatur, labores nostri in capitulo examinando et discutiendo inanes et vani evadant nam res et qualitates quaeremus ubi nec sunt nec esse debent.

29

EXC.MUS P. D. ANTONIUS TEDDE

Episcopus Uxellensis et Terralbensis

Scripto trado aliquas animadversiones, quas in cap. I schematis *de Oecumenismo* proponendas censui. Breviter dicam.

Laeto animo, gratias Deo agens, iis adhaereo, quae in schemate *de Oecumenismo* dicuntur de fraterna habitudine fidelium catholicorum ad omnes fratres, i. e. ad omnes homines, et quidem in caritate ut omnes homines ad gaudium verae fidei in Ecclesia catholica alliciantur.

Cum, enim, sub nomine Oecumenismi plures errores iam vulgati sint, necesse est ut concinne sed perspicue mens oecumenica Concilii Vaticani II declaretur et explanetur ita ut omnibus doctis et indoctis pateat quid vox Oecumenismus in nostro schemate reapse sonet.

Equidem permagni momenti est Oecumenismi catholici quaestio, quae prima vice in Oecumenico Concilio studio proponitur.

1. Valde optatur, igitur, in nostro schemate, prooemium, in quo Oecumenismus catholicus perclare definiatur ac proponatur theologicis perclaris principibus suffultus ita ut animus et labores Concilii Oecum. Vat. II — hinc et illinc argumentis perpensis — omnibus christianis et non christianis in sua amabili luce pateat.

Originali vitio atque acatholico sensu vox Oecumenismus laborat.

Qua de causa, perplures in nostris catholicis dioecesibus quid sub voce Oecumenismi catholici Concilium Oecum. Vat. II dicere velit instanter et instantius quaerunt.

Multi, enim, videntur persuasum sibi habere Concilium Oecum. Vat. II facili irenismo indulgere, atque quodammodo adprobare periculosam ac falsam opinionem qua omnes religiones bonae ac optimae sunt.

Gravitas huius animorum habitudinis in quaestione de qua agimus neminem latet.

His dubiis ac erroribus fugatis, hinc et illinc colloquentibus vivissima ac fovente luce patebit pastoralis sollicitudo de omnium hominum salute, quae est ratio et finis Concilii Oecumenici Vaticani II, cui velut lex est illud Pauli apostoli: « Caritas Christi urget nos ».

2. Sed, ut caritas hoc Oecumenico tempore omnibus provida aeternae veritatis luce perclarescat, opportunum immo et necessarium videtur doctrinam catholicam de unitate Ecclesiae humilibus sed certis verbis confirmare.

Fratres separati nitente unitatis porta in Christi ovile certiore pede introibunt.

Motionem Oecumenicam catholicam donum quidem provido Dei consilio nostrae aetati comparatum et aptatum — attentis omnibus circumstantiis ac technicae artis et communicationis socialis instrumentorum progressu — censere debemus.

Plenitudinem temporis caritatis et unitatis Oecumenicae venisse magno cum gaudio agnoscimus sed ad tantam gratiam existimandam enixius catholici christifideles parandi sunt.

Animi dispersio, qua recentius gens christiana in Italia et extra Italiam commota est — de qua animi dispersione brevissime dici nequit et amplioribus verbis hic non est loquendum — nos docet candidissimam perspicuitatem necessariam esse ut catholici et acatholici Oecumenismum catholicum recte agnoscant, amplectentur et in actum, Deo adiuvante et B. M. Virgine intercedente, reducant.

Urget caritas in veritate, sed et perspicua et integra veritas in caritate. Episcoporum erit actuosa sollicitudine toto orbe terrarum omnes ho-

mines ad iucundam oecumenicam unitatem in Christi ovile — i. e. ad Ecclesiam catholicam adducere.

3. His praemissis, ob rationes iam expositas, aliqua audeo proponere:

In pag. 7, linn. 8-9, post verba « quia tu me misisti » dicatur: « in Ecclesia sua mirabile unitatis in fide et caritate sacramentum instituit ».

In eadem pag. 7, linn. 23 ss. dicatur: « Ecclesiam aedificavit super Petrum — Petra super quam Ecclesiam suam aedificavit et in eius successoribus aedificat, Petro agnos et oves pascendi ac singulos in fide confirmandi munere tradito — et super fundamentum apostolorum etc. ... concredidit » (omissis a lin. 25 a verbo « inter quos Beatum ... » usque ad lin. 29 « unitate pascendo »), ipso summo angulari lapide Christo Iesu semper manente. *Ratio*: causae Oecumenismi catholici maximae utilitati est perspicuis verbis Supremam Petri auctoritatem proponere.

In eadem pag. 7, lin. 24, loco « atque collegio duodecim » dicatur: « atque Petro et sub Petri auctoritate omnibus apostolis » etc. *Ratio*: rationem supra attuli.

In pag. 8, lin. 6 post verba « fraterna concordia » haec adiungantur: « intercedente B. M. Virgine — candida Revelationis Virgine — cuius maternae caritati Christus in Cruce Redemptionis opus consummans omnes homines in Ioanne concredidit ». *Ratio*: nomen B. Virginis Mariae causae Oecumenismi catholici lumen ac robur affert: est veluti sol qui mentem et cor catholicorum et non catholicorum illuminare ac inflammare valet ut omnes ad veritatem in caritate congrediantur.

Vita christiana sine B. Virgine Maria — omnium hominum Matre patientissima — arida est, gelida est. Fratres nostri occidentales separati Matrem non habent: Matre orbati sunt. Audeamus illis Matrem Virginem Mariam restituere. Ne Matrem Virginem Mariam erubescamus. Fratres nostri occidentales separati nostrae apertae audaciae grati erunt.

Beata Virgo, omnium gratiarum Mediatrix, sua materna caritate omnes homines in unum Christi Ovile toto orbe terrarum adducet.

Deo gratias! Et Mariae.

30

Exc.mus P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT
Episcopus Inongoensis

Dans ce premier chapitre il est parlé de l'Œcuménisme (n. 3), d'une manière descriptive, qui aboutit pour finir à une conclusion plutôt qu'à une définition: « quae omnia veniunt sub voce oecumenismi, quippe qui motus sit et ordinata actio ad illam unitatem christianorum fovendam, quam ... ».

Cette conclusion tient lieu de définition. Elle est pratiquement reprise de la manière courante de parler de ceux qui ont suscité et organisé le mouvement œcuménique en dehors de l'Eglise catholique et qui se sont toujours

interdit de donner clairement la définition et la doctrine sousjacentes à leurs aspirations et à leur mouvement, pour la bonne raison qu'ils n'avaient pas là-dessus une manière de voir commune et précise.

Le schéma, qui n'hésite pas à appeler son chapitre I, non pas « de oecumenismi principiis catholicis », — se qui pourrait insinuer qu'avec des principes différents on est d'accord sur la définition —, mais « de oecumenismi catholici principiis », ne cache donc pas que l'Eglise catholique a sur la manière de comprendre l'œcuménisme ses vues à elle. Il devrait donc commencer par définir « l'œcuménisme catholique ». L'absence de définition est une grave lacune et nuit grandement à l'ensemble du schéma et à sa compréhension.

Le fait de suppléer à cette lacune ne nuira pas au mouvement œcuménique ni à son rapprochement avec l'Eglise catholique, car le secrétaire général du Conseil Œcuménique des Eglises a dit publiquement que « le mouvement œcuménique n'a pas été créé par des tièdes et que c'est même un de ses principes fondamentaux de noter et d'exprimer les désaccords aussi clairement que les accords » (réunion du dimanche 21 juillet 1963, à Montréal, en présence de S. Em. le Cardinal Léger). Jusqu'en 1952 d'ailleurs c'était l'attitude générale du Conseil Œcuménique des Eglises d'employer la méthode comparative, qui consistait à préciser la doctrine de chaque Eglise face à celle des autres Eglises.

A la base de l'Œcuménisme comme mouvement, il y a d'abord le désir de l'unité de tous les chrétiens, non pas d'une unité quelconque et superficielle, mais de l'unité que le Christ avait en vue et qu'il voulait voir réaliser par ses disciples au moment de sa grande prière pour l'unité: « qu'ils soient parfaitement un » (Ev. *Io.,* 17, 23).

L'unité dont se préoccupe le mouvement œcuménique n'est donc pas une unité d'appauvrissement, mais la plénitude de l'unité.

En se rendant compte, par la méthode comparative, où se trouvaient les divergences doctrinales entre les Eglises et en particulier en constatant la diversité de leurs conceptions ecclésiologiques, la Commission doctrinale du Conseil Œcuménique des Eglises a essayé elle-même de partir de la foi commune au Christ pour discerner la relation qu'Il a voulu établir entre Lui et son Eglise. C'était repenser l'ecclésiologie en fonction de la christologie. Et aussitôt on a dû s'engager dans l'étude de l'idée de tradition, des relations entre la Tradition et l'Ecriture, de la distinction à établir entre la Tradition, norme de la foi, et les traditions particulières élaborées au cours des siècles et auxquelles des événements historiques contingents et le tempérament ethnique ont eu leur part.

Parallèlement à ces faits et à ces attitudes, il importe que l'Eglise Catholique expose ses vues sur l'unité, sur la plénitude de l'unité, en fonction de son ecclésiologie et de sa christologie; ses vues sur la Tradition et les traditions; en un mot non seulement ses vues sur l'unité et l'unicité de l'Eglise (n. 1), mais aussi sur la place des traditions et donc de la diversité dans

l'Eglise une. Diversité qui s'attache en particulier, selon le mot du pape Jean XXIII, « à tout ce que les temps, les traditions, les usages ont cherché à instaurer en recouvrant la réalité et la vérité » (chap. I, note 21, p. 14). « Il faudra, disait-il, des peines immenses pour modifier les mentalités, les tendances, les préjugés, de tous ceux qui ont un passé derrière eux » (*ibid., L'Oss. Rom.,* 31-6-61 et 1-7-61). Les catholiques eux aussi ont un passé derrière eux: un passé de vie, de culture, d'usages, mais aussi de théologie. Cette conception de l'unité dans la variété se rattache dans l'ecclésiologie catholique à l'idée d'œcuménicité, de catholicité, comme propriétés de l'Eglise du Christ.

En un mot et pour conclure, « il faut donner au terme *œcuménique* un sens dogmatique authentique: il intéresse l'Eglise dans son unité profonde et universelle et les communions chrétiennes au point de vue de leur signification pour le Christ et pour la théologie, comme communions » (G. Thils, *Le Conseil Œcuménique des Eglises,* dans: *Le Christ et les Eglises,* Paris 1961, p. 227). L'œcuménisme catholique sera donc la doctrine de l'Eglise catholique concernant son œcuménicité, c.-à-d. concernant son unicité et son unité dans la variété et les moyens les plus propres à maintenir, à développer et au besoin à restaurer cette unité œcuménique.

Du point de vue catholique il va de soi que cette unité est avant tout unité de foi, de tout le dépôt de la foi divine et révélée, tel que le magistère ecclésiastique le propose partout et toujours à la foi de tous ses fidèles.

C'est aussi l'unité sacramentelle, par le baptême et l'Eucharistie, et l'unité hiérarchique qui a pour fondations les apôtres et les prophètes et pour pierre d'angle le Christ lui-même (*Eph.* 2, 20). Et il est entendu que le signe visible de cette unité hiérarchique est l'union avec le vicaire du Christ, le successeur de Pierre, dont les privilèges ont été explicitement proclamés au premier concile du Vatican.

Cette unité-là étant bien mise en évidence, il importe non moins de mettre en évidence que cette unité n'est pas uniformité, et que la diversité n'est pas seulement tolérée en tout ce qui ne nuit pas à l'unité essentielle, mais que cette diversité est voulue comme légitime et même nécessaire à l'accomplissement de la mission universelle de l'Eglise, qu'elle est le signe de l'œcuménicité de l'Eglise et la pierre de touche de sa catholicité.

Il en résulte que l'Œcuménisme catholique est une doctrine, qui exige l'intransigeance sur ce qui est essentiel à l'Eglise catholique, mais aussi la tolérance, le désintéressement, en un mot la plus grande charité sur tout ce qui n'est pas essentiel. Plus même, elle exige la plus large ouverture pour « tout ce qu'il y a de vrai, de noble, de juste, de pur, d'aimable, d'honorable, pour tout ce qu'il peut y avoir de bon, de vertueux et digne de louanges » (*Phil.,* 4, 8), où que cela se trouve. Elle exige aussi un grand souci d'adapter notre contact avec tous ceux à qui nous nous adressons, selon cet autre mot de St. Paul: « conduisez-vous avec sagesse envers ceux du delors; sachez tirer parti de la période présente. Que votre langage soit

toujours aimable, plein d'à-propos, avec l'art de répondre à chacun comme il faut » (*Col.* 4, 5-6).

Cet œcuménisme-là vaut pour toute manifestation de la vie de l'Eglise, entre l'Occident et l'Orient, entre les Eglises-mères et leurs missions, entre l'Eglise et les cultures humaines, déjà christianisées ou non; il vaut plus encore et avec plus de difficultés initiales pour la rencontre de l'Eglise catholique avec les Eglises ou communautés ecclésiales non catholiques, parce que le départ est rendu difficile par des siècles d'animosités, de disputes, d'injustices, qu'il faut commencer par réparer et si possible faire oublier, pour pouvoir repartir simplement d'une connaissance réciproque objective et lucide et de la charité.

Ad n. 1. *De Ecclesiae unitate et unicitate.* A propos de l'œcuménisme, il ne suffit pas de parler de l'unité et de l'unicité de l'Eglise, il faut aussi parler de son œcuménicité, de sa catholicité, qui en sont réellement inséparables dans une saine théologie et ecclésiologie catholiques.

De plus il importe de souligner que l'œcuménicité de l'Eglise est une qualité immuable de l'Eglise: ad intra d'abord, à cause de sa vocation universelle, et ad extra, non seulement à l'égard des chrétiens séparés mais aussi à l'égard de tous les peuples de toutes les cultures, en particulier dans le travail missionnaire.

De simples allusions comme au n. 1, p. 8, lign. 6-9 ne suffisent pas. Il importe de dire clairement et explicitement ce que signifie la « donorum divinorum varietas » à l'intérieur de l'Eglise, et l'ouverture œcuménique de l'Eglise à l'égard des « donorum divinorum varietas » de tous les peuples. Le n. 3, p. 9, lign. 31-37 doivent être intégrées ici dans le n. 1.

Ad n. 2. *De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam.* Remarque générale: ce numéro n'est pas à sa place ici. Il devrait se trouver au chapitre III, *De christianis ab Ecclesia catholica seiunctis,* en guise d'introduction et donc avant la première partie: I. De Ecclesiarum orientalium peculiari consideratione. D'ailleurs il devrait être rédigé autrement de manière à y inclure ce qui doit être retenu de la deuxième partie du chapitre III (II. De communitatibus inde a saec. XVI exortis), en exprimant tous les principes, mais de manière à ne pas compromettre ce qui doit être dit dans la partie spéciale concernant les Eglises orientales.

Remarques particulières: en plusieurs endroits le texte devrait être complété:

L. 16: ... (seiunctae) pluribus de causis et utriusque partis culpis aut saltem ignorantiis et diffidentiis. *Ratio*: cette remarque de Mgr. Weber (*Emendationes,* p. 11, 22) est pertinente: il importe de souligner cette idée, dès que pour la première fois il est question des frères séparés, selon exemple de S. S. le Pape Paul VI, dans le discours d'ouverture de la IIe Session du Concile.

L. 16 et l. 19: il y a contradiction verbale: a communione Ecclesiae catholicae *seiunctae* quadam tamen communione nobiscum *coniuncti sunt.*

Correction proposée: Lign. 15-16: ... dissensiones, *inter integras communitates haud exiguas et Ecclesiam catholicam, pluribus de causis et utriusque partis culpis aut saltem ignorantiis et diffidentiis* (comme ci-dessus).

L. 19: ... (non fruuntur), *quibusdam tamen communibus vinculis* nobis coniuncti sunt.

L. 24: on omet le principal. Pour être plus juste et plus complet, il convient d'ajouter: (eius saepta:) *professio fidei, etiamsi non usquequaque perfecta sive omnia sive saltem aliqua sacramenta,* (vita gratiae...).

Ad 3. *De Oecumenismo.* Remarque générale: ce numéro concerne directement la participation de l'Eglise catholique au mouvement œcuménique et donc l'*exercice* pratique de l'œcuménisme catholique, la mise en œuvre des principes de l'œcuménisme catholique dans une action ordonnée pour l'unité de tous les chrétiens. Il doit dès lors prendre place dans le chapitre II, qui est consacré à cet exercice.

Remarques particulières: son texte doit être intégré, fusionné avec celui du chapitre II. En attendant de faire des remarques concernant le chapitre II, il convient déjà de faire remarquer dans le texte actuel:

P. 9, l. 40: mieux vaut dire *praesentiam* enim Christi, au lieu de *vestigia. Ratio*: il y a des Eglises qui ont même la S. Eucharistie. Dès-lors *vestigia* est trop peu.

Lign. 13-14: ce texte n'est pas clair. Mieux vaudrait: ... in iis filiis *qui christianis quidem baptismate adnumerati sunt,* sed *a perfecta* ecclesiastica communione seiuncti sunt.

L. 17: *scandalum* au lieu de « admiratio ». C'est évidemment trop peu.

L. 30: ajouter: ... aestimare, *diligere* et adiuvare...

* * *

Vellem intervenire quoad n. 3 quid sit oecumenismus.

In n. 3 cap. I schematis nostri describitur sub voce *Oecumenismo* ipse sic dictus motus oecumenicus vel ordinata actio ad unitatem christianorum fovendam. Revera hoc est applicatio concreta principii fundamentalis oecumenicitatis ad determinatum campum exercitii.

Principium fundamentale oecumenicitatis est ante omnia de universali curare priusquam de particulari, de essentiali priusquam de adventicio, de necessario priusquam de libero et de eo quod conditionibus temporalibus et localibus affectum est.

Illud principium exigit ut in tota doctrina et organizatione Ecclesiae catholicae ante omnia et in omnibus curetur de ipsius Dei consiliis et voluntate, sicut a magisterio ecclesiastico ex Dei revelatione proponuntur et semper et ubique et ab omnibus tenenda erunt. Hoc est fundamentum oecumenicitatis Ecclesiae, eius vitae et actionis, et Ecclesiam aptam reddit omnes humanas diversitates libere in thesauros suos recipere si digna sunt.

Quomodo hoc ad effectum ducatur in ordinata actione ad unitatem christianorum fovendam, in schemate nostro optimis verbis recapitulatur.

Quidquid vero sit de origine et usu vocis oecumenismi apud fratres protestantes, methodus oecumenica est methodus eminenter catholica et traditionalis, fundata in eius oecumenicitate.

Nonne oecumenica methodus erat et applicatio principiorum oecumenicitatis quando ipse Dominus Noster pharisaeos tamquam hypocritas reprobavit, quia quod ad essentiam religionis pertinet, indistincte cum traditionibus et usibus pharisaicis commiscebant et quidem, quod plus est, traditiones suas elementis religioni essentialibus praeponebant: sanctuario aurum sanctuarii, altari victimas.

Nonne oecumenica methodus erat cum apostoli, in synodo hierosolymitana adunati, renuerunt imponere neochristianis ex gentilitate legem Moysis, sed tantum ea quae necesse erat imposuerunt.

In mentem venit verbum Papae Ioannis, felicis recordationis, in nota vigesima prima citatum: « Necessarium erit examinare quid tempus vel traditiones vel usus realitati et veritati inserere et supraponere conata sunt ».

Sic et nos, si de aeterna veritate prae omnibus curamus, unitati christianorum obstaculum non faciemus, nec timebimus traditiones et consuetudines ab immutabili catholica veritate distinctas relinquere si necesse est, vel si veritati illi non oppositae sunt, recipere.

Sic etiam nos, qui ad populos vel ecclesias iuniores uti nuntios evangelii missi fuimus et eis obviam ivimus. Non tantum zelo Dei et Evangelii et Matris Ecclesiae amore muniti eramus, sed et gravati traditionibus patriae ex qua originem duximus, propter disciplinam uniformantem, et usibus proprii ritus, et innumeris iuridicis canonibus regulis et rubricis. Nonne et nos aliquid ex hoc schemate de oecumenismo nostrum facere possumus, nempe id quod ad totam Ecclesiam catholicam ab initio et tamquam regula immutabilis pertinet prae omnibus ferre et primum quaerere regnum Dei et aeternam a magisterio ecclesiastico ex revelatione propositam veritatem, et in omnibus, secundum essentiam oecumenismi caritatem Christi sequi.

Unde concludo sequenti voto: ut in numero tertio melius explicetur quid sit oecumenismus catholicus et quomodo in oecumenicitate Ecclesiae fundatur.

31

REV.MUS P. D. ATHANASIUS WELYKYJ
Superior generalis Ord. Basiliani S. Iosaphat

1. Attente schema praesens examinanti patet, non agi hic de quadam constitutione doctrinali veri nominis, neque de decreto, sed potius de quadam *declaratione* conciliari, sollemni ac pastorali. Schema vero sensu nihil constituit nec decretat, sed explicat, docet, aptius et clarius declarat; nihil enim proponitur quod statim executioni mandari possit, sed omnia quae dicuntur ad hoc inserviunt ut mentes hominum illustrare possint et informare de habitudine Ecclesiae catholicae ad unionem omnium christianorum

procurandam. Ut melius res pateat, propono ut in titulo dicatur simpliciter: « Declaratio conciliaris de Oecumenismo catholico », si tantummodo de primis tribus capitibus agere intendimus, vel, si magis placeret: « Declaratio conciliaris de habitudine Ecclesiae catholicae ad non catholicos », si etiam caput quartum et quintum includendi essent. Hoc modo tum ipsi materiae tum dispositioni schematis melius provisum esset, et plures obiectiones motae disparere possunt.

2. In principiis oecumenismi catholici determinandis, omnino necessarium videtur, ut quaestio « communicationis in sacris » clare exponatur, ad mentem eorum quae in textibus praecedentibus iam exposita fuerunt. Est res quae potius orientales tangit, et protestanticis vix applicari potest. Sed ex hac disparitate nullomodo quaestio praeteriri potest, quia est res maximi momenti pro actione oecumenica, ut habeatur in hac re claritas et ut disciplina vigens revideatur et mitigetur. Textus et mens mitigationis in schematibus a commissione theologica apparatis exstant, propterea hos nunc non propono. Item habetur schema speciale a commissione orientali praeparatoria apparatum relate ad orientales separatos. Non est remittenda quaestio ad quoddam directorium apparandum, sed necesse est ut totum Concilium suam exprimat mentem. Statutis his quae in nostro schemate habentur, disciplina vigens de « communicatione in sacris » vix ulterius sustineri potest. Agnita validitate sacramentorum apud non catholicos orientales, quae gratiam producunt, Ecclesia non debet tacere de possibilitate vel minus eorum usus, et clare suam mentem et doctrinam in materia edicere et respectivam disciplinam statuere. Post acceptum schema de oecumenismo, haec res erit summi momenti et actualitatis. Proinde numerus specialis de hac re in primo capite ponatur.

32

EXC.MUS P. D. VALENTINUS WÓJCIK

Episcopus tit. Barenus in Hellesponto, aux. Sandomiriensis

Ex lectura cap. I *de Oecumenismo* sequentes correcturas proponere audeo (in scriptis tantum).

1. Loco linn. 1-30 paragraphi « De Ecclesiae unitate et unicitate » sequens textus ponendus est:

« Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit secumferens aversionem totius generis humani a Deo (*Rom.* 5, 12) et multiformem divisionem ordinis creati (*Gen.* 4, 6; 11, 9; *Dt.* 24, 1). Hoc in statu apparuit caritas Dei in nobis, quod Filius Dei unigenitus a Patre in mundum missus est, ut homo factus, totum genus humanum redimendo regeneraret atque in unum congregaret. Qui antequam seipsum in ara crucis hostiam immaculatam offerret, Patrem pro fidelibus oravit dicens: " Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus quia tu me misisti " (*Io.* 17, 21).

Christus per suam mortem et resurrectionem factus est a Deo primogenitus novae creaturae (*Col.* 1, 18; *2 Cor.* 5, 17; cf. *1 Cor.* 15, 20, 23). Deus glorificans eum (*Act.* 3, 13), subiecit ei omnia (*Eph.* 1, 21) et ipsum dedit caput Ecclesiae (*Col.* 1, 18; *Eph.* 1, 22; 4, 15), quae est Corpus eius (*Col.* 1, 18, 24; *Eph.* 1, 23).

Per baptismum, quod est fidei sacramentum, fideles incorporantur in Christum mortuum et resuscitatum fiuntque membra Corporis eius (*1 Cor.* 6, 15; *Eph.* 5, 30) et participes Spiritus Sancti (*1 Cor.* 12, 13; *Rom.* 5, 5). Haec unio illustrata etiam metaphora vitis et palmitum (*Io.* 15, 1 ss.) iure dici potest sacramentaliter organica.

Hoc in Corpore Christus instituit varia ministeria: " Ipse dedit quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem Corporis Christi " (*Eph.* 4, 11-13). Corpus istud alimentatur Eucharistia, quae est sacramentum amoris et signum visibile unitatis inter Caput et membra (*1 Cor.* 10, 16 s.). Secundum primitivam catechesim ecclesiologicam membra Ecclesiae exhortantur, ut digne ambulent cum patientia supportantes invicem in caritate, sollicita servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum Corpus et unus Spiritus, sicut vocati sunt omnes in una spe. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis (*Eph.* 4, 1-6). Unitas inter Christum et Ecclesiam consideratur etiam in luce relationis sponsi ad sponsam. Haec unitas dici potest sacramentaliter-socialis.

Denique unitas Christi cum Ecclesia consideratur in luce fundamenti supra quod aedificatum est templum Dei. Revera Christus aedificavit Ecclesiam suam super fundamentum apostolorum et prophetarum, atque collegio Duodecim universale mandatum docendi, regendi et sanctificandi concredidit, inter quos B. Petrum, post eius fidei confessionem et maioris dilectionis professionem elegit, ut fratrum suorum collegio praeesset, singulos etiam in fide confirmando et universum gregem in perfecta unitate pascendo, Ipso summo angulari lapide Christo Iesu semper manente. Haec unio dici potest socialiter hierarchica ».

2. In paragrapho secunda desideranda est mentio de habitudine fratrum separatorum ad obliviscendas omnes causas dissentionum, si quae fortasse in decursu saeculorum e parte pastorum Ecclesiae catholicae fuissent. Hac de re locutus est Sanctus Pater feliciter regnans Paulus VI die 29 septembris in inauguratione II sessionis Concilii.

3. Paragrapho ultima postulanda est ordinatio, ut statutis diebus e. g. post festum conversionis S. Pauli ap. omnibus in paroeciis catholicis ferventissimae orationes ad Deum dirigantur pro unitate Ecclesiae et oecumenismi catholici progressu.

33

Exc.mus P. D. ELIAS ZOGHBY

Archiepiscopus tit. Nubiensis

In schemate *de Oecumenismo* observavi: cum sermo est de Ecclesia catholica, nomen « Ecclesia » scribitur cum (E) maiuscula; cum — e contra — agitur de Ecclesiis non catholicis, hoc nomen scribitur cum (e) minuscula. Hoc mihi minime conveniens videtur, nam malam impressionem producit.

34

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

Nomine Helvetiae episcoporum nobis liceat, venerabiles Patres, circa cap. I « De Oecumenismo » aliquas emendationes humiliter proponere.

Ad n. 1: Cum schema nostrum non sit aliquis tractatus apologeticus, sed aliquis adhibendus methodus ad unionem perficiendam inter omnes baptizatos, necessarium nobis videtur, ut iam ab initio textus *caritatis lucerna* super candelabrum ponatur. Christus enim priusquam in manus inimici traderetur, dedit discipulis suis signum, quo unitas eorum simul significaretur necnon aedificaretur, id est caritas, dicendo: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis sicut dilexi vos, ut et vos diligatis ad invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13. 34, 35).

In fine n. 1 Ecclesiae unitas pulchre comparatur SS.mae Trinitatis unitati. Ad profundius aperiendum dialogum inter omnes in nomine Trinitatis baptizatos, oportet ut ista comparatio amplificetur. Ostendenda erit unitas Ecclesiae quae non est uniformitas sine distinctione, nec diversitas sine unitate. Una est Ecclesia Christi relate ad sacramenta et ad fidem et ad regimen. Attamen plenitudo unitatis Christi aliquam etiam diversitatem implicat et quidem, ut dicitur in tertio capite, diversitatem in munere sanctificandi, docendi et regendi, aliquam, dico, diversitatem liturgicam, theologicam et disciplinarem. Unde ad communionem perficiendam nihil imponendum est ultra necessaria.

Ad n. 2: pag. 8 etiam aliquam amplificationem adiungere opportunum esse videtur et quidem, ut melius intelligatur in quibus Ecclesia sit immaculata et in quibus maculetur, ut dicit Ambrosius. Immaculata quidem Ecclesia est ex plena et mirabili praesentia Christi in ea. Maculatur autem ex peccatis et discordiis nostris. Quibus non obstantibus Ecclesia catholica semper Christi Ecclesia remanet et semper etiam inter omnes christifideles aliqua unitas persistit tum propter sacramenta, tum propter hierarchiam, tum propter Sacram Scripturam, tum propter operationem gratiae Christi in omnibus qui in eum credunt et eum invocant.

Elementa illa quae apud baptizatos remanent communia, sunt semina quidem et via ad perfectam unitatem inter eos reficiendam. Oecumenismi sensus est assertio: Neminem in plenam communionem venire qui non iam aliquo modo de ea et in ea vivat.

Ecclesia ut corpus Christi, Spiritu Sancto movente, ad plenam communionem omnium christifidelium tendit. Est iam aliquo modo domus communis omnium in Christo eius solo principio credentium.

Ad n. 3 denique, pag. 10, lin. 31: Ad describendum sensum oecumenismi non sufficit dicere: « ad Christi voluntatem fidelius exsequendam ». Addendum est: « et ad eius veritatem cognoscendam ». Deus non est solum Caritas, sed etiam Veritas. Ideo necesse est ut intellectus noster aperiatur ad totam plenitudinem Christi Vivi et Veri. Quod fit dum singularis veritas in plenitudine mysterii revelati et partialis veritas in totali veritate Christi contemplatur.

De his omnibus emendationes ad secretariatum mittemus.

N. 1, lin. 10. Addatur: « Qui priusquam in manus inimici traderetur, dedit discipulis signum quo unitas simul significatur et aedificatur dicendo: " Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem " (*Io.* 13. 34, 35) ».

Linn. 21-30 vel omittantur quia ad schema *de Ecclesia* pertinent, vel corrigantur secundum ea quae determinanda erunt circa primatum et collegialitatem.

Pag. 8 post lin. 11 addatur: « Illius sanctissimae Trinitatis Ecclesia est imago. Ideo unicitas Ecclesiae nec est uniformitas sine distinctione, sed unitas in diversitate, nec est diversitas in confusione ut esset quaedam Ecclesiarum confoederatio, sed est diversitas in unitate, plenitudo gratiae et veritatis in Christo. Una est Christi Ecclesia et secundum sacramenta et secundum magisterium et secundum hierarchiam, sed aliquam diversitatem liturgicam, theologicam et disciplinarem comportare potest et debet, id est diversitatem in munere sanctificandi, docendi et regendi aliquam ad essentialia non pertinentem. Unde fit ad communionem omnium Ecclesiarum nihil imponendum esse ultra necessaria » (cf. nn. 16-17).

N. 21, lin. 12 loco « In hac una et unica Ecclesia » dicatur: « Inter christianos ... » et addatur lin. 16: « Quo fit ut Ecclesia immaculata maculatur ex schismatibus nostris, quibus tamen non obstantibus et Ecclesia catholica semper Ecclesia Christi est et semper viget aliqua unitas inter omnes christifideles et eorum communitates tum propter sacramenta, tum propter episcopatum, tum propter Sacram Scripturam, tum propter Christi praesentiam in medio eorum qui duo vel tres in nomine eius sunt congregati » (*Mt.* 18, 20).

Pag. 9 post lin. 3 addatur: « Elementa illa quae apud christianos remanent communia, sunt semina et via ad perfectam unitatem inter eos reficiendam. Asserendum quoque est in plenam communionem neminem venire qui non iam aliquo modo de ea et in ea vivat. Ecclesia ut corpus Christi

seipsa et in seipsa, Spiritu Sancto movente, ad plenam communionem omnium christifidelium tendit et iam est communis domus omnium in Christum credentium, qui solus est eius principium ».

N. 3, lin. 40 et pag. 10, lin. 1 dicatur: « Influxum enim Christi et dona Spiritus Sancti in vita aliorum agnoscimus ».

Post lin. 31 addatur: « et ad eius veritatem cognoscendam quod fit dum singularis veritas in plenitudine mysterii revelati et partialis veritas in totali veritate contemplatur ».

CONGREGATIO GENERALIS LXXVI
27 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXXVI
27 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secre tarius generalis Ss. Concilii:*

Moderabitur disceptationem circa cap. II schematis *de Oecumenismo,* in hac 76 congregatione generali, em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Hodie distribuentur Patribus elenchi Patrum qui propositi sunt a conferentiis episcopalibus pro eligendis novis sodalibus commissionum conciliarium.[1]

Hi indices a nostra secretaria conficiendi fuerunt spatio trium vel quattuor horarum. Quapropter parcite, Patres, si quis error irrepserit et omnia non ita facta sint ut nos desideraverimus. Tamen nomina clare sunt scripta et hoc sufficit.

Simul distribuetur fasciculus qui continet schedulas electionis.

Ne vos taedeat, Patres venerabiles, si aliquas explicationes do circa hunc fasciculum. Electio, uti nostis, fiet crastina. Et crastina, hora 10,30 auferentur schedulae electionis iam factae, una cum schedula praesentiae.

In hoc fasciculo per errorem, quem ipse nolebam, habetur haec nota: « Subsignatio ». Sed nemo Patrum subsignationem suam apponat. Hoc forsan erit mnemosynon, ne apponatur subsignatio.

Libellus continet folia. Unaquaeque commissio habet pro se unum folium, excepto secretariatu ad unitatem christianorum fovendam, qui pro se habet duo folia. Et ratio evidens est: pro commissionibus enim, a Patribus eligendi sunt quattuor sodales, excepta commissione de Ecclesiis orientalibus, pro qua, uti iam dixi, tres tantum sodales eligendi sunt; pro secretariatu vero ad unitatem christianorum fovendam, octo sodales eligendi sunt. En ratio duorum foliorum.

Itaque, in unoquoque folio, habentur tres terebrationes, nempe foraturae, quibus distinguuntur singulae schedulae. In unaquaque schedula, unum nomen est scribendum. Folium dividitur, nempe, in quattuor partes... (Dividemus nos, non vos, Patres; dividemus nos, ad scru-

---

[1] Cf. *Acta Synodalia...,* vol. II, pars I, pp. 80 ss.

tinia facienda facilius. Integrae tradendae sunt schedulae; ne dilaceretis vos, Patres venerabiles, secus confusio erit). In unaquaque schedula inscribendum est unum tantum nomen, modo claro; si possibile est, litteris maiusculis, ita ut etiam, quantum possibile est, secretum servetur. Pendet a Patribus secretum servare! Subsignatio non est; ergo, nemo poterit videre quisnam Patrum hunc vel illum fasciculum tradiderit.

In unaquaque schedula habetur numerus arabicus et numerus romanus. Numerus *romanus* indicat ordinem commissionum: prima, v. g., commissio de doctrina fidei; secunda, commissio de episcopis et dioecesium regimine; tertia, de Ecclesiis orientalibus, etc. Numerus vero *arabicus* indicat ordinem schedarum: prima, secunda, tertia et quarta, pro unaquaque pagina, pro unoquoque folio. Haec facta sunt pro vobis, Patres venerabiles, et praesertim pro nobis quando scrutinium faciemus, ita ut operatio — ut dicitur — scrutinii facilior evadat.

Hoc commendo, ut nomen in singulis schedulis scribatis singulum, non duo vel plura in eadem schedula parva quae est in folio; in quolibet folio sunt quattuor schedae. Et scribatis characteribus maiusculis.

Poteritis, ob commoditatem, hanc electionem domi facere ita ut vobiscum feratis crastina fasciculum electionis iam confectum, bene confectum, clare confectum.

Unus tantum libellus tradetur singulis Patribus. Qui forsitan hodie non est in congregatione generali, poterit crastina petere suum libellum a secretario generali qui, ratione habita absentiae, tradet tempore opportuno.

Spero me dixisse omnia quae ad rem pertinent, et clare.

Igitur, traditio huius fasciculi electionis fiet, indistincte ab omnibus, crastina hora 10,30. Et nulla alia schedula post illam horam accipietur, quia statim incipient operationes scrutinii in nostra secretaria.

Et nunc lego nomina eorum qui verbum facere petierunt. Aliqui Patres quandoque apud secretariam nostram conqueruntur quod ipsorum nomina vel non compareant etsi petitio facta sit, vel tardius compareant. Quapropter exc.mus sub-secretarius, qui hanc rem curat, posuit in hac nota etiam diem quo petitio exhibita est. Lego pro vestra notitia.

Ante die 22 novembris, verbum facere petierunt, et ideo primi erunt, exc.mi DD. Ioannes Nuer, ep. coad. Thebanus in Aegypto; Vincentius Enrique, ep. Celsonensis in Hispania; Franciscus Tomašek, ep. tit. Butiensis in Cecoslovachia; Conradus Mingo, arch. Montis Regalis in Italia; Eduardus Necsey, ep. admin. ap. Nitriensis in Cecoslovachia; Paulus Schmitt, ep. Metensis in Gallia; Salvator Baldassarri, arch. Ra-

vennatensis in Italia; Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Petrus Boillon, ep. Virodunensis in Gallia; Hyacinthus Thiandoum, arch. Dakarensis in Senegal.

Qui sequuntur Patres verbum petierunt die 22 novembris: exc.mi DD. Vincentius Reyes, ep. Boronganensis in Philippinis; Aemilius Blanchet, arch. rector Insituti Catholici Parisiensis in Gallia; Antonius Añoveros, ep. coad. Gadicensis in Hispania; rev.mi DD. Benedictus Reetz, sup. gen. Congregationis Beuronensis O.S.B.; Hilarion Capucci, sup. gen. Ordinis Basiliani Aleppensis Melchitarum; exc.mi DD. Ioannes Taylor, ep. Holmiae in Suecia; Rodulfus Staverman, vic. ap. Kotabaruënsis in Indonesia; Antonius Pildain, ep. Canariensis in Hispania; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Angliae O.S.B.; Mauritius Roy, arch. Quebecensis in Canada; Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia.

Patres, qui sequuntur, verbum petierunt die 25 novembris: exc.mi DD. Sanctus Moro, ep. Abulensis in Hispania; Ioseph Hasler, ep. Sangallensis in Helvetia; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Villelmus Schoemaker, ep. Purvokertensis in Indonesia; Garabed Amadouni, exarcha Armenorum in Gallia; Annibal Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis in Columbia; Bernardinus Piñera Carvallo, ep. Temucensis in Chilia; Ioseph Hiltl, ep. aux. Ratisbonensis in Germania; Antonius Nwedo, ep. Umahiaënsis in Nigeria; Ioseph Pogačnik, adm. ap. in Iugoslavia; Ioseph Carraro, ep. Veronensis in Italia; Athanasius Welykyj, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Iosaphat; Vincentius Brizgys, ep. coad. Kaunensis in Lituania; Ioannes Hoeck, praeses Congregationis Bavaricae O.S.B.; Lucianus Lebrun, ep. Augustodunensis in Gallia; Raphaël Bayan, ep. Alexandrinus Armenorum in Aegypto; Ioannes Healy, ep. Gibraltariensis in Gibraltaria; Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum; Henricus Golland Trindade, arch. Botucatuensis in Brasilia.

Qui sequuntur Patres verbum petierunt die 26 novembris: exc.mi DD. Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis in Gallia; Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis in Iugoslavia.

1

EXC.MUS P. D. IOANNES NUER
Episcopus tit. Phatanensis, aux. Thebanus

Venerabiles Patres, dilecti Observatores et Auditores,

In cap. II « De Oecumenismi exercitio », par. 7, linn. 22-24, asseritur: « In quibusdam peculiaribus rerum adiunctis, cuiusmodi sunt supplicationes quae " pro unitate " indicuntur atque in oecumenicis conventibus, licitum, immo et opportunum est catholicos viros cum fratribus separatis in oratione consociari ».

Declaratio haec bona quidem, sed incompleta declaranda est. Etenim praeter supplicationes « pro unitate » et oecumenismi conventu, quamplurimae aliae adsunt circumstantiae in quibus catholici cum ceteris christianis praesertim cum orthodoxis consociari possunt ad spiritum unionis promovendum. Sinatis ut id quod assero, exemplis et casibus practicis ex mea in Aegypto pastorali experientia desumptis, comprobem.

1. Praesentia ministri catholici in *funeralibus* orthodoxis, sicut vicissim praesentia ministri orthodoxi in funeralibus catholicis exigit quandoquidem orationibus officialibus participationem. Amplificatio facultatis praedictae in isto casu ad multorum aedificationem contribueret.

2. Ulterius, in circumstantiis *matrimoniorum* observatio mea evidentior efficitur. In una eademque familia enim duo fratres existere possunt quorum unus catholicus et alter orthodoxus est. Ambo statuunt matrimonium inire eadem die et in eodem loco. Ad hoc peragendum aulam privatam eligunt. Ad ritum perficiendum duo adveniunt sacerdotes, catholicus et orthodoxus. Primus pro catholicis ritum perficit terga vertens erga orthodoxum; alter pro orthodoxis fungitur munere terga erga catholicum sacerdotem vertens. Hic certe longe abest spirituum unio. Immo scandalum magnum inter christianos et maius quidem inter non christianos parit.

Adhuc pro matrimoniis hunc affero casum: sponsus catholicus est, sponsa autem orthodoxa: vel vice versa. Matrimonium quidem validum declaratur sive apud orthodoxos contractum, dispensatione praehabita, sive apud catholicos. Matrimonii enim ministri, sicut notum est, ipsi contrahentes sunt: sacerdotes munere officialis adsistentiae nomine Ecclesiae funguntur. Hinc infero: si pro sponsis permittitur contractio, quae communicatio in sacris vere dicenda est, cum sacramentum inter catholicum et orthodoxum efficiat, cur denegatur catholicis sacerdoti-

bus, qui in huiusmodi sacramenti minus quam ministri sunt, ut insimul cum orthodoxis sacerdotibus adsistant et insimul orationes effundant? Ex ipsis unusquisque pro propriis ovibus, sive catholicis sive orthodoxis ageret. Et hoc iterum gressum erga unionem signaret.

3. Tertius tandem casus circa eucharistiam proponendus est. Christianus orthodoxus qui in ecclesia propriae confessionis communionem recipit, Christo coniungitur: sicut catholicus qui in propria ecclesia pariter communicatur. Et ita catholicus et orthodoxus uniti sunt in Christo eucharistico.

Cur ergo separamus quos Christus in seipso et in sacramento unitatis coniungit?

Cur vir orthodoxus in ecclesia catholica non potest communicare? Cur vir orthodoxus non potest Christo Capiti eucharistice uniri si aliquando ipsi permittitur cum persona catholica (quae Christi membrum est) sese coniungere? ...[1]

Venerabiles Patres conciliares, has meas observationes vestro iudicio humiliter subiicio, ut, Spiritu Sancto operante, rem unionis expeditius agatis.

Ex mea parte duo proponerem. Praeprimis ut ex schemate par. 7, linn. 33-34, expungatur assertio: « Sacra mysteria in unum simul celebrare non licet », sicut et altera: par. 7, linn. 26-27: « Remota quavis communicatione in cultu officiali ».

Deinde ut facultas communicandi cum fratribus non-catholicis et speciatim cum orthodoxis, non tantummodo in *unitatis* oratione et in oecumenismi conventibus existat sed ampliori linea gaudeat. Et hoc ut perveniatur ad immediatas relationes et ampliora colloquia, quin via erroneo irenismo aperiatur qui Ecclesiae catholicae doctrinam quocumque modo obnubilare posset. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Evidens est praxim hanc inconsequentia laborare. Tamen recoordinatio huiusmodi disciplinae ulterius vincula unitatis colligaret.

2

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCON
Episcopus Celsonensis

Venerabiles Patres,

Cap. II ...[1] in genere *placet*. Existimo, tamen, in quibusdam emendandum et in aliis complendum esse.

1. In pag. 15, lin. 19, *loquitur de Oecumenismo catholico.*[2] Sed

quaero: Estne revera propositum Concilii de quodam novo oecumenismo catholico loqui, ut contraponatur motioni oecumenicae existenti? Aut intenditur tantum notare principia quibus actualis motio oecumenica moderari possit iuxta mentem Ecclesiae?

Attento titulo cap. I et quibusdam expressionibus schematis perspectis, agi videtur de novo Oecumenismo proponendo. Nihilominus textus ansam praebet iudicandi Ecclesiam perpendere velle rem existentem, ut catholice ordinetur...[3]

Optimum esset si in hoc ultimo sensu dubium tolleretur. Meo iudicio, magis consonum videtur spiritui oecumenico...[4]

Ita facilior evaderet praenuntiatus in schemate dialogus. Fieret quid simile ad quod facit Ecclesia in rebus ordinis temporalis et socialis, quas considerat sicuti in se sunt ut christiano modo ordinentur. Non enim proponit, e. g., oeconomiam *catholicam* vel politicam *catholicam* sed principia praebet ut sive oeconomia sive politica christiano spiritu imbuantur.

Abhinc non multis annis, temerarium forsan fuisset hanc affirmare sententiam, eo quod oecumenica motio irenismo et panchristianismo aliquatenus laborabat. Sed quaestio omnino aliter statuitur in praesenti...[5]

Ideoque: deleatur verbum « catholici » *et ita emendetur textus.*[6]

2. Ad dialogum interconfessionalem requiritur, tamquam conditio essentialis, mutua aestimatio collocutorum, immo et reverentia propriae uniuscuiusque conscientiae. Cum ergo *in hoc capite*[7] de exercitio Oecumenismi agitur, etiam tractari debet *de hac reverentia seu*[8] *de libertate religiosa,* non quidem in tota sua extensione (quod magis proprium esset alterius loci, *sicut iam dictum est*) *sed sub hoc tantum respectu.*[9]

3. Sed quod, in hoc capite de methodologia, maioris momenti abs dubio est, quodque graves quaestiones suscitare valet, i. e. quod refertur ad rem missionalem seu evangelizationis et ad Oecumenismi praxim inter fideles.

a) Ecclesia missionem habet essentialem et irrenuntiabilem « praedicandi Evangelium omni creaturae... ». Sed etiam aliae christianae confessiones tamquam sacratissimum officium habent *evangelizandi.*[10]

Videtur, ut dictum est in aula, christianorum dissensionem maximum scandalum constituere infidelibus simulque gravissimum impedimentum ut ad evangelium convertantur. Estne aliquod rationabile medium quod ab Ecclesia adhiberi possit ut dicta dissensio non appareat in opere evangelizationis?

Iam vero, oblivioni dari non potest, collisiones in hac materia, quae fere necessario surgunt, graviter officere dialogo oecumenico.

Non sufficit optima vota prodere neque dialogum oecumenicum ut laudabilem proponere. Necessarium est ut rem ipsam aggrediamur utque normas quasdam generales tradamus, iuxta quas solvantur quaestiones surgendae. Et hanc, in aula iam memoratam, recusare non debemus.

Necessarium ...[11] est praevidere principia nunc in Concilio asserenda ad conclusiones ampliores et exigentiores quam intentas statim itura esse. Omnes namque religiones, etiam non christianae, multa positiva continent et in omnibus illis non pauci bona fide sunt. Qualis ergo erit Ecclesiae ratio agendi in multitudine religiosa non-christiana evangelizanda? ...[12]

b) Quod ad exercitium oecumenismi attinet relate ad fideles praecipue, licet etiam fratres seiunctos attendamus, alia quaestio praevidenda est:

Populis in quibus, per saecula, pacifica conviventia commorantur diversarum confessionum membra, difficilis forsan non sit dialogus oecumenicus.

Illis vero populis ubi aut unitas religiosa servata est aut diversae confessiones in constanti inveniuntur pugna, dialogus oecumenicus innumera pericula afferre potest. In his populis, proselytismus fuit potius ut quaedam pugna et, adiunctorum causa, rationes quae inter unos et alios intercedunt, inexpugnabiles manserunt.

Si nunc ianua oecumenicae collaborationi facile aperitur haud difficulter confusio quaedam oriri potest; immo etiam indifferentismus religiosus in simplicibus et deficienter efformatis personis.

Aliquo modo, hoc periculum ubique datur, siquidem *obiectiva veritas* facile obscurari potest in multorum conscientia si unice ad aspectum subiectivum attenditur in eoque sistitur.

Haec ratio maiori gaudet vi in praesentibus adiunctis in quibus mundi ordinatio ab ordine supernaturali aversa est; cum, ut aiebat *Paulus VI feliciter regnans*[13] in oratione inaugurali huius sessionis Concilii, atheismus « qui ad humanae consortionis partem pervasit, ita rerum ordinem perturbans, qui ad mentis culturam, ad mores et ad socialem vitam pertinet, ut inter homines germana eiusdem ordinis recta notio pedetemptim deponatur. Etenim — *prosequebatur Paulus VI*[14] — dum clarior fit lux, quae e naturalium rerum scientia oritur, passim — proh dolor — *obscurior evadit scientia Dei* ...[15] ».

Et ad id usque perventum est ut atheismus materialisticus novam mysticam terrenarum rerum proponat ad implendam vacuitatem in corde hominum ab amissione rei supernaturalis allatam.

Et liceat mihi quaerere: quaenam erit norma proponenda ut quod optimo spiritu et recta mente ab omnibus, Christi voluntatem exsequi cupientibus, incipitur, detrimentum non afferat Ecclesiae catholicae nec aliis confessionibus et etiam conferat ad diminuendas vires mundi contra novam mysticam ab atheismo materialistico intentam?

Ergo, ex dictis, propositiones tradam scripto secretariatui.[16] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] schematis, cuius titulus « de Oecumenismi exercitio », prae oculis nobis ponere vult methodologiam ad christianorum exoptatam unitatem consequendam. [2] refertur ad Oecumenismum catholicum. [3] et ita illa unitas consequatur « quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus ». [4] qui nos obligat, iuxta dictum Ioannis XXIII, ad extollendum quod positivum est in nostris fratribus seiunctis, et ad perspiciendum quod mutuo nos coniungit, potius quam id quod ab invicem separat. [5] Si noster amantissimus Pontifex Paulus VI, recenter dixit nos debere « operam omnibus viribus dare » ut ad unionem perveniatur, praedicto modo procedendum esse existimo. [6] in pag. 15, lin. 19 et emendetur titulus cap. I. [7] deest. [8] deest. [9] puta cum de libertate actus fidei sermo fit vel in schemate de Ecclesiae praesentia et actione in mundo hodierno), sed conformiter ad finem intentum. Sufficiet ergo huic cap. II unam paragraphum addere circa libertatem religiosam. [10] evangelizare: actionem apostolicam circa infideles. [11] etiam. [12] Certum est huiusmodi considerationem ad Oecumenismum non pertinere; sed videtur deduci ex principiis propositis et necessarium est illam ante oculos praeponere. [13] Ioannes XXIII, " tam sollicitos homines tenet ut eorum curas cogitationesque a religiosis negotiis avertat "; aut, sicut Paulus VI mirabili praecisione et claritate asseruit. [14] deest. [15] ac propterea vera etiam hominis scientia. [16] Certum est in decreto conciliari contineri non posse normas concretas pro praxi; quia in diversis populis diversa adiuncta erunt. Hoc potius erit conferentiarum aut episcoporum. Sed proponentes dictum decretum, non praeterire debemus huiusmodi quaestionem et, saltem, generalem normam suadere possumus in qua et ratio agendi conferentiarum appareat et cautelae statuantur ad omnino vitandum vel saltem minuendum periculum.

4. Denique: ut Oecumenismi exercitium efficax sit, opportunum erit in hoc capite sequentia innuere: *a*) quaenam pertineant ad pastores et qualis debeat esse regula actionis; *b*) quaenam agenda sint a theologis et, praesertim, a theologorum coetibus qui ad hanc quaestionem specialiter vacent; *c*) ratio agendi fidelium non solum in oratione, in conversione cordis et in sanctitate vitae, sed etiam in positiva actione oecumenica; *d*) expedit quidquam dicere circa proselytismum aut apostolatum tam Ecclesiae quam aliarum confessionum relate ad iam evangelizatos, eo quod ad eandem christianam religionem pertinent?

Si enim mutuam aestimationem et comprehensionem atque dialogum sincerum et constructivum assequendum est, vitandum esset quidquid collisionis aut pugnae occasio sit. Quaenam regula dari posset ad hunc finem consequendum?

His dictis, proponere audeo:

1. Ut huic capiti addatur nova paragraphus circa reverentiam conscientiae aliorum aut de libertate religiosa sub aspectu oecumenico.

2. Ut inveniatur, si possibilis est, norma ad vitandum scandalum divisionis coram infidelibus et ad non augendam dissensionem in evangelizationis opere.

3. Ut innuatur modus agendi, ita ut evangelicum desiderium, quod urget nos, exsequatur absque indifferentismi religiosi cultu et quin iter patefaciamus illae novae terrenarum rerum mysticae quae usque ad Dei negationem ducit.

4. Oporteret etiam notare actionem propriam pastorum, theologorum et fidelium et etiam quaestionem proponere proselytismi inter confessiones christianas sub oecumenica consideratione.

3

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS TOMAŠEK
Episcopus tit. Butiensis

Venerabiles Patres, Fratres Observatores,

Loquar ad art. 7 cap. II de oratione unanimi et ad cap. IX de oecumenica instructione.

Art. 7: *De oratione unanimi.* Summi Pontifices et etiam Patres in hac aula de culpa catholicorum in divisione christianorum loquebantur.

Obligati ergo sumus emendare culpas maiorum nostrorum. Culpa emendatur praecipue oratione et poenitentia. Instituatur ideo et etiam dies poenitentiae ad emendanda peccata contra unitatem Ecclesiae et etiam fratres seiuncti ad hunc diem invitentur.

Ac ad culpam in futuro evitandam oratio fiat ad Deum, cuius pulcherrimum exemplum invenimus in oratione Benedicti Papae XV sub die 15 aprilis 1916 in *A.A.S.* publicata.

Desiderandum, ut oratio illa denuo publicetur, attamen in forma eius pristina, non in illa mutilata, quam invenimus in Enchiridion Indulgentiarum a. 1952 a Sacra Poenitentiaria Apostolica editam, in qua editione verba maximi momenti pro oecumenismo aut ablata aut mutata fuerunt. Textum ad secretariam generalem Concilii tradam.

Art. 9: *De oecumenica instructione.* Cum non semel Sancta Sedes Ecclesiae pastoribus hoc commendaverit negotium, permittatis mihi, ut, ceteris omissis, unam tantum citem Encyclicam, *Rerum orientalium,* Papae Pii XI, a. 1928 datam, in qua prae aliis dicit: « Vehementer Vos, venerabiles Fratres, tum universos, tum singulos cohortamur, ut orientalium rerum studia omni ope provehentes, Nobiscum animi vires ad tantum perficiendum opus intendatis... ut singuli unum saltem e sacerdotibus vestris deligendum curetis, qui orientalibus disciplinis probe eruditus, easdem Seminarii alumnis opportune tradere sit paratus ».

Ad hoc Summi Pontifices fundarunt Pontificium Institutum orientaliorum studiorum.

Nec omisit S. Congregatio de Seminariis et Universitatibus rem urgere. Ita die 2 ianuarii 1935 haec dicit: « Quod cum Ecclesiae Sanctae maxime intersit, non est dubium quin episcopi pro sua animarum sollicitudine, id statim in actum deduxerint ». Dein S. Congregatio praecipit, ut quotannis in clericorum seminariis dies peculiaris orienti christiano celebrando instituatur.

Ac studia de quibus supra, seria et profunda sint oportet, cum « quaestiones ex rei natura graves sint atque implicatae », quae a Summo Pontifice Paulo VI, feliciter regnante, dicta esse audivimus.

Puto sine haesitatione dici posse, omnes instructiones ad oecumenismum apud orientales spectantes, ad oecumenismum in genere extendi posse et debere.

Attamen non solum sacerdotes, sed etiam fideles omnes de re oecumenica responsabiles sese considerare debent, secundum verba Encyclicae *Ecclesiam Dei* a. 1923, in qua dicitur: « ad quam unitatem cum dissidentes impense cohortamur tum christifideles universos... (etc.) contendere cupimus, ut pro viribus suam quisque Nobis operam studiumque navet ». Ut laici hoc desiderium explere possint, episcopum est, ut fideles etiam scientiam necessariam in argumento huius momenti acquirant.

Igitur humiliter peto, ut praesens Concilium quaedam opportune de re oecumenica in catechismos inserenda iubeat. Dixi. Gratias.

Animadversiones additae:

Liceat mihi nomine episcoporum Rei publicae Cecoslovacae aliquod dicere ad art. 8 cap. II. De fratrum mutua cognitione.

Paucis ultimis annis res inter christianorum coetus religiosos ita radicaliter mutatae sunt, ut mutui contactus possibiles facti sint, immo fraternus et fructuosus dialogus iam inceperit, quod antea inauditum vel paene impossibile visum est. De hac faustissima mutatione optima merita sibi comparavit in Domino defunctus Summus Pontifex Ioannes XXIII, quod omnes vos, venerabiles Patres, optime nostis, necnon haec sancta oecumenica Synodus ab ipsa convocata. Sed meminisse iuvat etiam eos, qui viam huic mutuae fraternae conversationi praeparabant. Apud nos in Cechoslavakia inter plurimos unitatis zelatores maximus erat arch. Olomucensis Antonius Cyrillus Stojan, qui ante quadraginta annos (29 septembris 1923) pie in Domino obdormivit. Ille saepe et quasi per iocum, comparans ecclesiarum discordias vitae coniugali, dicebat, pessimum esse, si inter partes nullum adsit colloquium; tunc omnem spem concordiae reparandae frustratam esse; sed si mutuum colloquium renovatum sit, et si forte per altercationem, iam spem affulgere mutuae concordiae restituendae.

Haec idea fraterni colloquii in caritate et humilitate christiana fundamentum erat celeberrimorum quondam congressuum unionisticorum Velehradii in Moravia, prope sepulchrum S. Methodii Slavorum apostoli celebratorum, quorum

spiritus movens erat A. C. Stojan et spiritus dirigens Metropolita Leopolensis Andreas Šeptyckyj, praeses priorum congressuum Velehradensium. Hi venerandi archipraesules, ambo in fama sanctitatis in Domino defunti, et maxima in veneratione apud suos usque adhuc habiti, contra spem sperantes et in longinquum prospicientes, viam unitatis reparandae illustraverunt, praeparaverunt et intrepido animo ingressi sunt. Quorum laboris effectus mediocres quidem videntur esse, quia tempus tunc nondum maturus erat, seu revera magni sunt et maiores erunt, si in via ab illis monstrata perseveremus et ulterius progrediamur.

Isti duo zelatores in animo habebant unitatem renovandam inter catholicos et christianos orientales, praesertim orthodoxos Slavos. Quod unam tantum partem comprehendit conaminum unitatis reparandae, sed partem minime negligendam.

* * *

Etiam ego verba mea ad unum problema unitatis inter catholicos et christianos orientales separatos restringam.

Voluntas Christi « Ut omnes unum sint », suprema lex esse debet tam pro catholicis quam pro orthodoxis, neque ullae diversitates linguarum, nationum, rituum, morum consuetudinumque, vitae culturalis et socialis ceteraque huius modi, impedimento esse possunt. Ecclesia enim Christi non est rapax bonorum naturalium sed potius ea conservat, perficit et auget. Ecclesia Christi neque debitam independentiam ecclesiis localibus aufert, sed contra: eam perficit, roborat atque ab omnibus periculis liberat. Aufert solam independentiam voluntati Christi contrariam.

In his omnibus plena est inter nos fratresque orthodoxos concordia. Nulla enim ecclesia orthodoxa absolute independentem sese existimat. Neque sic dictae ecclesiae autocephalae, nam generatim unam auctoritatem supremam agnoscunt et quidem, *Concilium Oecumenicum.*

Si ergo unitas inter orthodoxos et catholicos desideratur, *convocandum est concilium oecumenicum complectens episcopos orthodoxos et catholicos.*

Talis concilii convocatio secum feret quaestiones praeambulatorias ad quas solvendas idoneum esse videtur, ut certis temporis intervallis positis, conventus in suprema, ut aiunt, planitie, instituantur, in quibus conventibus capita ecclesiarum orthodoxarum cum Romano Pontifice decernant, quae necessaria videantur. Sessio talium conventuum fiat quasi circa mensam rotundam, ut aiunt, nullo habito respectu ad iura praecedentiae. Locus conventuum successive alia et alia sedes nominetur diversarum ecclesiarum, exempli gratia Roma, Constantinopolis, Alexandria, Moscovia et aliae, ut clerus etiam inferior et fideles respectivae nationis quam maxime ad restituendam unitatem praeparentur. Nam nihil proderunt concilii decreta, nisi a populo fideli recipiantur et agnoscantur. Quare in singulis nationibus, ubi circumstantiae id permittunt, consilium commune mixtum, nonnullis constans peritis catholicis et orthodoxis instituatur, quod, sub vigilantia episcopatus catholici et orthodoxi, discussionem dirigat omnium quaestionum. Quae discussio publica sit et libera atque spiritu oecumenico imbuta. Tali modo dispositio illa interna acceptationis futuri concilii tam apud fideles quam apud theologos excitari et foveri poterit. Hac obtenta, essentia separationis iam superata erit, et quidem ante ipsum concilium convocatum. Tunc demum convocatio concilii et facilis erit et utilis.

In omnibus disceptationibus, in concilio et extra illud, pro utraque parte lex esto: mentem alterius partis bene cognoscere, omnia positiva, unitati utilia agnoscere et acceptare. Multa enim theologi catholici in doctrina orthodoxorum et orthodoxi in doctrina catholicorum invenire poterunt, quae ad veritatem detegendam et illustrandam aptissima sunt.

Hic dialogus possibilis est ex utraque parte. Etiam nonnulli orthodoxi hoc admittunt. Sic Žurnal Moskovskoi Patriarchii in fasciculo mensis Iulii huius anni (1963) prae aliis scribit: « ... Via amoris christiani ... conducere potest etiam ad dialogum dogmaticum et consequenter ad illam desideratam unitatem ... » (pag. 79).

Concludo:

Pag. 17, linn. 3-5 sic mutetur: « Ad id assequendum valde commendantur de theologicis quaestionibus ex utraque parte conventus in suprema, ut aiunt, planitie, nullo habitu respectu ad iura praecedentiae, dummodo qui in iis partem habent, sub praesulum vigilantia, vere periti sint », etc. et in fine: « Sic praeparetur via ad futurum concilium oecumenicum complectens episcopos orthodoxos et catholicos ».

Venerabiles Patres! Tempus maturescit magna cum celeritate. Quod antea per multa saecula perfici non poterat, nunc in paucis annis adipiscitur. Ideo dirigatur iam nunc *invitatio fraterna* ad ecclesias orthodoxas ad praeparandum futurum concilium commune.

4

Exc.mus P. D. CONRADUS MINGO
Archiepiscopus Montis Regalis

Venerabiles Patres,

Concedite mihi aliquid dicere de cap. II huius schematis i. e. « de Oecumenismi exercitio ».

1. In primis multa bene dicta sunt, meo iudicio, in hoc capite: v. g. de renovatione interiore Ecclesiae, de conversione cordis, de sanctitate vitae, de oratione, etc.

Sed opportunum mihi videtur praesertim notare quae in pag. 17, n. 10 dicuntur: fides nostra integre et lucide omnino exponi debet: sanus et verus oecumenismus hoc requirit: veritas catholica tota et integra manifestanda est sine mutilatione et reticentia: nihil prodesset colloquium instaurare cum fratribus separatis si ad invicem nos decipere deberemus. Psalmista ut maximum malum dolet quod: deminutae sunt veritates a filiis hominum — iuxta Vulgatam — *de hoc plures locuti sunt.*[1]

2. Necessarium est educare fratres nostros in spiritu unitatis et in amore veritatis. Omnes christiani debent intelligere, ut maximum bonum, unitatis donum, quod Christus pro Ecclesia sua a Patre postulavit

ante passionem et mortem. Sed inimicus homo i. e. diabolus saepe serit unitatem inter tenebrarum filios et dissensiones multas inter lucis filios. Christiani debent perspicere gravitatem huius quaestionis, i. e. unitatis, quae maxime interest invocantibus adventum regni Dei super terram. Impossibile est amare quod bene non cognoscitur. Grave officium est quaerere sincero corde veritatem et eam amplecti: oportet itaque infundere in christianorum cordibus veritatis amorem: nam qui amat veritatem venit ad lucem.

Ioannes XXIII, felicis recordationis, in sua prima Encyclica *Ad Petri Cathedram* haec dicit: « Malorum omnium causa et radix haec est: ignoratio veritatis, immo non tantum ignoratio, sed interdum eius despectio ac temeraria adversio a Deo. Ex hoc enim errores omne genus proficiscuntur, qui quasi pestes in animorum penetralia et in venas societatis humanae invadunt ».

Et in alio loco huius Encyclicae: « Omnes discordiae et dissensiones proficiscuntur ex hoc: ex veritate vel non cognita, vel, quod deterius est, quamvis explorata atque perspecta, repulsa. Unde necesse est, ait, ut omnes cum privati cives tum populorum rectores, veritatem sincere ament, si velint assequi concordiam et pacem, ex quibus vera prosperitas oritur ».

3. Opera nostra ad unionem certo requiritur; media humana necessaria sunt: sed pactionibus, conferentiis, disceptationibus et aliis mediis parum proficiscitur: potius sperare debemus in gratia divina: unitas est donum Dei, quod praesertim obtinere possumus oratione et ieiunio. Nos, sicut Ioannes Baptista praeparare vias unitatis possumus et removere *obstacula.*[2] Naturaliter loquendo, multae et magnae adhuc difficultates exstant ad unionem: e. g. inter fratres protestantes aliqui ministri non solum negant primatum, infallibilitatem Romani Pontificis, praesentiam realem in Sanctissima Eucharistia; sed etiam aliqua praecepta naturalia circa matrimonium et divinitatem Domini Nostri Iesu Christi non admittunt: aliquis, etiam se indifferentem se dicit relate ad exsistentiam personalem Dei. Magna distantia adhuc *remanet*[3] inter nos et illos fratres.

Sed doleo quod in schemate nihil dicatur de B. Maria Virgine et de eius materna intercessione. Mater semper est quae revocat filios ad domum paternam. Maria est mediatrix omnium gratiarum. Scio plures Patres in hoc argumento idem sentire.

Venerabiles Patres, nos qui membra sumus Corporis mystici Christi duas habemus Matres: Ecclesiam et B. Mariam Virginem. S. Cyprianus, strenuus assertor unitatis Ecclesiae, dicere solebat: habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem; sed nos prae

oculis habendo traditionem patristicam et theologicam, sensum populi christiani, quae omnia in Sacra Scriptura fundantur, dicere possumus: habere non potest Deum Patrem, qui Mariam et Ecclesiam non habet matres. Puto venerandas communitates orientales, etiam separatas, servasse suum patrimonium religiosum ob devotionem erga Mariam Virginem, dum fratres protestantes multum *amisisse* [4] quia B. Mariae Virginis obliti sunt, etsi nostris temporibus aliqui ex illis ad cultum eiusdem Virginis redierint.

Venerabiles Patres, ardens desiderium Christi « ut unum sint » vanum esse nequit, quia Christus semper exauditur a Patre; veniet hora haec in mundo, sed veniet per Mariam; et fratres separatos alloquendo dicere possumus, adhuc verbis S. Cypriani: ad Matres revertimini unde prodiistis. Tunc erit unum ovile et unus pastor. Satis.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] impedimenta. [3] restat. [4] amiserunt.

5

Exc.mus P. D. EDUARDUS NECSEY
Episcopus tit. Veliciensis, adm. ap. Nitriensis

Venerabiles Patres,

Has parvas animadversiones haberem circa cap. II.

Prima.[1] N. 6, pag. 16, provocat fideles, ut suae vitae sanctitate alliciant fratres separatos ad S. Matrem Ecclesiam. Fine huius numeri apte possunt *addi* [2] verba apostoli: « Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus » ...[3]. Haec verba *citantur in n. 1 cap. I huius schematis, linn. 16 ss. At hic non habent locum, cum ibi de unitate et unicitate Ecclesiae sit sermo. Verba haec vero, uti ex contextu patet, provocant ad vitae sanctitatem*: *in sequenti versu nempe apostolus dicit* [4]: « ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato » ...[5].

Secunda mea animadversio vellet complere cap. II ita [6]: Via enim oecumenismi erit longa et difficilis, et in hac via exstant *sat magnae et multae difficultates et* [7] obstacula, quorum amotio etiam pertinet ad exercitium oecumenismi. Quae hic assero, fundamentum habent in personali experientia. In dioecesi Nitriensi, cuius ego administrator apostolicus sum, vivunt circa quindecim per centum fidelium augustanae confessionis. Plures eorum animarum pastores, praesertim iuniores, ve-

ram sympathiam cum conaminibus oecumenismi habent, me saepius certiorem reddiderunt de suis orationibus, quas pro assequendo fine *huius Concilii* [8] fundere solent ...[9]. At apud populum quaedam praeiudicia erga Ecclesiam *inveniuntur,*[10] quae conamina oecumenismi tardant et quae suum fundamentum in tristibus eventibus historicis habent, *qui discessum fratrum nostrorum causaverunt vel circa hunc discessum facti sunt.*[11] Haec praeiudicia tantum recta et obiectiva instructione possunt amoveri. *Et ita bonum oecumenismi postulat ut hi eventus historici, perinde utrum in oriente vel in occidente facti sunt,*[12] obiectiva veritate tractentur.

Ideo mea propositio in id tendit, et puto hanc propositionem esse etiam sinceras preces nostrum omnium, ut praesertim libri *scholares catechismorum* [13] et libri *scholares* [14] de historicis eventibus saec. XI *et* [15] XVI tractantes revisioni subiciantur, ita ut ab eis amoveatur omne, quod aliquam animositatem, iram et studium prae se ferret. Fiat hoc eo spiritu, qui erumpit ex verbis B.mi Patris *hic iterum citatis de mutua remissione et vera ac sincera reconciliatione.*[16] In tali spiritu *recognoscantur* [17] facta historica circa dolorosum discessum *fratrum nostrorum.*[18] Obiectiva veritas *enim* [19] postulat, ut agnoscendo illos eventus ...[20] oblivioni ne detur: 1. homines illos eventus provocantes fuisse filios sui aevi, et 2. *etsi sit* [21] verum Ecclesiam *esse corpus Christi* [22] mysticum, at membra huius Ecclesiae esse homines *et etsi Christus continuo influxum supernaturalem in suam Ecclesiam exerceat, voluntarium membrorum huius corporis mystici nec tollitur nec minuitur,*[23] et ideo quidquid in Ecclesia ...[24] defectuosum vel *etiam* [25] moraliter malum *fuit vel est, hoc non ipsi Ecclesiae, sed hominibus est adscribendum.*[26]

Ideo petimus, ut in libris *catechismorum et in libris scholaribus de historia saec. XI et XVI tractantibus, doctrina Ecclesiae obiective adducatur et hi libri ita revideantur, et ex his amoveatur omne quod* [27] veritati vel christianae caritati adversum esset.

Ideo humiliter propono, ut cap. II addatur numerus de amovendis obstaculis finem oecumenismi impedientibus in illo sensu et spiritu sicut superius adduxi. Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema de Oecumenismo, absque dubio inter principaliora schemata in hac S. Synodo pertractanda pertinet. Oecumenismi enim finis, restitutio unionis cum fratribus separatis est secundus finis Concilii Oecumenici Vaticani II. Ideo huic schemati praecipua cura est impendenda. Schema ipsum ducitur orationis Domini « ut omnes unum sint » meretur summam laudem et plenum contentum. Animadversiones meae respiciunt cap. II schematis de oecumenismi exercitio, quod uti reor praecipuum est inter cetera capita. Oecumenismi nempe exercitium in factum deducere studet principia oecumenismi et

assequi eius finem, adeo desideratam unionem. [2] adduci. [3] (*Rom.* 6, 4). [4] non habent locum in n. 1 cap. I, qui de Ecclesiae unitate tractat, cum ex contextu pateat, sermonem esse de vitae sanctitate. [5] (*ibid.* 6, 6). [6] Ante omnia autem vellem cap. II de Oecumenismi exercitio complere. [7] etiam gravia. [8] Oecumenismi. [9] S. m. Papam Ioannem XXIII pro initiatore huius sanctae motionis habent, et eius mortem sinceris lacrymis planxerunt. [10] exstant. [11] quae in Europa centrali saec. XVI discessum fratrum nostrorum provocaverunt, respective circa hunc discessum exorti sunt. [12] Illi tristes historici eventus, proh dolor non possunt fieri infecti, historia est magistra vitae, illi eventus non possunt reticeri et hoc neque est necessarium, at pro bono oecumenismi valde desideratur, ut hi eventus. [13] catechismi. [14] deest. [15] deest. [16] nostri Papae Pauli VI die solemnis inaugurationis huius periodi II Concilii prolatis: « Si quae culpa ob huiusmodi separationem in nos admittenda sit, veniam humili rogatu a Deo petimus, ab ipsisque fratribus veniam petimus, si iniuriam a nobis se accepisse putent. Ad nos quod attinet, animo parati sumus ad condonandas iniurias catholicae Ecclesiae illatas et ad relinquendum moerorem, quo confecta est, diuturnarum dissensionum atque separationum causa ». Haec verba non sine animi commotione audivi. Sunt verba Vicarii Christi sancta ex humili corde prorupta. [17] respiciantur. [18] saec. XVI. [19] deest. [20] historicos. [21] et quidem. [22] Christi esse eius membrum. [23] quorum voluntarium etsi sint membra huius corporis mystici, non tollatur vel minuatur. [24] sit. [25] deest. [26] inscribendum esse non Ecclesiae, sed hominibus. [27] catechismi doctrina Ecclesiae v. g. de indulgentiis obiective adducatur et in libris de historia saec. XVI obiective ita revideantur, ut amoveatur ex illis omne quod historicae.

6

EXC.MUS P. D. PAULUS IOSEPH SCHMITT
Episcopus Metensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Ne abutar patientia vestra, scripto tradam secretariatui observationes et emendationes de peculiari munere episcoporum in exercitio Oecumenismi. Liceat mihi tamen aliqua verba facere [1] *de libertate religiosa ut conditio sine qua non Oecumenismi exercitii.*

Licet adsit in hoc schemate aliquod speciale capitulum « De libertate religiosa », omnino necessarium tamen apparet iam in isto capitulo « De Oecumenismi exercitio » ...[2] brevissime tractari de libertate *religiosa.*[3] Etenim:

1. Ad oecumenicum exercitium requiritur veri dialogi possibilitas. Ex historia autem constat quod, impedita religiosa libertate, dialogus inter christianos disiunctos possibilis nunquam fuit. Quin immo, controversiae *et pugnationes* [4] exortae sunt.

2. Impedita religiosa libertate, civiles potestates uti et abuti conatae sunt his inter christianos divisionibus, testante hoc proverbio ...[5]: « Cuius regio, huius et religio ». His in casibus, rationes non doctrinales vel religiosae, sed temporales vel politicae scandalo divisionis inter christifideles haud raro moram maioremque duritatem praebebant.

3. Deficiente vel devicta religiosa libertate, transcendentia christianae religionis iam elucescere non potest in mundo. Omnes enim Christi discipuli, non obstante eorum divisione, commune testimonium aliquo modo dant fidei in Deum verum, et in Filium eius Iesum, et in doctrinam eius per evangelicam traditionem datam. Unus ex praecipuis scopis ...[6] Oecumenismi motus ...[7] certe est, ut in nostro tempore detur ...[8] ab omnibus christianis tale commune testimonium ...[9]. Hoc certe possibile non erit si primo libertas religiosa omnibus hominibus non agnoscatur.

4. ...[10] Et haec ratio profundius radicatur in divina dispensatione circa filios Dei — impedita vel coacta religiosa libertate in civitate, etiam internae libertati filiorum Dei plurimis in casibus vis affertur. In omni externa servitudine, in multis animabus *coarctatur, obumbratur et corrumpitur* [11] illa relatio personalis ...[12] ac transcendens adhaesionis fidei in Verbum *Dei. Per* [13] viam consequentiae, illae personales relationes iustitiae et fraternae caritatis inter membra talis servilis civitatis *evertuntur.*[14] E contra, in libera civitate, aemulatio inter liberas personas ad bonum commune concurrit, sicut et aemulatio inter christifideles, etiam aliquo pro tempore disiunctos, ad Evangelii Domini servitium concurrit.

Propter has rationes, valde optandum est ut, iam ab initio capitis « de Oecumenismi exercitio », aliquid firmiter dicatur de necessaria religiosa libertate, qua deficiente, omnes conatus in illo capite commendati inanes relinquentur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Ad cap. II « De Oecumenismi exercitio » duas observationes velim facere.

I. *De munere episcoporum in hac re oecumenica.* Em.mus card. Bea, exc.mus D. Heenan aliique Patres passim iam locuti sunt de peculiari munere episcoporum in re oecumenica.

Necesse mihi videtur munus illud in hoc capitulo « De Oecumenismi exercitio » profundius enucleare. Certo Summi Pontificis primo est de unitate christianorum curam habere. Sed cum eo omnes etiam episcopi sollicitudinem omnium Ecclesiarum ferre debent.

Divisiones inter discipulos Christi culpa magna sunt, et diabolica tentatio vere eschatologica, a Domino Iesu in parabolis, in sermone eschatologico et in oratione sacerdotali pro temporibus Ecclesiae denunciata. Passio haec et, ut

ita dicam, crucifixio Domini in membris Corporis sui, omnibus christianis communicatur et communicari debet. Sed episcopi, quibus in primis Dominus Ecclesiam suam commisit, huius passionis plenam mensuram in corde suo acceptare et portare debent, et in ministerio suo indefessim laborare ut restauretur unitas a Domino tam vehementer commendata.

Spes nostra oecumenica, etiam theologica, fundatur certe in his omnibus donis fidei et gratiae quae, ut dixit Ioannes Papa XXIII, nobis adhuc sunt communia. In his donis ergo, sicut in illa spe, prae omnibus inniti possunt et debent episcopi in apostolica sua missione oecumenica.

Hoc valet pro tribus ministeriis huius missionis apostolicae.

1. *Episcopus, ut verbi Dei propheta seu doctor,* debet non tantum defendere veritatem revelationis sed positive eam praedicare, ad vitam concretam auditorum aptare, de claritate in claritatem enucleare.

Officium hoc certe non potest episcopus adimplere nisi primum attente audiat veras quaestiones quas non tantum vita personarum, sed etiam diversi motus culturales in societate ecclesiastica vel humana quotidie evolvunt. Hoc ei possibile non fit nisi magno librorum vel ephemeridum studio, frequentibus collationibus cum circa hanc materiam peritis, etiam pertinentibus ad disiunctas Ecclesias.

Ex labore isto, praedicatio vel doctrina episcopi ad omnem gregem suum profundior et magis fructuosa iam eveniet. Immo, ex talibus cum fratribus seiunctis collationibus vel conferentiis, in tempore nostro atheismi, omnium christianorum commune testimonium datur fidei in Deum et Filium eius Iesum, qui Ipse est Dei revelatio, Rex regum, et omnium nostrum salus et redemptio.

2. *Episcopus* non est tantum praedicator fidei, *est etiam pastor animarum.* Ei non sufficit talibus oecumenicis colloquiis in quaestiones fidei profundius introire et eas clarius exponere. Spes eius et pastorale munus impellunt eum non tantum ad vigilantiam et protectionem gregis, sed etiam ad oecumenicos inceptus suscitandos et fovendos. In ministerio suo apostolico, hoc certe non est per accidens, sed essentiale, sicut unitas est essentialis in mysterio Corporis Christi episcopo commisso.

Ab episcopo ergo oecumenica navitas in grege suo regenda est sicut omnes ceterae navitates. Urgens caritas Christi in omnibus istis conatibus prudentiam pastoralem lucidam et fortem facit. Unusquisque episcopus in sua dioecesi, in quantum fieri potest, erigat ergo commissionem dioecesanam de re oecumenica. Omnes episcopi, coadunati in conferentia regionali vel nationali, erigant pariter commissionem regionalem vel nationalem. Studium oecumenicum debet enim aptari conditionibus regionum vel populorum.

3. *Episcopus* tandem non est praedicator tantum et pastor, *est etiam populi Dei sanctificator et pontifex.*

De necessitate sanctificationis ad oecumenismi exercitium pluries in schemate optime actum est. Sed, mea mente, de obligationibus propriis episcoporum in hac re non satis elucet. Pro omnibus christianis, radix totius sanctitatis est gratia Dei in sacramentis, et principaliter in baptismo data. Cultus religionis christianae ad gloriam Dei et ad sanctificationem hominum instituitur, cuius episcopi sunt pontifices.

Muneris est ergo episcoporum, in causa oecumenica, quantum in divisione nostra praesenti est possibile, conventus celebrationesque precum praevidere, in-

stituere et etiam ipsi eisdem frequenter adesse et orare. In hac re enim, ad eos proprie pertinet disciplinam generalem catholicae Ecclesiae ad populum sibi concreditum aptare.

Sic ergo, episcopi, quibus Dominus commisit mysterium Corporis sui, quae est Ecclesia sancta et una, forma gregis vere facti in ministerio suo oecumenico, in clara fide, in patientia quae spem operatur, et in ferventi caritate, efficaces ministri erunt ad hanc sanctam unitatem restaurandam.

In Concilii secretariatu aliquam in hoc sensu additionem repono, cuius textus hic sequitur:

6. (*De oecumenica responsabilitate obligationeque episcoporum*).

Evenit saepe hodie, sicut antea in decursu temporum, quod fideles diversarum Ecclesiarum mutuis relationibus in fide et caritate plane versantur. Ardenti desiderio a pastoribus suis, scilicet Episcopis, exspectant ut communio illa christiana etiam in ecclesiastica disciplina et sanctis sacramentis perficiatur.

Pastorum circa hoc magnum est apostolicum officium. Eis certe incumbit ut integritas depositi christiani, tam in fide quam in fraterna disciplina et in sacramentorum cultu servetur, ideoque quocumque falso irenismo consentire nec possunt nec debent.

Attamen considerare etiam debent ipsi in primis quod, testante et deprecante Domino Iesu in oratione sua sacerdotali, maximum bonum Ecclesiae sibimetipsis concreditae sit unitas. Et ideo, ad unitatem istam inter omnes christifideles eo magis laborare debent quod, eodem in tempore, depositum verum et integre divinae traditionis firmiter conservare, defendere et promovere debent.

Propterea sancta Synodus Ecclesiae catholicae ut exhortationem hanc audiant vehementer admonet. Sint in praedicatione verbi Dei diversis inter Ecclesias interpretationibus divinae revelationis debita cum scientia attenti, et ad colloquia circa diversas istas opiniones instaurata vel instauranda periti et intenti. Sint in pastorali sollicitudine ad servitium fratrum disiunctorum caritative proni et multimodis efficaces. Sint tandem in celebrationibus christianae religionis cultus, et in orationibus privatis vel publicis pro unitate inter omnes Christi discipulos restaurandam, prout in unoquoque casu ad normas generales Ecclesiae possibile est, ferventiores in populo suo christiano pontifices.

In mente tandem semper habeant episcopi quod Oecumenismi exercitium, prout in diversis sequentibus formis huius decreti exprimitur, ad eorum apostolicum munus imprimis pertinet. II. [2] vel. [3] illa. [4] fratricidae pugnae. [5] saec. XVI. [6] praesentis. [7] in mundo. [8] tandem. [9] et etiam ut melius detur per re-unificationem omnium christianarum Ecclesiarum. [10] Tandem. [11] Coarctantur, adumbrantur, et corrumpuntur tam. [12] aeque. [13] Dei quam, per. [14] deest.

Moderator: Audiant Patres! Remaneant Patres pro momento in locis suis. Assignatores quoque in locis suis sint parati.

7

EXC.MUS P. D. SALVATOR BALDASSARRI

Archiepiscopus Ravennatensis

Venerabiles Patres,

Cap. II « de Oecumenismi exercitio » perpulchrum mihi videtur et optimum, praesertim ob logicam et organicam compositionem quam unusquisque videre potest examinando etiam tantum titulos.

Sit mihi venia si assero pauca capita schematum redacta esse tam logica connexione.

In n. 4 « de interiore Ecclesiae renovatione » habetur solidum fundamentum huius capitis. Ecclesiae renovatio, sensu vero intellecta, nos urget, quasi caritas Christi, etiam ad oecumenismum. Sed non omnes praesertim *nostris diebus* [1] eodem sensu intelligunt « renovationem Ecclesiae », et inde oritur confusio non parva: optime ergo fecerunt redactores huius capitis declarando quae sit haec vera renovatio, i. e., vera diaconia, adaucta, scil., *fidelitate* [2] hominis christiani propriae vocationi. Quae declaratio tam simplex et tam *vera,* [3] quae de medio tollit *omnem aequivocationem,* [4] utinam esset lucerna in redactione definitiva omnium schematum quae ad hoc tendunt i. e. *non ad quamdam renovationem, sed* [5] ad veram renovationem Ecclesiae. Hoc humiliter peto.

In n. 5, ubi « de conversione cordis », sermo est « sincerae abnegationis, humilitatis et mansuetudinis in serviendo ». Quae verba, coniuncta cum illis quae habentur in n. 8, ubi de fratrum mutua cognitione, in quibus asseritur « necessitas studii peracti animo benevolo », et coniuncta *praesertim* [6] cum illis quae habentur in n. 10, ubi « de modo exprimendi et exponendi doctrinam fidei », efformant complexive sumpta optimam normam pro *vero et efficaci* [7] dialogo.

Methodi exponendi doctrinam cum fratribus seiunctis, *i. e. methodi circa dialogos,* [8] fuerunt variae in historia Ecclesiae:

1. Prima methodus fortis et magis dura priorum saeculorum, quae invenitur in Irenaeo « Adversus haereses », in Tertulliano « De Praescriptione » et fere semper durante haeresi Trinitaria ... [9], et durantibus haeresibus Christologicis. Recogitandum tamen est, quia methodus dura, etiam in his scriptoribus cedit et fit accommodans quando non sunt in causa quaestiones verae fidei, uti videri potest in S. Irenaeo qui in quaestione de die Paschatis honorem fecit suo nomini insistendo pro tolerantia et pace.

2. *Secunda methodus est* [10] semper fortis sed, *in modo,*[11] dulcissima, *et est methodus* [12] qua utitur e. g. S. Augustinus in quaestione Pelagiana et praesertim in quaestione Donatista.

Historia methodorum ad *haec duo* [13] reducitur, et quaestio nostra potest exprimi hoc modo: « Quae hodie est methodus magis accommodata nostro tempori, prae oculis habendo historiam Ecclesiae, *vere* [14] magistram et ipsam vitae? ».

Certe irenismus falsus semper reiciendus est. Hoc clare testatur tota traditio, *sine exceptione.*[15]

Sed quid profuerunt polemicae quasi rixosae in sic dicto schismate Photiano; quid profuit in controversiis variorum temporum dicere semper de aliis malum (quando quaedam saltem erant bona) et de se semper bonum quando nonnulla erant vere mala? Forsitan Augustinus est magis ...[16] magister nostrae aetatis pro dialogo, ille qui dialogum ...[17] publicum instituit cum *quodam* [18] episcopo donatista, eum dulcissime alloquendo uti fratrem et quasi per manum eum apprehendendo ut communis ingressus fieret in ecclesiam.

In n. 11 sermo est de cooperatione etc. ... Cooperatio in omnibus, in quibus sine scandalo cooperatio est et possibilis et ab omnibus auspicata, est norma tam grandis, tam respondet renovationi Ecclesiae in sensu asserto supra, et profundo desiderio *nostrae aetatis,*[19] ut mihi videatur esse declaranda non sensu tam humili ...[20] uti fit in capite, sed magis solemniter et quasi fortiter ut omnes agnoscant non tantum ideas *claras* [21] nostri Concilii, sed spiritum apostolicum et oecumenicum.

In textu scripto tradito: [1] hodie. [2] fidelitas. [3] profunda. [4] omne aequivocum. [5] deest. [6] etiam. [7] deest. [8] deest. [9] Arii. [10] Habetur etiam. [11] deest. [12] deest. [13] has duas. [14] deest. [15] deest. [16] in traditione. [17] quasi. [18] deest. [19] deest. [20] et timoroso. [21] deest.

Moderator: Audiant Patres! Quia moderatoribus visum fuerit materiam huius cap. II satis illustratam esse, id quod iudicandum erat ex multis repetitionibus, admonitionibus et meditationibus, proponunt moderatores Patribus, ad normam art. 57 § 6 Ordinis agendi Concilii, sequens votum: An placeat Patribus ut disceptatio de cap. II schematis *de Oecumenismo* concludatur?

Qui stant pro hoc voto, surgant e locis suis. [*Intervallum*].

Patres vero qui iure in articulo citato uti velint, dent iam hodie nomen suum secretariatui generali.

Loquatur nunc exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Lego nomina eorum qui orationem facere postulaverunt circa cap. III *de Oecumenismo*: em.mus ac rev.mus D. card. Antonius Bacci; S. B. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum; exc.mi DD. Bernardinus Collin, ep. Diniensis in Gallia, Georgius Dwyer, ep. Loidensis in Anglia, Henricus Jenny, ep. aux. Cameracensis in Gallia, Paulus Gouyon, arch. coad. Rhedonensis in Gallia, Eduardus Mason, vic. ap. El Obeid in Sudan, Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis in Polonia, Isaac Ghattas, ep. Thebanus in Aegypto, Narcissus Jubany, ep. aux. Barcinonensis in Hispania, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia, Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania, Vladimirus Malanczuk, exarcha Ucrainorum in Gallia, Lancilottus Goody, ep. Bumburiensis in Australia, Carolus Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Iosephi in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Ioseph Souto, ep. Palentinus in Hispania, Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia, Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco, Petrus Dib, ep. Cahirensis in Aegypto, Elias Zoghby, arch. vic. patr. Melchitarum pro Aegypto et Sudan; rev.mus D. Athanasius Hage, sup. gen. Ord. Basiliani S. Ioannis B. in Libano; exc.mi DD. Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus in Aegypto, Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis in Gallia.

Moderabitur hanc disceptationem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Venerabiles Patres, quia sunt multa nomina Patrum fere eadem, velitis scribere in schedulis electionis, quando hic casus accidit, nomen et cognomen et, si necesse est, etiam dioecesim vel munus. Gratias.

8

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Brevissime loquar de cap. III, n. 18.

In hoc numero, pag. 23, haec verba leguntur: « Officium Romanae Sedis esse praesidere in caritate ». Propono autem ut addatur: « et auctoritate », h. e. « praesidere in caritate et auctoritate ». Novi quidem haec verba « praesidere in caritate » usurpata iam esse a SS. Patribus etiam apostolicis, sed ex SS. Patrum scriptis et ex eorum modo agendi erga S. Sedem clare patet eos recognovisse non tantum munus praesidendi in caritate sed etiam in auctoritate. Quod praeterea patet etiam ex Conciliis Oecumenicis in Oriente celebratis, in quibus reapse auctoritas Romani Pontificis semper recognita fuit atque etiam interdum plaudentibus Patribus accepta utpote a successore Petri orta. Ac denique

— quod numquam a mente nostra excidere debet — dogma de primatu Romani Pontificis in Concilio Vaticano I sollemniter definitum fuit.

Praeterea placet mihi heic animadvertere maximam spem excitasse in universo mundo hoc inceptum promovendi actuosissime unitatem omnium christianorum. Hanc magnam spem debemus omni ope fovere, instantibus praesertim precibus ad divinum Spiritum adhibitis. Sed ad hoc minime confert ambiguitas verborum in doctrina nostra enuntianda. Non debemus quasi *pavorem* habere cum de primatu Romani Pontificis agitur, iam a Concilio Vaticano I definito, quasi hoc timido et obscuro modo facilius aditus pateat ad fovendam christianorum unitatem. Nihil reticendum est, quia hoc non iuvat ad obtinendam hanc auspicatissimam unitatem. Sicut fratres a nobis seiuncti reapse sinceri et aperti sunt in sua doctrina proponenda, ita nos pariter aperti, sinceri, et praecisi esse debemus etsi cum omni caritate. Etenim hoc tantum agendi modo possumus mutuam illam comprehensionem promovere, ex qua tandem aliquando divini Spiritus aspirante gratia, haec auspicatissima christianorum unitas ad effectum saltem gradatim deducatur: « ut omnes unum sint ».

Ac liceat mihi heic brevem ponere parenthesim, ut iam alii Patres conciliares non raro fecerunt, parenthesim, quae arctisime coniungitur cum doctrina in hoc capite tractata, nempe de Primatu iurisdictionis Romani Pontificis.

Cum de quinque articulis illis, qui ad suffragationem venerunt sine praevia ac necessaria disceptatione die 30 octobris actum est, ego non quaestionem proposui mere linguisticam,* sed praesertim theologicam, quia articuli illi stricte theologici erant. Utique dixi adiectivum « primatiale » a primate derivari, quod nemo ignorat, quod ex omnibus lexicis ethymologicis, atque ex usu omnium linguarum omnino patet; sed hoc feci tantum ut Patres conciliares prorsus caverent a verborum ambiguitate, quae magnum detrimentum afferre potest. Nobis non licet, venerandi Patres, significationem verborum mutare sive in lingua latina, sive in aliis linguis, ubi adiectivum « primatiale » non primatum iurisdictionis significat, si volumus ambiguitatem vitare in rebus theologicis, ut reapse omnes volumus. Ceterum etiam « linguistica » magnum momentum habet cum agitur de doctrina catholica recte enuntianda, ut omnis ambiguitas vitetur.

Unum tantum exemplum affero: in aetate Nicaena quaestio linguistica facta est inter adiectivum « omoousion » et adiectivum « omoiousion » (*unum tantum iota differt aliud adiectivum ab alio* [1]), et ex hac

---

* Cf. vol. II, pars III, pag. 672.

ambiguitate linguistica orta est detrimentosa confusio theologica. Iamvero « ius primatiale » Romani Pontificis, etsi in omnes episcopos universae Ecclesiae, ab aliquibus hoc modo accipi potest: esse nempe Romanum Pontificem primatem omnium episcoporum; quod quidem longissime abest a mente et intentione omnium catholicorum. Hac tantum de causa proposui submisso animo ut loco adiectivi « primatiale », quod ambiguitatem sapit, poneretur clare et praecise primatus iurisdictionis Romani Pontificis. Hoc neminem *offendat*[2] sed potius, pro mea facultate, claritatem doctrinae *adiuvet*.[3] Ne contingat, etiam in rebus theologicis, quod Sallustius scripsit (Catilinaria, cap. 52): « Nos vera vocabula rerum amisimus! ».

Haec habui, venerandi Patres, quae sapientiae et prudentiae vestrae proponerem.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] offendere potest. [3] adiuvare.

Moderator: Moderatores putant nullam aequivocationem hac in re adesse in mente Patrum.

9

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Pères,

En parlant de la discipline propre des Orientaux, notre Schéma, au n. 12, « affirme solennellement le principe de la diversité dans l'unité ». Et il ajoute que « la parfaite observance de ce principe traditionnel, qui n'a pas été toujours bien respecté, fait partie des conditions absolument indispensables de toute restauration de l'unité ».

Nous adhérons pleinement à cette solennelle déclaration par laquelle l'Eglise catholique affirme sa volonté de respecter, dans l'unité de la foi, la *légitime diversité de discipline des Eglises orientales.*

Partant de ce principe, le Saint-Siège Romain a fait un effort considérable pour doter les Eglises orientales catholiques d'un Code de droit ecclésiastique distinct de celui de l'Eglise latine. Le résultat n'est sans doute pas parfait. Mais le principe est du moins sauf, à savoir la distinction des deux Codes, le Code oriental et le Code latin.

Nous regrettons que certains Pères aient cru devoir demander l'unification du Code oriental avec le Code latin. Cette unification abouti-

rait fatalement, qu'on le veuille ou non, ou à substituer la discipline latine à la discipline orientale, ou à donner à la discipline latine une telle prévalence qu'on ne pourra d'aucune manière voir dans ce Code unifié la discipline propre de l'Orient. Dans le dialogue œcuménique, il sera vraiment malheureux de montrer à nos frères orthodoxes que la discipline qui les attend, en cas d'union avec l'Eglise Romaine, est, non la leur, mais celle de l'Eglise latine ou quelque chose *de* [1] semblable. En réclamant l'unification du Code oriental avec le Code latin, *on ne réalise sans doute pas quel préjudice on porte à la cause de l'œcuménisme.*

Cette cause de l'œcuménisme exige aussi, comme seconde condition indispensable, le maintien de la hiérarchie de chaque Eglise particulière. A différentes reprises, il a été question, dans cette Assemblée, de projets d'unification des juridictions dans les pays où il y a différents rites. Cette idée d'unification des juridictions est tentante. Mais si on la pousse *aux* [2] extrêmes, sans les distinctions opportunes, elle peut avoir les conséquences les plus graves.

Pour clarifier cette question, nous estimons qu'il faut distinguer trois cas:

1. Le premier cas est celui des pays de mission: Chine, Indes, Japon, etc. ... Actuellement, l'Eglise latine a sa hiérarchie constituée dans tout le globe terrestre. Il est cependant juste que les Orientaux soient associés à l'œuvre de la mission. Des territoires devraient leur être confiés, surtout dans les pays où ils sont depuis longtemps installés, et dans ceux qui présentent avec les leurs de telles affinités raciales, linguistiques et culturelles que l'évangélisation par eux est comme providentiellement indiquée. Dans ces pays, l'unification des juridictions peut être heureusement réalisée par entente entre les évêques sur place, avec intervention, si c'est nécessaire, du Saint Siège Romain. Faut-il ajouter que, dans l'intérêt-même de l'Eglise, on doit favoriser, toutes choses égales, l'Eglise autochtone, le rite local qui correspond mieux au génie et aux aspirations du peuple?

2. Le deuxième cas est celui de chrétientés déjà établies et de rite majoritaire latin, comme par exemple en Europe et en Amérique. Là, toutes les fois que les Orientaux sont en nombre suffisant, il ne faut pas hésiter à leur donner, non seulement des paroisses de leur rite, indépendantes des paroisses latines, mais aussi une hiérarchie propre, comme le prévoit d'ailleurs très sagement le Schéma *De Episcopis et dioecesium regimine,* au n. 31.

3. Le troisième cas — qui nous concerne plus spécialement — est celui de l'Orient classique, où depuis des siècles, le christianisme se

présente sous forme communautaire, et où à la tête de chaque Eglise il y a déjà une hiérarchie distincte et organisée.

Dans ces pays, où il y a une organisation multiséculaire qui a fait ses preuves, où les nombreuses autorités ecclésiastiques vivent coude-à-coude dans le même territoire avec compréhension et paix, malgré quelques heurts inévitables dûs à la faiblesse ...[3] humaine, la situation ne peut pas changer sans occasionner de graves désordres. Alors même que l'on décide de changer cet état de choses, la nouvelle situation ne pourra pas durer, parce qu'elle est contre nature, parce qu'elle ne pourra pas être acceptée par le peuple et parce qu'elle créera des troubles très graves qui mettront en péril la vie-même des Eglises orientales catholiques.

Par ailleurs, on ne doit pas oublier que notre stade actuel d'union n'est pas une formule définitive. Nous sommes en quelque sorte des organisations de transition. Quand l'union globale sera réalisée entre l'orthodoxie et le catholicisme, tous les cadres hiérarchiques fusionneront d'eux-mêmes pour ne former qu'une hiérarchie. De quel droit aurons-nous, auparavant, supprimé telle juridiction, ou fondu telle autre dans un organisme a-rituel, où nos frères orthodoxes ne se reconnaîtront plus?

Nous devons rejeter aussi toute unification de juridiction qui aboutirait à une absorption d'une Eglise par une autre. Toute fusion ou absorption d'une hiérarchie par une autre marque la disparition d'une Eglise. Or, l'Eglise catholique veut sauvegarder toutes les Eglises qui la forment, en particulier les Eglises orientales qui ont la mission, très importante, de faire l'unité chrétienne avec les branches orthodoxes correspondantes de leur rite. Priver l'une ou l'autre de sa hiérarchie propre, c'est préparer, à plus ou moins brève durée, leur disparition.

Sur *ces deux questions,*[4] une longue étude a été remise par nous au Secrétariat. Le manque de temps ne nous permet ici que d'en donner un aperçu très succinct.

Plutôt donc, que d'agiter des solutions théoriques, qu'on sait fort bien être irréalisables et dangereuses pour la tranquillité du peuple chrétien, nous voudrions adresser un appel fraternel pour que, d'une part, soit respecté l'ordre établi avec la distinction des communautés et des hiérarchies, et pour que, d'autre part, on évite les inconvénients de la multiplicité des juridictions, par une collaboration encore plus étroite entre les chefs ecclésiastiques, dans tous les domaines de l'apostolat, grâce à une intensification des Synodes inter-rituels.

Le maintien d'un Code de droit canonique distinct pour les Orientaux et le maintien d'une hiérarchie distincte pour chaque Eglise, avec

le maximum de collaboration, voilà les deux conditions indispensables du travail œcuménique. C'est là aussi la garantie de la présence de l'Esprit du Christ qui est un Esprit de concorde, de charité et de paix. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] qui lui est très. [2] à ses. [3] de la nature. [4] toute cette question.

10

EXC.MUS P. D. BERNARDINUS COLLIN
Episcopus Diniensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Observatores et Auditores,

Procul dubio schema *de Oecumenismo* peculiariter praestans, ob ponderosa principia quae proponit, diudicandum est. Hoc praesertim quoad primam partem cap. III teneo, ubi de Ecclesiis orientalibus agitur dum schema *de Ecclesiis orientalibus* de Oecumenismo tacet.

Ne tamen oecumenismus sua careat efficacitate, tamquam idea luminosa quidem sed in se dispersa et a realitate longinqua, necesse est ut eius natura eiusque argumenta penitus determinentur. Benignitas Vestra mihi faveat ut aptiora perpendam.

Praeprimis videtur mihi aptam distinctionem faciendam Ecclesias Anglicanam et Protestantes inter et Ecclesias orientales quae « valde venerabiles, valde sanctae » ab ipso Summo Pontifice Paulo VI, feliciter regnante, vocantur. Enimvero, ex huiusmodi distinctionis negligentia peringentes et quidem defavorabiles exorirentur consequentiae. Dum enim de orientalibus Ecclesiis sermo erit subsequentes animadversiones, quae peculiari pondere nitent, prae oculis habendae sunt.

1. Ecclesiae orientales in toto traditionis decursu, inde ab earum apostolica origine, *authenticum episcopatum* servaverunt semper. Ipsa Ecclesia catholica romana hoc ipsis semper recognovit. Ita ut in Concilio Oecumenico Florentino orientales, minime quatenus observatores, immo pleno iure partes habuerunt.

2. Ecclesiae orientales continue, ab origine et nudiustertius usque adhuc, omnibus potitae sunt *sacramentis,* quae et regulariter et valide administraverunt: si peculiares casus de facto — salvo iure — praeterire malumus. Haec ipsa proprietas ab Ecclesia catholica romana absque contestatione Ecclesiis orientalibus confirmata est.

3. *Sacramentum Eucharistiae,* quod inter Sacramenta praeeminet quodque nota validitatis numquam exutum est, in Ecclesiis orientalibus

una cum episcopatu peculiare confert pondus. Eucharistia, enim, ex Sacra Scriptura et ex traditione apostolica atque patristica deprompta, Ecclesiis orientalibus specificum imprimit characterem. Orientales revera, plus quam Ecclesiam sub unica auctoritate centralizatam et vinculis uniformantis iuris ligatam praeferunt coordinationem Ecclesiarum vi intercommunicationis unitarum. H. e.: Ad Ecclesiae unitatem obtinendam orientales, non vi uniformitatis disciplinae, sed vinculo caritatis fulciri cupiunt. Huius vero unionis symbolum vivens, fons et ligamen Eucharistia est.

Huiusmodi notio Ecclesiarum intercommunicantium authenticus episcopatus aeque ab omnibus probatus atque septem Sacramenta indubia validitate tradita: haec omnia solidum substernunt fundamentum ut Oecumenismus cum Ecclesiis orientalibus efficacius ineatur. Ut ex se enitet, hoc substantialem basim constituit ad colloquendum.

Praecedentia exemplo comprobari possunt, sed, ut ita dicam, exemplo a contrario. Fluentibus saeculis nunquam Ecclesia catholica denegavit orientalibus orthodoxis, sicut monophysitis et ceteris. Vicissim, et catholici ab orthodoxis receperunt Sacramenta. Inde a saec. XVIII vero, propter lamentabilem disparitatem quam passa est ecclesiologia, orientalibus eadem disciplina imposita est quae contra Protestantes digesta erat. Ex hoc possibilitas Ecclesiam unificandi evanuit. Denegatio enim Sacramentorum, immo suspicio de eorum validitate, abyssum proiecit inter Ecclesiam occidentalem et Ecclesias orientales.

Insuper nuperrime i. e. a quindecim annis tantummodo, *Codex Iuris Orientalis* (Decretum *Crebrae allatae* diei 22 maii 1949) abyssum dilatavit, invaliditatem matrimoniorum inter orientales catholicos et orientales orthodoxos declarans. En: Matrimonia quae ad vigiliam usque valida erant, inde a Decreto invalida declarata sunt.

Hunc autem omnium amor erga Concilium Vaticanum II sicut et ipsum Concilium peringentem spem in toto christianorum orbe excitarunt. Et ita felix pro nobis his temporibus ruit hora maximi momenti. Inde, si iustum est veteres deplorare errores, sicut ipse Summus Pontifex declaravit, utilius erit conscientiam nobis efformare de traditionalibus meritis Ecclesiarum orientalium. Summus Pontifex in hac aula die 29 septembris, hanc necessitatem revocavit dum loquebatur de honore antiquitus acceptis communibusque traditionibus debito.

Ut omnia quae dixi sinatis, venerabiles Patres, ut uno verbo resumam: Necesse est Ecclesiis orientalibus legitimum agnoscere decus, magnique facere authenticam hereditatem quam ipsae absque interruptione servaverunt. Horum negligentia spem auferret cum istis venerabilibus Ecclesiis efficaciter colloquendi. Audientibus gratias.

11

EXC.MUS P. D. GEORGIUS DWYER
Episcopus Loidensis

Em.me Moderator, venerabiles Fratres conciliares,

Loqui volo de secunda parte huius capituli nempe de n. 19 ss. In Anglia et Cambria permixti vivimus cum magna varietate christianorum acatholicorum. Propterea audeo dicere nos aliqua lumina fortasse posse dare aliquibus Patribus qui eloquenter locuti sunt in hac aula sed in quorum dioecesibus invenitur vix unus frater seiunctus.

Igitur dico: Ut dialogus oecumenicus fructuosus sit necesse est ut fundetur non tantum in caritate sed et in claritate. Maximi momenti est ut non nobis illusiones fingamus de mente et indole fratrum seiunctorum.

Ergo 1. Longe a veritate abest qui credit quod aliqua verba caritativa, maior humanitas in mutuis relationibus, sufficiet ad reunionem christianorum de quibus in n. 19 ss. conficiendam. Iamdudum in Anglia cum magna familiaritate et amicitia cum acatholicis vivimus — fere omnes nos parentes habemus acatholicos utputa avum, vel avunculum, amitam, sponsum etc. In mea dioecesi, quae numerositate *non est nisi septima in Anglia,*[1] fere mille personae ad ecclesiam convertuntur *unoquoque anno,*[2] fere omnes acatholici baptizati qui post annos in schola in ecclesia eorum numquam pedem posuerant. Dimidia pars matrimoniorum in mea dioecesi mixtae religionis sunt. Tempus ergo longe revolutum est quo catholici in communitate clausa vixerunt. Inimicitiae diffugerunt, odia pro maxima parte cessarunt: etiam polemica ab aliquot annis sedata sunt — sed reunio nondum confecta est. Caritas et affabilitas per se nullo modo sufficiunt.

2. Errat qui putat quod semper vel etiam ordinarie omnes christiani catholici et acatholici in doctrinis fundamentalibus conveniunt. In multis rebus de fide et de moribus valde discrepant.

E. g.: nullo modo securus esse potes quod acatholicus christianus cum quo loqueris, etiam si sit episcopus, credit nativitatem virgineam Christi aut resurrectionem eius in corpore. Praeterea etiam sanior pars fratrum seiunctorum qui veram fidem in essentialibus tenent, nolunt tamen affirmare eos contra fidem loqui *christianam qui haec*[3] negant.

In re morali[4] late diffusum est inter communitates acatholicos systema sic dictum « Ethicae situationis », ita ut reiciunt ipsam notionem *actionis in se bonae vel malae.*[5] Sic aliqua membra communitatis quae

nuncupatur *Societas Amicorum* [6] (vel anglice " Quakers "), olim *inter omnes* [7] rigidissima in re morali, nuper librum ediderunt in quo affirmant fornicationem aliquando licitam esse posse si in vero amore fundatur ...[8]: cum quibus convenit etiam episcopus aliquis anglicanus in libro cuius *nuper numerus revera* [9] astronomicus exemplarium venditus est ...[10]. *Et per transennam noto quod etiam nostri fautores « novae theologiae » quam vocant, hucusque non pervenerunt, sed quis scit* [11]*?*

Dico: sanior pars harum communitatum dolent de his factis sed nolunt sine ambagibus declarare quod non licet christiano haec affirmare. Et hoc maximi momenti est, nam indicat notionem quam habent de Ecclesia docente, toto caelo a nostra catholica discrepare.

Ex altera parte et ipsi sciunt se longe a nobis distare. Nuper archiepiscopus Ecclesiae Anglicanae in Cambria in synodo dixit se gaudere quidem de aura caritatis quae super christianos sufflat. Sed nullam spem re-unionis adesse addidit. Dixit enim, *et verba eius propria cito* [12]: « Auctores Romani hodie notionem propagare satagunt quod etiamsi dogmata Ecclesiae Romanae mutari non possint, modus tamen quo exponuntur modificari possit ita ut acceptiora fiant christianis non-Romanis. Attamen — *pergit dicendo* [13] — dogmata ista reiciuntur a christianis non-Romanis, non quia ab ipsis non bene intelliguntur sed praecise quia bene intelliguntur et erronea esse iudicantur. Non potest concipi, dixit, ut Ecclesia in Cambria ea accipiat. Unde nulla prorsus spes re-unionis ».

Quid igitur dicendum? Estne desperandum de dialogo? Minime. Immo, e contra, mihi persuasum est quod dialogus eo magis honestus et fructuosus erit si haec quae dixi bene intelliguntur ab initio. Principium fundamentale omnis dialogi oecumenici est hoc: accipienda est altera pars sicuti est: oportet ut dialogus sit inconditionatus. I. e.: nos non debemus dicere « Loqui vobiscum nolumus nisi prius accepistis notionem nostram Ecclesiae docentis ». *Nec ipsi* [14] nobis dicant « Loqui nolumus nisi *prius* [15] hanc vel illam mutationem facitis in doctrina vel disciplina vestra ». E contra, incipiendum est cum respectu mutuo, cum conamine intelligendi cur praecise altera pars talem vel talem doctrinam tenet. Sic e. g.: maximum problema erit in dialogo oecumenico recte aestimare valorem quem fratres seiuncti tribuant notioni « libertatis »: quomodo concilianda erit libertas in sententiis formandis cum auctoritate Ecclesiae docentis ita ut sit vera « libertas filiorum Dei »?

Hoc dicere vellem de acatholicis qui vere christiani in actu et in fide sunt, quos ego cognosco, quos amicos meos vocare honori mihi duco, et praesertim de clero eorum sive anglicanorum, sive « Ecclesia-

rum liberarum » quod vocant: homines vere spiritu Dei imbuti sunt, homines orationi incumbentes, qui vere Dominum Nostrum Iesum Christum amant, qui sese devovent servitio populi sine discrimine coloris vel religionis et saepe in facie indifferentiae. Saepe cum eis conversatus sum, numquam ex eis abii sine vehementi desiderio ut omnes unum simus: exemplum enim saepe saepius nobis dant et clerus et laici eorum. Faxit Deus! Parvi re vera eos aestimare videremur si quasi mater ad filios prodigos loqueremur sine ullo vero tentamine explorandi et intelligendi mentem et fidem eorum.

Sed cum de bonis christianis seiunctis loquimur ne obliviscamur massae *illae* [16] baptizatorum pro quibus religio *non iam* [17] est nisi verbum. Ne putemus quod millia millium acatholicorum *adsunt* [18] in mundo, Deo devoti, lectioni Sacrarum Scripturarum incumbentes, psalmos canentes, spe gaudentes, etc. Res de facto omnino aliter se habent. Hodie in ovili saepe manet *nonnisi* [19] unus ovis, nonaginta novem in deserto sunt, ubi nos tamquam boni pastores debemus eos quaerere. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nonnisi septima in Anglia est. [2] quotannis, convertuntur. [3] christianorum qui talia. [4] De moribus: [5] actus in se bonus vel malus. [6] Society of Friends. [7] deest. [8] (*Towards a Quaker view of Sex,* published by Friends' House, Euston Road, London NW 1, 1963). [9] numerus vere. [10] (*Honest to God,* by John A. T. Robinson, Bishop of Woolrich, S. C. M. Press Ltd, London 1963). [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] Ita et ipsi, ne. [15] deest. [16] illius multo maioris. [17] amplius non. [18] exsistunt. [19] deest.

12

EXC.MUS P. D. HENRICUS JENNY

Episcopus tit. Lycaonensis, aux. Cameracensis

Venerabiles Patres, carissimi Fratres,

In hoc schemate *de Oecumenismo* iure meritoque peculiaris consideratio tribuitur « venerabilissimis sanctissimisque Ecclesiis orientalibus a nobis seiunctis ». Etenim, post lamentabilem separationem, servaverunt illae, et hodie post multa saecula possident, naturam Ecclesiae veram, licet imperfecte, quae fundamentum fuit et manet totius vitae christianae: *nempe* [1] traditionem propriam in rebus liturgicis, spiritualibus et disciplinaribus, necnon in divinis tractandis.

Omnia quae in priore parte huius cap. III affirmantur, recte dicun-

tur, valde placent, et a catholicis qui in laborem oecumenicum cum fratribus orientalibus incumbere volunt, dilucide animadvertenda.

Miramur tamen, aliquid deesse, aliquid summi momenti in descriptione de natura Ecclesiarum orientalium. In par. 12 ss., nullo pacto alluditur ad elementa essentialia in istis Ecclesiis servata ...[2]: validitatem sacramentorum, successionem apostolicam, necnon in primis, Eucharistiam rite celebratam.

Et si dicatur de his fusius tractandum in alio schemate scil. in schemate *de Ecclesiis orientalibus,* respondendum: pars altera huius schematis *de Ecclesiis orientalibus* hac vera atque recta consideratione naturae Ecclesiarum orientalium fere omnino caret; et si ...[3] solemniter asseveratur validitas sacerdotii atque exinde omnium sacramentorum, modus quo proponitur ista solemnis affirmatio minime placet quia sensum ecclesiologicum huius validitatis sacerdotii, et valorem oecumenicum hoc in loco et in toto schemate ipsos auctores omnino effugisse videtur.

Et ideo hic[4] in nostro cap. III *de Oecumenismo* de ...[5] natura *propria*[6] Ecclesiarum orientalium tractare *oportet,*[7] et *affirmandum*[8] quaenam sunt elementa essentialia quae per saeculorum decursum fidelissime tradita et servata fuerunt. Sed videamus, Patres: illa elementa quae apud Orientales nobiscum communia exstant, non consideranda sunt, modo, ut ita dicam, *quantitativo,* ita ut possint addi et numerari, nempe: septem sacramenta, septem oecumenica Concilia, cultum Beatae Virginis et ita porro.

Haec autem quantitativa consideratio nullatenus plenae veritati respondet. *Qualitativa* facienda est consideratio de elementis quae cum orientalibus seiunctis communia nobis sunt. Sicut optime in *schemate*[9] *de Ecclesia* ...[10]: « Episcopus est summus sacerdos et oeconomus gratiae supremi sacerdotii, praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerre facit, et qua continuo vivit et crescit Ecclesia ». Atqui, fratres orientales episcopos habent et quidem rite consecratos, Eucharistiam faciunt per episcopum, et quidem veram Eucharistiam.

Et ideo elementa servaverunt quae ad veram Ecclesiae naturam attinent; ita ut communitates eorum « Ecclesiae », vel *etiam*[11] « Ecclesia Dei » adhuc nuncupari possint, imperfecta sed reapse; *imperfecte*[12] quia integram communionem cum Sede romana non habent; re quidem vera, quia iuxta S. Augustini dictum: « Si sola Ecclesia facit Eucharistiam, verum est etiam quod Eucharistia facit Ecclesiam ».

Et ita de facto orientales Ecclesiae in traditione catholica manserunt.

Qui Eucharistiam facit, unitatem Ecclesiae intendit; de profundis

vitae ad corporis unitatem clamat; Ecclesiae particulares, una cum earum episcopis, singillatim et omnes simul, in unum corpus per Eucharistiam efficiuntur, et in intimum SS.mae Trinitatis sinum ingrediuntur. Hic adest fundamentum firmum unitatis Ecclesiae. Hic collegialitatis ratio firmissima. Sicut dicebat Cyprianus, Ecclesiam definiendo: « De unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata sacerdoti ».

Proinde describantur in textu nostro elementa communionis ab orientalibus servata, non quantitatis consideratione sed profundae et intimae qualitatis, ut clare appareat has Ecclesias *orientales,*[13] etsi seiunctas, revera Dei Ecclesiam mansisse quae hominem ad salutem per Eucharistiam ab episcopo rite celebratam ducere possit: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet ... et habet vitam aeternam » ...[14]

Ita duo additamenta induci debent in praesenti textu ...[15]

1. Sub fine art. 12, *addenda est haec emendatio*[16]: « Illae enim Ecclesiae nobiscum haec summi momenti vincula servaverunt quae sunt successio apostolica, ritus sacramentales, quae ad genuinam haereditatem catholicam pertinent et a traditione orientali indefectibiliter transmissa sunt; immo, in ipso vero mysterio sacramentali Ecclesiae, praeprimis quidem in Eucharistia divinisationem hominis revera profitentur et fundant ».

2. In art. 15 ...[17] addenda sunt verba: « In celebratione enim eucharistica pignus et fontem vitae Ecclesiae iure confitentur, qua fideles una cum episcopo litante, accessum quidem ad Patrem habentes per Filium Verbum incarnatum, passum et glorificatum in effusione divini Spiritus, veram communionem cum Sanctissima Trinitate consequuntur. Proinde in celebratione verae Eucharistiae Domini unaquaeque harum Ecclesiarum, Ecclesia Dei reapse constituitur, in communione omnium Ecclesiarum particularium ac in officio mutuae caritatis; in quibus enim Ecclesiis, imperfecte certo cum desit plena communio iuxta voluntatem Christi, vere tamen, cum illud adsit elementum essentiale, quod est Eucharistia, manifestatur Ecclesia quae per se una, sancta, catholica et apostolica est ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] nempe. [3] in art. 51. [4] Oportet ergo. [5] vera. [6] deest. [7] deest. [8] affirmare. [9] cap. II schematis. [10] (n. 20 et nota 57). [11] deest. [12] imperfecta. [13] orientis. [14] (*Io.* 6). [15] huius partis I cap. III, videlicet. [16] elementa communionis ecclesiasticae ab orientalibus servata per successionem apostolicam et Eucharistiam ex natura rei ad alium ordinem pertinent atque illa quae omnibus christianis communia sunt; sic sequens sententia in textu p. 20, lin. 14,

addenda est: [17] quando agit de liturgicis Sacris necnon de cultu erga tres Personas Ss.mae Trinitatis, p. 21, lin. 21.

[*Subscripserunt etiam*] W. M. Bekkers, év. de Bois-le-Duc, Hollande; Anastasius Granados, ep. aux. Toletanus; Bernardus Fey, ep. coad. Potosì, Bolivia; Eug. Maillat, év. N'Zérékoré; Clemente José Carlos Isnard, ep. Neo-Friburgensis; Vl. Malanczuk (Ukrain), exarch. in Gallia; Alb. Martin, ep. Nicoletanus; Ioannes M. Hoeck, praes. Congr. Bav. O.S.B.; Benedictus Reetz, praes. Congr. Beuronensis O.S.B.; Godefridus Dayez, abb. Maredsous; Martinus Michler, abb. null.; fr. Timothé Raymundos, ep. tit. Cariopolis; Iosephus Perniciaro, ep. tit. Arbanensis; Elias Zoghby, arch. tit. Nubia.

Benedictus Reetz addidit: Animadversio: pag. 2, lin. 8: non dicerem « imperfecta sed reapse » sed potius « non plena, sed vera ».

Pag. 3, lin. 5: « divinisatio » est barbarismus; dicatur potius « unionem hominis cum Deo ».

Pag. 3, lin. 16: « imperfecte » non placet; propono « non plene certo ».

Conclusio ex dictis: Communicatio in Sacris, praesertim in Eucharistia, esset permittenda.

13

EXC.MUS P. D. PAULUS GOUYON

Archiepiscopus tit. Pessinuntinus, coad. Rhedonensis

Venerabiles Fratres,

Cum cap. III nostri schematis deliberate et diffusius ea denotabat, quae nobis communia sunt cum venerabilibus Ecclesiis orientis orthodoxi, necessario loqui etiam debebat de communitatibus illis christianis, quae recentioribus saeculis exortae sunt. Etenim, eas silentio praeterire apparuisset tamquam inexplicabile oblivium, sed etiam forsan tamquam signum minoris affectus ...[1]

Valde laudandi ergo sunt auctores schematis huius sectionis II, in qua de illis communitatibus tractatur, quae, *dicit schema,*[2] « nobiscum tam caris et sacris vinculis devinciuntur, scil. ipso Iesu Christi nomine et Sacramento Baptismatis ». Gaudio afficimur quia fideles earum communitatum in schemate nostro ut *vere fratres nostri* nominantur, et quia ibidem declaratur, quod « cum caritate Christi vivere valent et supernaturalibus donis elevari possunt ». Haec quae dicturus sum tribuere vellem in testimonium reverentiae et amoris carissimis Observatoribus illis, qui disceptationibus nostris modo tam amico et tam discreto quotidie adsistunt.

Attamen, ut textus schematis omnem valorem oecumenicum habere possit, qui ab eo exspectatur, aliquas emendationes proponere intendo ...[3]

Quapropter rogo ut schema nostrum, in quantum possibile, nihil

oblivioni tradat; nihil in confusionem vertat; nihil ad excessivam simplicitatem reducat.

1. *Nihil eorum oblivioni tradatur, quorum memores esse debemus.* Ut patet, schema nostrum alludere voluit omnibus amplissimis communitatibus, in quibus hodie conveniunt homines, qui Christum prout Dominum et Salvatorem agnoscunt. Attamen frustra ibi quaeritur allusio clara ad magnam communionem anglicanam, quae certe in sua origine modo perspicuo distinguitur a communitatibus Reformationis. Exopto ut in schemate explicita mentio fiat huius communitatis.

Insuper, vocabulum « communitas » significationem praebet, quae quasi exclusive ad sociologiam, vel ad mundum profanum pertinet. Nonne possemus aliam denominationem invenire in Sacra Scriptura vel in traditione, quae characterem religiosum harum communitatum melius saperet? Ipse proponerem vocabulum « communionem » (Koinonía), quod aliunde plane conforme est traditioni Ecclesiae, *aut saltem « communitatem ecclesialem »*.[4]

2. *Nihil in confusionem vertatur, sed e contra, bene omnia distinguantur.* Sat mirum est, quod in eodem capitulo insimul tractetur de Ecclesiis orthodoxis, et de communitatibus quas supra nominavimus. Mihi melius placeret, si loco sectionum in eodem capitulo, capitula diversa et separata adhiberentur pro Ecclesiis orthodoxis, pro communione anglicana et pro communionibus ex Reformatione exortis. Breve prooemium ante hoc ultimum capitulum declararet, quod schema intendit rationem habere personalitatis propriae uniuscuiusque communitatis.

In ultimis quinque lineis par. 20 citatur textus ex declaratione quae recepta est a Consilio oecumenico Ecclesiarum in Nova Delhi. Hac opportunitate uti vellem ad nostram reverentiam exhibendam erga illum praeclarissimum coetum oecumenicum, et ad nostrum gaudium exprimendum propter insignum laborem qui ab eo perducitur, profecto non sine aliquo afflatu Spiritus Sancti. Attamen etiam notare vellem, quod talis textus non sicut professio fidei exhibendus esset (quod est titulus par. 20), quia in mente eius auctorum non aliud est quam « fundamentum unionis » (*gallice « La base d'accord »* [5]) ecclesiarum et communitatum, quae Consilio oecumenico adhaerent. Alia ex parte, non oblivisci debemus, quod Consilium oecumenicum Ecclesiarum etiam venerabiles Ecclesias orthodoxas complectitur, et proinde dolendum est, quod eius declarationes hic proferantur in unicum commodum Ecclesiarum Reformationis. Mihi placeret, si in conclusione schematis nunc disceptati, hic textus publicaretur, cum mentione explicita magni laboris ab hoc Consilio oecumenico Ecclesiarum usque nunc peracti.

3. *Nihil essentiale ad nimiam simplicitatem reducatur.* Etiam minutiosae veritatis causa constringimur, aliquas formulas schematis denuo considerare. Dicitur v. g. pag. 23 lin. 14, quod confessiones ex Reformatione exortae, dum transcendentiam Dei exaltare velint, ad id pervenerunt, quod mediationem essentialem Ecclesiae negaverunt. Eo autem ipsis tribuitur opinio, quam revera non profitentur. Etiam alia non agnoscunt quae in textu nostro inveniuntur. Etiam celeberrimum illud: « Sola fide, sola Scriptura, soli Deo gloria », non sufficit ad eorum mentem plane definiendam. Causae Reformationis non tantum terminis doctrinalibus excogitari possunt; adsunt et aliae causae, quae nihil commune habent cum theologia.

Cum schema exhibitum est, relator optime in mentes revocavit, quod ipse scopus a secretariatu pro unitate praefixus omnia excludebat, quae connotarent separationem profundissimam inter nos et alios christianos exsistentem. Si gaudendum est, quod spiritus caritatis substituatur conatibus apologeticis, qui non sine utilitate fuerunt, sed etiam steriles querelas provocaverunt, ipsa veritas exigit, ut saltem discrete exprimatur quid nobis non commune exsistat, et proinde nostrum dolorem producat, et etiam nostrum desiderium et nostrum conatum ad expletionem ultimae orationis Christi ...[6]: « Ut sint unum ». Hoc autem argumentum esse posset alicuius directorii practici pro Oecumenismo.

Quidquid sit, nunc certiores sumus quod dialogus inter nos possibilis effectus est, et etiam oratio in communi. Ex hac certitudine possibile etiam evadit studium commune et profundius nostrae fidei in Iesum Christum, et eius manifestationis coram universo mundo. Inaestimabile meritum erit huius Concilii Vaticani, quod nos hac in re tam fructuose adiuverit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quia verus amor id semper intendit, neminem qui rite amatur ex memoria deponere. [2] deest. [3] ut melius perpendantur varia elementa huius problematis sat intricati. [4] deest. [5] deest. [6] Domini.

14

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de « El Obeid »

Patres venerabiles,

1. Mihi videtur rem valde consentaneam veritati et caritati nos facturos esse, si in cap. III huius schematis ad n. 13, ubi sermo est « de historia orientalium propria », vel ad alium numerum addendum, men-

tionem fecerimus de orientalium *patientia* et *fortitudine* in fide christiana fortiter custodienda et ab insidiis defendenda.

Si animum nostrum ad eorum difficultates paululum convertamus, cito perspiciemus quam heroica fuerit sustinentia *fidei christianae* Coptorum necnon orthodoxorum sive in Medio Oriente quam in Europa Meridionali.

Decet nos eorum constantiam in fide laudare et imitationi proponere!

2. Iterum mihi videtur utile esse si, in hoc capite, monitum addatur, tum catholicis quam fratribus separatis, de omnimoda necessitate unionis, sive ex urgenti *praecepto* Domini Christi, qui votum eius nobis reliquit tanquam testamentum, sive ex magnis periculis huius temporis praesertim ex *atheismo internationali* communistarum.

Reminiscamur omnes: concordia res *crescunt,*[1] discordia *dilabuntur*[2]!

3. Vellem insuper ut Oecumenismus catholicus in hoc capite non tantum declaretur pulchris verbis sed ut *cito* transitus ad actionem fiat saltem aliquo passu.

Fere omnes nostis, Patres venerandi, quod christiani in regionibus islamicis saepe deridentur eo quod non conveniant inter se de Christi Nativitate et de eius Paschate celebrandis.

Plures amici mei copti et orthodoxi non semel me rogaverunt ut opem meam *conferrem*[3] ad hunc scandalum tollendum.

Ego itaque, vos omnes rogo, Patres venerandos, ut vestrum votum meo iungatis ad obtinendum ut *immediate* inchoentur conversationes cum fratribus orientalibus separatis, ut ipsi nobiscum Natalem Domini celebrent, nos vero, quibusdam differentiis et difficultatibus compositis, cum illis celebremus Resurrectionem Domini ...[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] crescere. [2] dilabi. [3] conferam. [4] Quae vero iam proposita sunt in capite de Anno Liturgico sinamus peritis omnibus definienda in posterum secundum principia iam statuta.

15

Exc.mus P. D. ANTONIUS BARANIAK

Archiepiscopus Posnaniensis

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres conciliares, illustrissimi Observatores,

Quoad schema decreti *de Oecumenismo,* nemo est qui non videat quod revera cap. III efficit partem primariam quaestionis « De Oecu-

menismo », in qua in specie indicantur ii ad quos dialogus noster dirigitur, nempe duo genera christianorum ab Ecclesia catholica seiunctorum.

Aliis praetermissis, animos Patrum convertere volo ad eas communitates a saec. XVI exortas, de quibus est sermo sub nn. 19 ss. usque ad n. 24 inclusive.

Profecto, agitur de magnis communitatibus christianis seiunctis, propriis nominibus appellatis, quibus nominibus palam uti illae non verentur, et in conventibus suis de Ecclesia catholica aperte loquuntur.

Cur in schemate res valde timide et vage describuntur? Cur quasi timemus eas communitates suo nomine appellare? Permultae enim sunt ecclesiae protestantes calvinistae, methodistae, valdenses, etc., quae omnes amplum apostolatum exercent aliosque ad se allicere conantur atque etiam missionibus operam dant ...

Cur non aperte edicimus ad quos dialogus noster dirigatur? Magno quidem gaudio perfundimur quotiescumque legimus vel nobis nuntiatur, quibusdam oblatis occasionibus variisque in regionibus, ecclesias fratrum seiunctorum edicere necessitatem et desiderium sese coniungendi cum ceteris, necessitatem dico Oecumenismi ...[1]

Quasi testes certissimos huius desiderii et huius animorum inclinationis in hac aula videmus praesentes dignissimos Observatores communitatum inde a saec. XVI exortarum in occidente. Quod hic praesentes adsunt, quamvis taceant, revera magnam significationem habet. Sed hi sunt pauci numero; quid sentiendum de multitudine fratrum seiunctorum qui ab hac aula absunt?

Quid nobis dicendum est et cogitandum cum quaedam « Consilia Nationalia Ecclesiarum », quae asserunt se partem efficere Consilii Mundialis Oecumenici, vehementius insurgunt in conventu hoc anno ineunte habito, cum enuntiant verum impedimentum, quod Oecumenismo obsistat, esse Ecclesiam catholicam romanam? Et hoc profitentur postquam tanta hac de re dicta sunt iam in Prima Sessione Concilii Oecumenici Vaticani II!

Et quomodo possumus instaurare dialogum cum ipsis, si animadversionum ipsorum et difficultatum nullam rationem habemus? *En*[2] quomodo describant nisum oecumenicum Ioannis Papae XXIII et quomodo asserunt hunc a Concilio Vaticano II ad effectum deduci: « In Primae Sessionis decursu, Hierarchia Romana in duas sententias abire visa est, quarum altera favet formae democraticae et renovationi Ecclesiae, altera tenaciter retinens vetera instituta, servare cupit statum dominii, communicatione cum ceteris posthabita, et omni immutationi ac progressui adversatur. *Nulla speranda est mutatio* quod attinet ad

arctiora vincula inter Ecclesiam catholicam romanam et ceteras ecclesias. Ex declarationibus gravium Auctoritatum Sedis Apostolicae aperte sequitur Concilium nullo modo sibi proponere, ut *doctrina* ab Ecclesia praedicata recognoscatur, quae revera primaria causa fuit divisionis Ecclesiae saeculo XI et XVI peractae. Concilium Vaticanum II tractat quidem de unitate inter christianos quasi agatur de simplici quodam reditu fratrum seiunctorum ad Ecclesiam Catholicam Romanam — quod accipi nequit ab ecclesiis unitis in Consilio Mundiali Ecclesiarum ».

Haec est autem conclusio istius documenti: « Persuasum habemus viam, quae ducit ad unitatem, non attingere, ut fratres romani catholici arbitrantur, Romam, neque sterni acceptatione doctrinae Ecclesiae romanae vel agnitione Romani Pontificis, ut Summi Moderatoris Ecclesiae, licet sit nobilissimus et praeclaro animo praeditus ».

Proinde ut videmus — non agitur de *antiquis* altercationibus et disputationibus elapsorum saeculorum, quas aliqui oratores in hac aula, nobis obliviscendas esse tam ardenter inculcant. Afferuntur enim *nova* argumenta contra modum credendi et agendi Ecclesiae romanae, maxime autem quod cum progressu moderno ipsa non evolvitur et doctrinis vigentibus et ubique triumphantibus obnititur, dum e contra communitates in Consilio Nationali Ecclesiarum unitae paratas se declarant « novo ordini » sine haesitatione locum dare et ad construendum systema materialisticum cooperaturas esse.

Insistere volo, quod auctores talium declarationum aperte asserunt se ad Consilium Oecumenicum Mundiale pertinere. Notum est praeterea quosdam saltem ex ipsis ab Ecclesia separatis, in occidente centrales sedes habentibus, etiam dignitatem hierarchicam accepisse.

Ut videtis, venerabiles Patres, quaestio est gravissima; tamen favere debemus unioni etiam ab ipsis exoptatae; studere debemus eorum difficultatibus et solutiones, quantum fieri potest, proponere.

Scopuli acerrimi ad unitatem instaurandam — ut patet ex innumeris litteris et ex articulis in ephemeridibus editis — sunt maxime: 1. conceptus dogmaticus de Primatu Romani Pontificis; 2. ex legibus moralibus: indissolubilitas matrimonii et lex caelibatus ministrorum Ecclesiae.

Conclusio. Intentum nostrum ad unitatem assequendam utique est optimum, sed nisi prius ad eorum quaestiones et difficultates responderimus, et si animadversionum ipsorum et difficultatum nullam rationem habuerimus, Oecumenismus noster catholicus solum quoddam desiderium manebit! Piis tantum verbis usi, aerem verberabimus.

Ante omnia in conficiendo schemate definitivo non est exaggeran-

dum in attribuendis laudibus indiscriminatim omnibus separatis, cum aperte pateat non omnes has laudes mereri.

Altera ex parte ne falsa humilitas et immoderatus amor assequendae unionis nos inducant ad confessiones culparum historicarum tam gravium faciendas, ut Ecclesia catholica fere indigna evadat, cui communitates separatae denuo fraterne uniantur.

Dum e contra, Ecclesia catholica, et haec romana, est signum elevatum in nationes et portus salutis, ad quem omnes tendere possunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] et veri catholicismi, quae utraque vox a sermone graeco non latino deducitur, ac proinde pariter in dialogo oecumenico usurpanda est. [2] Sed, proh dolor!, audite, Patres.

16

EXC.MUS P. D. ISAAC GHATTAS
Episcopus Thebanus

Venerabiles Patres, dilecti Observatores,

Cap. III schematis *de Oecumenismo* gaudio me afficit magno, praesertim propter ea quae de Ecclesiis orientalibus optime exponuntur. Dum nempe conceptus Oecumenismi tanquam motus unionem inter christianos intendentis repugnare videtur ut in hoc schemate de habitudine Ecclesiae ad Iudaeos agatur, particularis expositio de Ecclesiis orientalibus a vero Oecumenismo catholico sine dubio postulatur; qua via sternitur ut omnes harum Ecclesiarum divitias tum doctrinales tum spirituales et liturgicas magni faciant.

Interventus meus hodiernus, ea respicit quae in hoc cap. III, pag. 21 s., linn. 37 ss., asseruntur. Ibi nempe dicitur: « ... ad reconciliationem orientalium et occidentalium christianorum perficiendam maxime interest, eximium hoc patrimonium spirituale et liturgicum cognoscere, venerari, conservare, fovere ».

Haec affirmatio in se verissima, cui libenter adhaereo, a christifidelibus orientalibus, tam catholicis quam orthodoxis, tunc tantum ut vera et sincera accipietur, si praxis Ecclesiae catholicae ei perfecte respondet. Pro mea parte nescio quomodo tali assertioni cap. III, assensum meum praestare possem, nisi simul cum decreto *de Oecumenismo* edendo praxis sacramentalis Ecclesiae catholicae in oriente in quibusdam punctis emendaretur.

Ob hanc rationem, venerabiles Patres, mihi liceat breviter quaedam de praxi sacramenti Matrimonii in oriente vigente exponere, ut eluceat patrimonium spirituale orientalium tunc tantum in hoc capite ab Ecclesia catholica magni aestimatum dici posse, si mutatio quaedam disciplinae decernatur.

Omnibus notum est *sacramentalitatem* matrimonii non solum a catholicis, sed etiam ab orthodoxis maxime aestimari. Per innumeras generationes Ecclesia catholica hanc fidem orthodoxorum in Matrimonii sacramentalitatem eo agnovit et honoravit, quod matrimonia *mixta* inter catholicos et orthodoxos coram sacerdote orthodoxo celebrata tanquam valida agnovit. Qua praxi traditionali Ecclesia *uniones* [1] inter catholicos et orthodoxos procul dubio efficaciter fovit. Iamvero per decretum *Crebrae allatae,* die 2 maii a. 1949 promulgatum, utique, a. 1949, ergo recentissime, proh dolor, haec praxis mutata est, cum decretum invalida declaret matrimonia mixta, coram sacerdote orthodoxo inita. Finem intentum, cohibendi scil. matrimonia mixta, decretum nullatenus attigit, nam numerus matrimoniorum mixtorum, vix aut ne vix quidem, diminutus est. Immo, hoc decretum non parum damnum religioni intulit, cum numerus matrimoniorum *nullitate* laborantium, inde a promulgatione decreti, auctus sit. In regionibus nempe nostris, saepe difficile vel impossibile est, sponsos mixti matrimonii ad celebrationem sacramenti coram sacerdote catholico commovere, cum intelligere nequeant, ea matrimonia quae usque ad a. 1949 valida et sacramentalia erant, nunc decreto Ecclesiae invalida et nulla esse. Reapse nova legislatione non tantum obstacula unionis aucta sunt, et hiatus separationis dilatatus est, sed etiam non pauci catholici ab Ecclesia abalienati sunt.

Enixe propterea rogo, ut Concilium spiritu pastorali animatum et menti huius correspondens disciplinam matrimonialem catholicorum orientalium ita instauret, uti erat abhinc quindecim annis, ut facilior reddatur fidelitas eorum erga Ecclesiam catholicam; ut revera agnoscatur et honoretur doctrina et praxis sacramentalis fratrum orthodoxorum et ita unio inter catholicos et orthodoxos foveatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] unionem.

17

EXC.MUS P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU

Episcopus tit. Orthosiensis in Phoenicia, aux. Barcinonensis

Venerabiles Patres,

In n. 12 *cap. III*[1] recte asseritur in Ecclesiis orientalibus separatis inveniri *aliqua elementa communionis ecclesiasticae*; quae quidem verba plene concordant cum iis quae in n. 2 habentur de *imperfecta communione,* qua fratres separati cum Ecclesia coniunguntur. Attamen in nostro cap. III *rationes et causae* talis imperfectae communionis non exponuntur sufficienti claritate et profunditate theologica.

Quapropter, pro definitiva redactione cap. III, en aliquae observationes.

1. Suppositis hodiernis investigationibus circa relationes inter ecclesiologiam et theologiam sacramentariam, certum est *communionem seu koinoniam* et *pacem* cum Ecclesia non tantum haberi in sensu *horizontali* — scil. per fraternas relationes inter credentes in Christum — sed etiam in sensu *verticali,* ita ut fideles, sub auctoritate episcoporum et Romani Pontificis, ad *unam* Ecclesiam pertineant.

Hic conceptus *communionis* plene aequivalet ideae *perfectae unitatis Christi,* de qua loquutus est Romanus Pontifex Paulus VI in oratione inaugurali nostrae sessionis conciliaris. En ipsius verba: « ... quamvis in Christo credant, nequimus... (christianos separatos) inter eos numerare qui sunt nobiscum vinculo *perfectae unitatis Christi* coniuncti ».

2. *Igitur*[2] praeter hanc communionem perfectam, altera *imperfecta* exsistere potest, et de facto exsistit. Problema igitur consistit in hoc: *sedulo investigare quid positivum revera contineat huiusmodi communio seu unitas imperfecta.*

De se communio involvit conceptum relativum: revera ille qui communicat, cum aliquo communicat. Iamvero, Ecclesia, utpote *terminus* talis communionis, est societas visibilis et supernaturalis, quae *visibiliter* sanctificat per sacramenta. En tota ratio, propter quam Christus suam Ecclesiam fundavit.

Ergo communio *perfecta* duplex elementum supponit: primo — eo quod agitur de *societate* —, exigitur ut ille qui communicat auctoritati in societate constitutae adhaereat; secundo — eo quod de *tali* agitur *societate supernaturali* —, requiritur ut ille qui communicat instrumenta *visibilia* sanctificationis, a Christo condita, possideat. Uti planum est, *semper praesupposita fide!*

3. Iamvero, si sermo fit de Ecclesiis orientalibus separatis, *ratio* eorum communionis imperfectae cum Ecclesia, *nonnisi valde accidentaliter* continetur in ritibus liturgicis, in disciplina, in traditionibus, de quibus fere unice loquitur schema. E contra, *ratio profunda et theologica unitatis imperfectae, quam Ecclesiae orientales separatae cum vera Ecclesia Christi habent, invenitur in sacramentis.*

Revera, negari non potest Christum, ad homines in terra sanctificandos, *tantum* uti signis *visibilibus,* scil. sacramentis, *verae et unicae* Ecclesiae. Iam, sacramenta *valide* administrantur in Ecclesiis orientalibus separatis: scil. Christus per illa sanctificat, Christus illis signis utitur. Ergo, sacramenta in illis Ecclesiis confecta, eo quod sunt signa *visibilia verae et unicae* Ecclesiae Christi, *verum* elementum *visibile* constituunt huius Ecclesiae. Inde clare deducitur quod ille, qui talia signa visibilia possideat ad veram Ecclesiam pertinentia, *cum ea,* etsi *imperfecte,* veram communionem habet. Ergo sacramenta, valide ab Ecclesiis orientalibus separatis administrata, praecipuum elementum constituunt, vi cuius, *etsi imperfecte, vere* cum Ecclesia catholica uniuntur. Quare, iuxta verba Leonis XIII, christiani orientales separati « non ingenti discrimine seiunguntur » a catholicis ...[3]

4. His omnibus praesuppositis, profundiori modo intelleguntur ea quae sive traditio ecclesiastica sive theologia docent *circa relationem inter sacramenta et unitatem Ecclesiae.*

E. g.: *circa Eucharistiam.* Ecclesia primaeva, ita in liturgia eucharistica celebrabat mysterium unitatis Ecclesiae in Christo, ut per eam publice ostenderet, modo quidem sensibili, realitatem communionis ecclesiasticae. Hac de causa, aiebat S. Augustinus: « Accipite et edite corpus Christi... Ne dissolvamini, manducate vinculum vestrum » ...[4]

Circa Poenitentiam. Iam ab antiquissimis temporibus effectus Sacramenti Poenitentiae censebatur consistere in *pace cum Ecclesia.* Iamvero pax et communio nunquam fuerunt duae res distinctae, sed una eademque realitas, etsi duobus distinctis verbis expressa. Quare S. Augustinus scribebat saec. V: « Pax Ecclesiae dimittit peccata » ...[5]

5. Ergo clarissime constat Ecclesias orientales separatas, praecise quia sacramenta valida conferunt, *vera, etsi imperfecta* communione cum Ecclesia uniri. *Et* [6] ex hoc autem praecipue explicatur *ecclesiologia,* quam orientales separati docent, certe cum propriis delineamentis et peculiaritatibus: illi revera concipiunt Ecclesiam, tamquam expressionem visibilem gratiae invisibilis. Ultimatim, haec conceptio Ecclesiae magis est *ontologica,* quam *iuridica.*

Attamen, ad *perfectam* communionem cum Ecclesia, orientales separati indigent debita subiectione erga Primatum Romanum, scil. erga

Ecclesiam quae praesidet in regione Romanorum, ad quam « propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam », iuxta notissima verba S. Irenaei.

6. *Concludendo.* Communio seu unitas *perfecta* cum *vera* Ecclesia Christi *duplici* elemento constat: alio *ontologico,* scil. sacramentis, tamquam instrumentis seu actionibus Christi ad vitam divinam hominibus conferendam, et altero *iuridico,* scil. adhaesione ad Romanum Pontificem. Pro Ecclesiis orientalibus separatis, primum adest; secundum deest. Unitas ergo datur, *non perfecta,* sed *imperfecta.*

Quare postulatur ut haec omnia clare et perspicue constent in cap. III nostri schematis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Iamvero. [3] (Litt. enc. *Praeclara gratulationis,* 20-6-1894). [4] (*Sermo V de Paschate*: *ML* 46, 827). [5] (*De Bapt.* l. III, c. 18: *ML* 43, 150). [6] deest.

Moderator: Congregatio proxima erit feria quinta, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXVII

28 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXXVII
28 novembris 1963

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem circa cap. III *de Oecumenismo*, in hac 77 congregatione generali, em.mus ac rev.mus D. card. Leo-Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Sed ante cap. III, audiendi adhuc sunt Patres, qui ad normam art. 57 § 6, loqui petierunt circa cap. II eiusdem schematis. Hi sunt: em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; exc.mi DD. Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Hyacinthus Thiandoum, arch. Dakarensis in Sénégal; Vincentius Reyes, ep. Boronganensis in Philippinis; Aemilius Blanchet, arch. Rector Instituti Catholici Parisiensis in Gallia; rev.mus P. Benedictus Reetz, sup. gen. Congr. Beuronensis O.S.B.; rev.mus P. Hilarion Capucci, sup. gen. Ord. Basiliani Aleppensis Melchitarum; exc.mi DD. Antonius Pildáin, ep. Canariensis in Hispania; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Villelmus Schoemaker, ep. Purvokertensis in Indonesia; Garabed Amadouni, exarcha Armenorum in Gallia; Annibal Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis in Columbia; Bernardinus Piñera Carvallo, ep. Temucensis in Chilia; Lucianus Lebrun, ep. Augustodunensis in Gallia.

Postea fit transitus ad cap. III, de quo loqui postulaverunt: beat.mus Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochiae Maronitarum; exc.mi DD. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia; Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania; Vladimirus Malanczuk, exarcha Ucrainorum in Gallia; Lancillottus Goody, ep. Bumburiensis in Australia; Carolus Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Ioseph in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioseph Souto, ep. Palentinus in Hispania; Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco; Petrus Dib, ep. Cahirensis in Aegypto; Elias Zoghby, arch. vicarius patriarchalis Melchitarum pro Aegypto.

Hodie, ut heri nuntiatum est, fit electio novorum sodalium. Versus horam 10,30 schedae electionis una cum scheda praesentiae auferentur ab assignatoribus locorum.

Si quis Pater heri non habuit schedas electionis, petat a nostra secretaria, et illico dabitur, ita ut possit statim scribere nomina. Gratias.

Moderator: Incipiatur discussio quoad cap. II, et loquatur...

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

In Concilio sumus quasi in schola Sancti Spiritus, et discere parati esse debemus. Ego quidem confiteor, ex omnibus quae vidi et audivi ex ore Patrum et ex ore Summorum Pontificum, mihi persuasum esse motionem oecumenicam, quae totam pervadit christianitatem, esse opus Spiritus Sancti omnimode fovendum. Adsunt quidem pericula, sed quid magnum factum est ab hominibus etiam pro regno caelorum quod non fuerit circumdatum multis et magnis periculis. Attamen, ut minuantur ista pericula, liceat mihi tria puncta forsan neuralgica tangere.

1. Clarius adhuc dicatur « unam, sanctam » catholicam Ecclesiam non esse expectandam ut quamdam supereminentem Ecclesiam quae omnes ecclesias coordinet, sed eam esse conditam ab ipso Christo Domino Nostro, fundatam super Petrum, peregrinantem in terris, semper reformandam, et in fine saeculorum cum sponso suo Christo glorificandam.

2. De scholis catholicis. Maneant ea quae dixit Ecclesia, praesertim per os Summorum Pontificum Pii XI et Pii XII, felicis recordationis, de scholis catholicis sustentandis, quibus parentes catholici liberos suos concredant, et de condendis novis scholis catholicis varii generis ubicumque vere possibile est. Ratio non est aliqua cupiditas dominandi parvulis vel adolescentibus, sed bona intentio, ut detur scholae et toti educationi centrum spirituale, ex quo omnia docenda vel exercenda dirigantur et foveantur. Libenter videmus alias Ecclesias idem facientes, et scholas erigentes pro liberis suae confessionis. Credimus hac via non intolerantiam, sed veram ex amore Christi provenientem tolerantiam auctum iri.

3. De matrimoniis mixtis. Matrimonia mixtae religionis sunt vitanda. In omni autem matrimonio mixto manet gravissima obligatio partis catholicae curandi ut omnes liberi educentur in fide catholica. Si altera pars hoc sine laesione suae conscientiae praestare non potest, ne cogatur, sed ne ineatur tale matrimonium. Ecclesia vero — ne multi

fideles absterreantur a religiosa vita qua tantopere indigent, et ut facilius solvere possint difficultates suas in foro tantum interno et sacramentali — Ecclesia declaret valida matrimonia mixtae religionis non in forma canonica contracta, sicut fuit saltem in Germania et Hungaria tempore quo vigebat Constitutio *Provida* Pii Papae X, sanctae memoriae. Et tollantur in revisione Codicis poenae ecclesiasticae ex hoc capite profluentes.

Venerandi Patres, sic in motu oecumenico limitentur errores, minuantur pericula, multiplicentur, Deo favente et intercedente B. Virgine, boni fructus sexagies vel centies. Dixi.

Textus scripto traditus:

Ad cap. II schematis *de Oecumenismo* haec adnotare velim:

1. Dicatur clare « unam sanctam » Ecclesiam non esse exspectandam in futuro, sed ab ipso Domino Iesu Christo fundatam esse super Petrum.

2. Maneant quae Ecclesia, et praesertim Summi Pontifices Pius XI et XII dixerunt de scholis catholicis sustentandis, quibus pueri et puellae catholicae fidei concredendi sunt, et de novis scholis catholicis varii generis condendis ubicumque vere possibile est. Ratio non est cupiditas dominandi parvulis et adolescentibus sed intentio, ut scholae detur centrum spirituale, ex quo omnia docenda et exercenda dirigantur et foveantur. Quod centrum debet esse ipse Christus et Ecclesia. Ceteris Ecclesiis vel communitatibus ecclesialibus idem concedendum erit. Sperandum hac via veram tolerantiam fautum iri.

3. Matrimonia mixta vitanda sunt. In omni matrimonio mixto manet gravissima obligatio partis catholicae curandi educationem catholicam omnium liberorum. Si altera pars sine laesione suae conscientiae hoc praestare non potest, ne cogatur, sed tale matrimonium ne ineatur. Ecclesia vero declaret valida matrimonia mixtae religionis non in forma canonica contracta, et tollantur poenae ecclesiasticae ex hoc capite profluentes.

2

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Bhopalensis

Cum multi sunt oratores, locum meum cedere velim. Postulationem meam scriptam tradam secretario generali. Gratias. [*Plausus*].

Textus scripto traditus:

Quae dicturus sum, nonnulli alii episcopi missionarii subscripserunt.

Quod maxime in missionibus, nociva est divisio et rivalitas christianorum, alii apte exposuerunt. Quae fratrum separatorum culpae fuerint, ipsorum conscientia diiudicet. Sed nostrum est nostras culpas clare perspicere, antiquas et praesertim hodiernas.

Anecdotam narrare liceat. Post mortem Ioannis XXIII interfui caeremoniae a protestantibus in memoriam eius habitae. Minister quidam, natu Indianus, pulcherrimam contionem habuit, quam tamen his fere verbis incepit: « Sanctissimus ille vir Ioannes, in relationibus inter Ecclesias prorsus novum clima induxit. Non possum oblivisci quod saepe audivi, cum puer essem, alumnos illustris scholae catholicae cantantes: " Catholics, catholics, ring the bell; protestants, protestants, go to hell! ". Parvum videri potest, sed proh dolor, erat typicum ».

Non audeo dicere, venerabiles Fratres, hanc superbiam, hunc sensum superioritatis esse triste monopolium terrae missionum. Alibi etiam hoc sparsum fuit. Ideoque bene nos admonet schema ad conversionem cordis, nempe ad abnegationem et humilitatem.

Et hic insistere velim. Sicut caritas non perfecta est, nisi sit universalis et omnimoda, sic et humilitas omnimoda esse debet, et includere quod vocabo humilitatem intellectualem, doctrinalem.

His diebus pluries audivimus: « Debemus veritatem catholicam integram fratribus separatis proponere ». Habeatis me excusatum si fateor: quandoque mihi visus sum subaudire: « Licet simus peccatores, nos tamen catholici possidemus totam veritatem, et haec est nostra magna superioritas! ».

Certo certius, et hoc coram fratribus separatis humiliter in Domino testamur, sola Ecclesia catholica depositum fidei integre custodivit. In nullo documento officiali, immo nec in magisterio ordinario, veritatem revelatam negavit, aut errorem docuit. Sed num semper aequam proportionem servaverit, num omnia apte illustraverit, num theologia catholica aut doctrina spiritualis accentum semper debite posuerit, obiectivus observator negative respondere debebit.

Varias ob causas hoc accidit. V. g., affectus immoderati vel subiectivitas offuscare potest. Tam complexum est depositum fidei, ut quilibet ibi quoddam invenire possit quod magis placet, quo usus, potest, ut dicunt psychologi, « rationalisare » suum caracterem, suas inclinationes, immo voluntatem potestatis. Libenter hoc punctum exponet, etiam si, ut hierarchus aut theologus, auctoritatem habet, et ideo doctrinam saltem unilateralem proferret.

Ideo utilissime, etiam sub hoc aspectu, admonet schema ad abnegationem et humilitatem, et consequenter ad conversionem mentis, nam mens a corde non seiungitur.

Alius fons deviationis est polemica. In controversia, cum quis thesim ponit, antithesim solet adversarius ponere, etsi fere semper synthesis erat ponenda. Cum veritas quaedam negabatur, theologia catholica, plerumque a definitione dogmatica exordium sumens, eam saepe sic evolvit, ut quandam hypertrophiam induxerit, et imaginem totalem inadaequatam praesentaverit. Et quis asserere audebit theologiam catholicam classicam, de ecclesiologia, de mariologia, de gratia, de revelatione, hoc atavismo polemico iam plene liberatam esse?

Hic etiam, Fratres, humilitas commendanda est. In sinceritate cordis et veritate attenti simus ad veritates complementariis, quas ut quidam nostrum bene dixit, fratres separati melius quandoque quam nos, in luce ponunt.

Sane, non est cur nos, catholici, complexum inferioritatis nutriamus. Sed iam dudum tempus est ut omnem complexum superioritatis evacuemus.

Horatius dicebat: « Fas est ab hoste doceri » — a fortiori a fratribus in Christo. Etenim « catholicum » significat « universale ». Sicut Christus omne humanum assumpserat, excepto peccato, sic veri nominis catholicismus omne

quod christianum est assumere debet, exceptis negationibus. De facto praecipua pignora renovationis quae pagina decima quinta citantur, multum debent, motus biblicus protestantismo, et liturgicus orthodoxis. Eorum ope suffulti, relinquemus traditiones, quae nonnisi cuidam scholae theologicae, aut characteri nationali, aut cuidam ordini religioso sunt propriae, et quas passim cum Traditione, littera maiuscula scripta, confundebamus. Aut quasdam devotiunculas periphericas et sentimentales, quae adhuc in Ecclesia florent, rebus magis substantialibus cedere cogemus.

Et ita Oecumenismus partes habebit in « aggiornamento » doctrinali Ecclesiae. Ut patet, non agetur de quibusdam dogmatibus omittendis vel edulcorandis, opportunismi vel pseudo-irenismi causa. Sed attentius implicationes doctrinae, etiam iam dudum definitae, explicitare conabimur, et ad altiorem synthesim quaerendam adducent nos quaestiones pertinentes quae nobis ponuntur, dummodo corde sincero sciamus audire.

Venerabiles Fratres, successores apostolorum, apostolicum hoc verbum saepe meditemur: « Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi », aut illud: « Si gloriari oportet, in infirmitatibus gloriabor, ut inhabitet in me *virtus Christi* ».

3

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS THIANDOUM
Archiepiscopus Dakarensis

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Loquor nomine plurimorum episcoporum ex variis nationibus continentis Africae et Madagascar, quorum nomina subscribuntur.

Loqui velim de cap. II, par. XI: De *cooperatione* cum fratribus separatis, 1. ut extendatur cooperatio haec ad novum campum, culturalem scil., 2. ut extendatur ad alias familias religiosas non christianas.

1. *Cooperatio extendatur ad campum culturalem.* Prima enim in historia Ecclesiae apparet nostra declaratio in Concilio Oecumenico facta circa necessitatem cooperationis inter fratres separatos. Deo gratias agimus!

In par. 11, optatur maior cooperatio in campo praesertim sociali. Hoc commune opus, cum iam urget, religiosarum humanarumque valorum causa, in nationibus antiqui christianismi ubi etiam technica evolutio est maxima, quanto magis urget in novellis Ecclesiis harum nationum quarum evolutio technica est in cursu, quaeque gaudentes accipiunt hanc Ecclesiae declarationem.

Ut melior appareat, par. 11, ut opinor, optime complebitur emendatione 123 ab em.mo card. Tatsuo Doi scriptis exhibita, ubi em.mus proponit: addatur: « sive in scientiis et bonis artibus in spiritu christiano provehendis », post verba: « consortii fundamentis », pag. 18, lin. 6.

Libentissime etiam assentio verbis ab eodem em.mo prolatis in eius interventione circa schema *de Oecumenismo* in genere, quando cooperationem cum fratribus seiunctis extendit non solum ad campum socialem, sed etiam ad campum culturalem, sive scientiarum, sive artium in spiritu christiano promovendarum.

2. *Cooperationis mentio fiat cum familiis religiosis non christianis.* Etenim, etsi oecumenismus praesertim ac proprie motus est ad homines qui eamdem fidem in Christum profitentur, et quibusdam sacramentis vivunt, sicut optime dixerunt in hac aula multi oratores, attamen, hoc Concilium, venerabiles Patres, respondere debet spei quam suscitavit et crescere fecit in aliis familiis religiosis. Hoc brevissime explicare mihi liceat.

In recentioribus disceptationibus, quando mentio facta est de non christianis, et praesertim de Iudaeis, duae solutiones tantum propositae sunt quarum prima, « locutio fiat simul et Iudaeorum et omnium magnarum familiarum religiosarum», e contra, secunda: « Nulla locutio fiat sive Iudaeorum, sive aliorum ». Nostri autem Concilii mos est in difficilioribus eligendi viam mediam. Itaque propono ut hac via media utamur, in finem pastoralem, aperte proclamantes rationes profundiores quibus aliquae magnae familiae religiosae cum Ecclesia catholica coniunguntur. Inter quas, nobis liceat retinere, praeter Iudaismum, *Mahometismum*. Rationes sequuntur: *a*) numeri causa: Mahometani enim multi sunt in Africa (plus quam 40 milliones); etiam in Asia et in America; *b*) ratione quarundam traditionum communium, cum Mahometani agnoscunt Patrem fidei Abraham simul ac custodiunt multas traditiones ex duobus Testamentis exortas; *c*) ratione experientiae collaborationis quae constat hanc collaborationem in campo sociali et culturali fructus iam dedisse, e. g., Africana Confoederatio generalis Operariorum Credentium.

Cooperatio sic intellecta nobis videtur ad mentem esse Summi Pontificis Pauli VI in oratione facta occasione initii huius sessionis.

Conclusio. Propono ut in hoc schemate sermo fiat tantummodo de christianis, baptismate renatis, ut iam dictum est; labor profundius factus fuerit cum his Iesum Christum credentibus, servata *tamen* [1] libertate eorum qui Salvatorem nondum agnoscunt.

Solemnis declaratio fiat in aliquo documento de habitudine Ecclesiae catholicae quoad Iudaeos et Mahometanos ut expectatio eorum qui in Concilium mentem aperiunt, plena sit. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest.

[*Consenserunt*] B. Gantin, arch. Cotonou; L. Sangharé, arch. Mali; R. Tchi-

dimbo, arch. Conacry; P. Zoungrana, arch. Ougadougou; Bernard, arch. Brazzaville; Strebler, arch. tit. Nicopoli di Epiro; P. Dalmais, arch. Fort Lamy; J. Wolff, arch. Diego-Suarez; J. B. Zoa, arch. Yaoundé; J. Cucherousset, arch. Bangui; J. Lingenheim, ep. Sokodé; P. Rouanet, ep. Daloa; E. Courtois, ep. Kayes; J. Lesourd, ep. Nouna; J. Etriard, ep. Gagnoa; J. Gahamany, ep. Astrida; A. Makarakiza, ep. Ngozi; P. Martin, ep. Burui; M. Ntuyahaga, ep. Usumbura; J. Sibomana, ep. Ruhengeri; R. Chopard-Lallier, praef. ap. Parakou; R. Landru, praef. ap. Gao; Duirat, ep. Bouaké; Coudray, praef. ap. Kankan.

4

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS REYES
Episcopus Boronganensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi, *cum venia vestra,*[1] paucas observationes vel emendationes proponere circa aliquos articulos cap. II.

1. Ad art. 4. Ecclesia catholica ut talis est semper sancta et indefectibilis, ideoque renovatione interiore non indiget. Macula et defectibilitas dici possunt tantummodo de eius membris. Ut autem ambiguitas vel mala interpretatio vitari possit, propono additionem verbi « membrorum » immediate post verbum « Ecclesiae ». Hanc enim videtur esse mentem Summi Pontificis Ioannis XXIII, felicis recordationis, cum in *Litteris Encyclicis*[2] *Ad Petri Cathedram* dixerit inter fines Oecumenici Concilii Vaticani II esse « rectam populi christiani morum renovationem », etc.

2. Ad art. 7. Exhortatio ad orationem in hoc articulo ad viros solummodo dirigitur. Videlicet « Sollemne est *viris catholicis* frequenter ad precationem convenire pro Ecclesiae unitate », etc. Et iterum in secunda paragrapho, scil. « in oecumenicis conventibus, licitum immo et opportunum *catholicos viros* cum fratribus separatis in oratione consociari ». Non video rationem cur excluduntur in hac sollemni invitatione mulieres, pueri et puellae. Nonne dicimus de mulieribus « devotum femineum sexum »? Nonne verum est cum agitur de actibus religiosis mulierum numerum fere semper maiorem esse quam viris? Testis est earum praesentia in omnibus ecclesiis. Et de pueris et puellis quid dicam? Repetam quod Dominus Noster dixit de eis: « Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum caelorum ». Propterea propono ut in prima sententia art. 7 verbum « viris » tollatur ut includantur omnes fideles sine exceptione.

3. Optandum est ut oratio officialis « Pro Unitate » recitetur in diebus dominicis et festis post Missam. Sanctissimus Dominus Leo

Papa XIII, felicis recordationis, in Litteris Encyclicis *Divinum illud munus* ...[3] decrevit et mandavit « ut per orbem catholicum universum ... supplicatio novendialis ante Pentecostem in omnibus curialibus templis, et, si Ordinarii locorum utile iudicaverint, in aliis etiam templis sacrariisve fiat ».

Hac ratione, proponere audeo ut art. 7 alia paragraphus addatur, quae sic se habeat: « Singulis igitur annis curandum est ut, in ecclesiis saltem cathedralibus et paroecialibus, preces praescriptae effundantur in honorem Spiritus Sancti ad impetrandam pro omnibus christianis et infidelibus fidei unitatem et cordium caritatem ».

4. In consociatione catholicorum cum fratribus separatis in oratione « pro unitate » cavendum est de loco quia oratio fieri non debet in cappella fratrum separatorum. Idem dicendum est de textu orationis quae debet esse ab auctoritate ecclesiastica approbata. Hoc modo removetur periculum communicationis in culto.

5. Ad art. 8. Valde laudabilis et opportuna immo et necessaria est mutua cognitio ad unitatis exitum inter christianos consequendum. Attamen in textu nostro nulla est reciprocitas quia dicit tantummodo de modo agendi catholicorum et omnino tacet de separatorum cooperatione seu reciprocitate.

Si autem aliquem profectum mutua cognitio induceret, mihi videtur, talis profectus seu bonum spirituale magis erit fratribus separatis quam nobis catholicis. Experientia constat quod multi dissidentes, qui vere et sincere conati fuerunt maiorem doctrinae catholicae cognitionem habere, Spiritus Sancti ductu fidem tandem catholicam amplexi sunt.

Peroptandum ergo ut hoc Concilium Vaticanum II fratres separatos enixe exhortet et invitet ut Ecclesiae catholicae pleniori studio sese etiam applicent.

6 *et ultimo*. Ad fratrum mutuam cognitionem assequendam, ut dicit textus nostri schematis, « multum adiuvant de theologicis quaestionibus ex utraque parte conventus ». Sed cavendum est ne huiusmodi conventus fiant cum strepitu seu clamoroso modo neque cum magna repraesentatione ex utraque parte, sed modo familiari ad vitandum amorem proprium. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] sua littera encyclica. [3] diei 9 maii 1897. [4] deest.

5

EXC.MUS P. D. AEMILIUS ARSENIUS BLANCHET
Archiepiscopus tit. Philippopolitanus in Thracia

Venerabiles Patres et Fratres,

Duo videntur animadvertenda de illo labore intellectuali qui debet effici ut plene praeparetur haec unio christianorum, quam omnes habent in votis, sed quae non potest ad rem venire, si tantum affertur ex utraque parte benignus cordis motus: qui vere necessarius est; sed hic agitur, non solum de benevolentia inter personas, sed de veritate et conscientia quae suas leges habent; de quo aliquid dicitur in par. 8 cap. II, sed aliquid tantum. Liceat pauca addere: 1. de momento illius laboris; 2. de modo exponendi.

1. *De momento illius laboris. a*) Clare apparet nullam esse possibilitatem verae unionis, nisi sit certa cognitio utriusque doctrinae et omnium quae ad eas referuntur. Utilis est disceptatio; ea tamen conditione ut non sit tam praeoccupata voluntate vincendi ut negligat suum primum officium, i. e., necessitatem intelligendi. Bene ergo de unione christianorum meriti sunt et merentur omnes hi *periti,*[1] theologi, exegetae, historici, psychologi, philosophi, qui suum saepe ingratum opus peregerunt, solo veritatis amore ducti. Magna res est, et quae iam vinculum solidum nectit, communitas strictae methodi, communis voluntas soli veritati serviendi.

Hic labor tanto magis laudandus est quod non desit hodie tentatio, ut dicitur, « activismi », quasi sola efficax esset aliqua diffusio zeli, immediatis consequentiis exclusive attenti. At suam vim, et maximam, habent libri et — ut uno exemplo utamur — quis potest dicere, in re de qua agitur, quae fuerint auctoritas et pondus libri card. Newman " Essay on development of Christian doctrine ", cuius, post centum annos, effectus non sunt exhausti?

Quod si, in re tam complexa, tot et tantis difficultatibus plena, hic aut illic accidat ut aliquis aliquid dicat aut scribat minus rectum, aut non satis maturum, aut quod populus christianus non possit portare modo, moneatur quidem in quantum bonum publicum postulat, sed moneatur ut filius, non tamquam malus operarius super quem suspicio cadit et remanet, ne fracto animo sint qui tam necessario labori se dederunt — quod non esset sine rei oecumenicae detrimento.

b) Debet etiam semper esse in memoria quod religio fratrum separatorum non potest reduci ad aliquam seriem propositionum, quas

sufficeret bonis argumentis refutare. Est enim aliquid profundius quam illae propositiones, i. e. aliqua vivida perceptio cuiusdam religiosae realitatis. Plerumque, vel per reactionem contra defectus aut abusus tunc existentes, vel per experientiam propriam, fuerunt, in initio separationis, homines qui aliquem adspectum religiosae doctrinae aut vitae christianae, tam plene et acriter viderent ut in periculum venerint alios adspectus negligendi aut negandi: unde occasio errori aperiebatur. Ad theologum pertinet, dummodo non psychologiam nesciat, ad historicum pertinet dummodo non solis exterioribus eventibus studeat, hanc primam, vivam, intimam perceptionem detegere ex qua reliquum procedit. Quod est magni momenti, quia, si quis non penetrat usque ad hoc essentiale punctum, in superficie videtur manere et collocutori hunc tristem sensum imprimit quod non fuit vere intellectus. Ergo dialogus inutilis evadit.

2. *et ultimo.*[2] Valde necessarium est ita res exponere ut appareat quod, si quis venit ad catholicam fidem, non ideo cogitur ad aliquam infidelitatem erga quae prius credidit, quasi deberet matrem suam contemnere. De facto, nihil reiicit nisi negationes: quae vera iam profitebatur retinet et sese extendit ad alias veritates quae sunt complementariae, ita ut quae antea credebat minus solvantur quam perficiantur. Quod iam possidebat assumitur et augetur et suum locum habet in Ecclesia catholica ubi inveniuntur familiae religiosae maxime variae, unica fide coniunctae, sed cum respectu iustarum diversitatum. Sicut libenter dicebat Papa Ioannes XXIII, de Concilio loquens et spem futurae unionis exprimens: « Oportet — *aiebat*[3] — ut, post reformationes et renovationes debitas, possimus dicere his qui adhuc sunt seiuncti: " Haec pulchra Ecclesiae domus non est proprietas nostra: si vultis videre et intrare, non ad nos venitis: apud vos estis: domus Dei domus vestra est " ...[4] ». Tale est in rebus oecumenicis bonum exemplum: fides gratuito nobis data est, non est nostrum dominium: veritatis a Deo revelatae servi sumus, non imperatores. Res oecumenicae debent ergo tractari neque modo nimis simplici, cum difficultatibus non careant et oporteat usque ad intimum et vivum centrum adire, neque modo polemico, cum saepe non sint sine animae anxietate.

Conclusio. Petitur: 1. ut momentum necessarii laboris intellectualis magis in luce ponatur; 2. ut notetur quae reverentia dari debeat, non solum sinceritati separatorum, ut patet, sed iis positivis quae retinent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] (ipsi auctori dictum est, et aliis repetitum est).

6

REV.MUS P. D. BENEDICTUS REETZ
Superior generalis Congr. Beuronensis O.S.B.

Venerabiles Patres,

I. In archiabbatia Beuronensi *sex* [1] adsunt monachi sacerdotes, qui a protestantismo ad Ecclesiam catholicam sunt reversi et eorum opera etiam alii ad plenitudinem unitatis Ecclesiae redeunt. Ex facultate theologica protestantica in civitate Tubingensi sat multi theologi monasterium nostrum adeunt, eum in finem, ut per plures dies vitam monasticam videant atque cum monachis dialogum habeant de quaestionibus dogmaticis, exegeticis, monasticis et liturgicis. In editionibus « Vetus Latina » in qua colliguntur textus latini S. Scripturae ante S. Hieronymum, cum monachis collaborant periti protestantici, et mox prodibit etiam textus Vulgatae praeparatus a tribus monachis O.S.B. et simul etiam a tribus doctis peritis protestanticis, cum expressa licentia S. Officii.

Haec omnia exercitium practicum oecumenismi demonstrant, de quo pulcherrima et optima dicuntur in hoc cap. II *et in aliis capitibus.*[2] Hoc caput et totum schema *de oecumenismo* viam sternit ad alliciendos fratrum separatorum animos ad Ecclesiam super Petrum fundatam. Interior renovatio, conversio cordis, *etc.*[3] Addi possent communis indagatio scientifica Sacrae Scripturae et etiam translatio communis textus Sacri in linguas vernaculas, quod feliciter incoeptum est.

II. Saepe saepius mihimetipsi quaestionem posui: quid allicit fratres separatos ad Ecclesiam catholicam et quid eos non allicit vel etiam respuit. Experientia multorum annorum edoctus haec pauca enumerantur, quae catholicos minus allicientes reddunt fratribus separatis.

1. *Theologia quaedam acrobatica,* quae potius inventa hominum continet quam doctrinam Sacrae Scripturae et traditionis. Unum tantum exemplum afferre mihi liceat. Prae manibus habui volumen magnae molis, quod cum approbatione ecclesiastica de immaculata conceptione S. Ioseph et de eius assumptione corporali in caelum valde mira ac miranda profert.

2. Fui semper et sum amicus *theologiae scholasticae,* sed prae oculis habere debemus quod sola theologia scholastica non sufficit ad penetranda mysteria revelationis, praesertim in dialogo cum orthodoxis aliisque fratribus separatis. His ultimis decenniis *theologia biblica* etiam

a nostris theologis colitur atque evolvitur et certe hac in re plures ex fratribus separatis optima nobis praebuerunt adiumenta.

3. Nos omnes, Patres venerabiles, compertum habemus ius canonicum omnino necessarium esse ad ordinandum in Ecclesia relationes inter singula membra etc. ... quia Ecclesia non est tantum societas *divina,* sed etiam *humana,* ideoque leges et canones necessarii sunt. Sed *aspectus nimis iuridicus* Ecclesiae, uti in hac aula saepius dictum est, non allicit fratres separatos, quia putant hoc non convenire cum libertate filiorum Dei.

4. Petra scandali pro fratribus separatis saepius sunt quaedam pietatis exercitia, quibus aliquo modo sana pietas obscuratur. Excogitantur semper novae formae cultus marialis, quae nosipsos et fratres separatos in admirationem coniciunt v. g. rosarium lacrymarum B. M. V. Alia multa *exempla* [4] vobis nota sunt.

5. Ultimo ad *praxim indulgentiarum* intellectu difficilem pro fratribus separatis et aliquando etiam pro nobis alludo. Iam Concilium Tridentinum, quod doctrinam catholicam hac in re luculenter exposuit, monuit tamen in indulgentiis concedendis moderationem esse adhibendam.

III. Transitum facio ad ea quae apta sunt ad alliciendos fratres separatos.

1. Primo loco mentionem facio de *sacra Liturgia,* quae saepius viam parat ad unionem. Neque lingua latina neque cantus gregorianus impedimentum constituunt, sed potius e contra, *dummodo saltem partes didacticae lingua vernacula dicantur.*[5] Ideo constitutio *de sacra Liturgia,* cum optimis et sanis principiis theologicis et liturgicis pietatis Ecclesiae documentum oecumenismi erit.

2. Fratres separati hodie intelligunt magis ac magis necessitatem *monachismi et vitae monasticae* in Ecclesia, quod iam patet ex eo, quod aliqui reditum faciunt ad regulas monachorum. *Haec sane miranda sunt cum protestantismus originem ducit, proh dolor!, ex monacho.*[6] Vita monastica et religiosa in Ecclesia catholica fratres separatos valde allicit et desiderant vitam nostram cognoscere. Ideoque monasteria sunt centra oecumenismi sicut Niederalteich, Chevetogne aliaque monasteria.

3. Aestimatio *virginitatis et caelibatus* crescit apud fratres separatos, quod mirum non est, cum iterum redeant ad doctrinam S. Pauli de amore indiviso et de virginitate. Stupor me invasit, quando ex ore aliquorum fratrum separatorum, etiam mulierum, audivi, eos moleste ferre, si lex caelibatus in Concilio aliquomodo labefactaretur. Folia enim diurna multa et falsa hac de re scripserunt.

4. Est et alia res, quae utique non omnes, sed aliquos fratres separatos ad Ecclesiam catholicam attrahit, scil. *Sacramentum Confessionis,*

quod mirum non est, cum apud catholicos pacem et gaudium videant, quae ex hoc sacramento, dono paschali Domini Nostri in die resurrectionis, profluunt.

5. *et ultimo.*[7] Quod autem maxime allicit fratres separatos et quod quasi unanimiter ab omnibus confirmatur, qui ad Ecclesiam catholicam redeunt, est *unitas mirifica Ecclesiae*; haec unitas verificatur quamquam diversitates adsint tum in linguis et ritibus; tum in diversis aspectibus theologicis; tum in disciplina aliisque in rebus.

Haec unitas mirifica in hoc Concilio manifestatur in unitate fidei in Christum incarnatum quam profitemur; in unitate sacrificii eucharistici; in unitate caritatis erga omnes *ad intra et ad extra*[8]; in unitate auctoritatis *et quidem*[9] infallibilis; in unitate episcoporum cum Summo Pontifice, in signo visibili huius unitatis quod est persona Sancti Patris, i. e. Pauli VI, qui feliciter sed etiam *Christo compatiens, regnat et servit.*[10]

Quo maior haec unio inter nos et cum Summo Pontifice, eo magis praeparatur etiam unio cum fratribus separatis et cum omnibus hominibus.

Propono ut feria VI vel feria II vel aliqua altera die dicatur hic Missa votiva ad postulandam unitatem.[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et in tota congregatione plures. [2] deest. [3] sanctitas vitae, mutua cognitio, expositio doctrinae hic enumerantur. [4] sunt exempla quae. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] crucifixus regnat. [11] deest.

7

Rev.mus P. D. HILARION CAPUCCI

Superior generalis Ord. Basiliani Aleppen. Melchitarum

Venerabiles Patres,

Relate ad illa quae dicuntur in cap. II, n. 7, schematis *de Oecumenismo,* consideratis quoque peculiaribus adiunctis in quibus versantur communitates catholicae in oriente, necnon eorumdem relationibus cum fratribus orthodoxis, liceat mihi sequentes submittere animadversiones circa communicationem in sacris cum fratribus a nobis seiunctis. Disciplina enim nunc temporis vigens, necnon ipse textus huius par. 7, mihi non videntur undequaque opportuna. Status rerum nostrarum in oriente, sive in ordine oecumenico, sive in ordine sociali et politico, requirit

saltem mitigationem illius disciplinae et, consequenter, textum magis aptatum in schemate nostro.

Aspectus oecumenicus. Aliqua mitigatio disciplinae hodiernae relate ad communicationem in sacris faciliorem reddit successum motionis oecumenicae. Testes enim quotidie sumus reactionis fratrum orthodoxorum coram prohibitionibus hodiernis: aversionis scil., oppositionis et antipathiae. E contra, nihil corda magis coniungit quam unio in invocando eodem Domino. Huiusmodi conventus in rebus sacris sunt fermentum unitatis, *immo optimum.*[1]

Aspectus socialis. Ligamina socialia et familiaria nos coniungunt cum fratribus orthodoxis. In una eademque familia saepe inveniuntur orthodoxi et catholici. Atqui, in oriente, socialia et religiosa intime connectuntur, et hoc modo saepe invenimur in situationibus quam maxime dolorosis, tam pro conscientia catholicorum, sive clericorum sive fidelium, tam pro pace et unione intra vitam familiarem et socialem. Huiusmodi situationes sunt *molestae, ne dicam offensivae,*[2] pro fratribus a nobis seiunctis, nec non scandalosae pro non-christianis. Fideles enim nostri christiani non intelligunt quomodo, dum illos hortamur ad unionem in actione syndacali, sociali, politica et scholari, dum illos quoque hortamur ad amorem et respectum mutuum, nos eodem tempore illis interdicimus, onerata eorum conscientia, quamvis communionem ad illas realitates religiosas quae constituunt sensum et vim cuiusvis vitae et activitatis humanae. Scandalum igitur, quod praevidetur uti fundamentum interdictionis cuiusvis communicationis in sacris, habetur quidem, sed sensu omnino contrario. Non est communicatio in sacris quae causat scandalum, sed est potius interdictio in conscientia cuiusvis communicationis in sacris quae causat scandalum.

Per plura saecula vivimus in pace cum fratribus orthodoxis. Immo, ante officialem instaurationem structurae nostrae hierarchiae, plura elementa catholica, unita scil. cum Sede Romana, numquam desierunt esse in sinu Ecclesiae orthodoxae. Experientia nostra pastoralis, *de cetero* [3], demonstrat quod fratres orthodoxi ad nos potius accedunt; rari autem ...[4] transitus ad orthodoxiam, *ullo modo a communicatione in sacris causantur.*[5]

Nos ipsi, catholici, *saltem ritus byzantini,*[6] sumus, ut ita dicam, fructus istius « communicationis in sacris ». Motio enim restaurandae unionis catholicae nata est praecise apud nos ex praedicatione aliisque modis apostolatus quem exercebant missionarii latini in ipsis ecclesiis orthodoxis, iurisdictione quoque habita ab ipsis orthodoxis hierarchis.

Aspectus apostolicus. Immo[7] divisiones nostrae christianae, quae concrete manifestantur coram non-christianis per rigidas illas interdic-

tiones de non communicando in sacris, sunt revera magnum scandalum non-christianorum; confusio nostra coram illis, necnon obstaculum praestantissimum quod impedit eorum conversionem ad fidem christianam.

Nec obliviscendum boni animarum. Sunt enim orthodoxi qui privantur sacramentis propter defectum sacerdotum orthodoxorum, sicut catholici quandoque inveniuntur in eodem periculo. Sunt pueri orthodoxi qui nobis concreduntur, qui indigent sacramentis, qui fiduciam habent in nobis, et quibus tamen denegare debemus ministerium nostrum sacerdotale.

Attamen:

1. Scimus quod existere potest periculum indifferentismi vel scandali in aliquibus casibus.

2. Admittimus etiam quod Patres Ecclesiae occidentalis habere possint aliam positionem, sive quia adiuncta regionalia alia sunt, sive quia in genere positio erga fratres separatos non potest esse uniformis, sive quia in tali vel tali regione problema absolute non ponitur, vel non eodem modo ponitur...[8]

Si ergo attente consideramus quod, ex una parte, praescriptiones iuris divini sancte servari debent; ex altera parte, quod praesumptio communis periculi indifferentismi vel scandali proprie dicti, in qua fundatur disciplina ecclesiastica hodierna, non sat verificatur in regionibus nostris et in nostris relationibus cum fratribus orthodoxis, immo quod est valde damnosa,

Proponimus:

1. Ut stricte prohibeatur illa tantum communicatio in sacris quae iure divino vetitur, nempe: *a*) ubi haec communicatio in sacris secum fert, pro conscientia catholica, adhaesionem formalem (vel materialem) haeresi vel schismati; *b*) ubi verificatur periculum scandali vel indifferentismi; *c*) ubi tandem, in sensu christiano, haec communicatio est expressio unitatis iam restauratae, sicuti in celebrandis sacris mysteriis.

2. Ut ...[9] facultas agnoscatur Ordinariis loci ...[10], Synodo patriarchali, *conferentiis episcopalibus dispensandi a quavis lege mere ecclesiastica in materia communicationis in sacris.*[11]

3. Ut dispositiones legislativae promulgentur ad tollendam clausulam quae invalidat matrimonia mixta celebrata coram ministro acatholico. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] offensivae et molestae. [3] deest. [4] qui fiunt. [5] nullo modo proveniunt ex communicatione in sacris. [6] orientales. [7] deest. [8] 3. Admittimus quoque nonnullas communitates orientales catholicas, quae non habent ramum orthodoxum vel quae minus huic ramo

coniunguntur, non idem sentire ac nos relate ad huiusmodi problema. [9] salva generatim legislatione mere ecclesiastica circa communicationem in sacris. [10] in casibus particularibus, vel. [11] vel conferentiae episcopali, ab ea dispensandi, si prudentia pastoralis id exigit et consideratis variis adiunctis facti quae huiusmodi dispensationem legitimare possunt.

[*Subscripserunt etiam*] Athanasius Hage, sup. gen. Ord. Bas. Chonériti; Saba Youakim, sup. gen. Ord. Bas. Ss. Salvatoris; P. D. J. Adrover, sup. gen. Theatinorum; Aemilius M. Schot, praep. gen. Barnabitarum; P. Joseph Torbay, sup. gen. de l'Ordre Lib. Maronite; P. Maroun Harica, s. g. A.

8

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDAIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Venerabiles Patres,

Plane capio momentum minime esse propitium loquenti, *praesertim loquenti* [1] adhuc de cap. II; sed ideo prorsus maximam vestram benevolentiam exposco.

A Patribus, qui adeo eloquenter locuti sunt de caritate, ut exercitio oecumenismi, duo non audivi: videlicet, neque explicationem signi, reduplicative ut oecumenici, ab ipso Christo praestituti, neque mentionem audivi eloquentissimae illius allocutionis, hic Romae habitae, ab eo qui tunc temporis archiepiscopus erat Mediolanensis, et quae mihi videtur aptissima, ad hanc materiam pertractandam.

Quoad primum sufficiat innuere nos parum omnino profecturos, in hoc oecumenismi exercitio, donec, qui foris sunt, viderint nos, tali dilectione, opere et veritate, iustitia sociali et amore christiano inter nos coniunctos, ut dici possit de nobis quod de Ecclesia primitiva dicere licuit: quod multitudinis credentium erat cor unum et anima una, neque quisquam egens erat inter eos.

Mirum quidem caritatis spectaculum, quod cernentes, suave invitamentum accipient ad unitatem; ut verbis loquar dilectissimi Papae Ioannis XXIII, loquentis de oecumenismo. Mirum caritatis spectaculum quod nunc quoque, exclamare faceret cernentes: videte quomodo sese amant christiani. Sed non sufficit, ut, qui extra nos sunt, nos videant nosmetipsos mutuo amore amantes, sed necessarium insuper ut sese videant, et sentiant, a nobis corde et opere amatos, prouti exponebat Summus Pontifex noster, cum adhuc archiepiscopus Mediolanensis esset, in illa eloquentissima et vere oecumenica allocutione, hic Romae habita, in qua, *exponendo* [2] programma, secundum quod, nos catholici,

amare debemus etiam ceteros omnes, dicebat: « Amabimus, igitur, ...[3] proximum et amabimus longinquos; amabimus patriam nostram, et amabimus patriam aliorum; amabimus catholicos, et amabimus schismaticos, et protestantes et anglicanos, et indifferentes et mahometanos, et paganos, et atheos; amabimus corde Christi qui dixit: " Venite ad me omnes "; amabimus amplitudine Dei, " sic Deus dilexit mundum " ».

In hac vero, adeo fervida et oecumenica allocutione, duae inveniuntur pericopes, quae magni *nunc* existimo momenti:

Prima est illa, in qua eximius orator, praecavebat auditores, ne amor noster erga non catholicos, degeneraret in errores doctrinales.

Sapientissima ecquidem praecautio. Liceat enim mihi addere, quod inest saepe error quidam, subtilis omnino, qui, peculiariter, reviviscit et virescit, et pervadit non paucos, quando agitur de oecumenismo et de quaestionibus cum illo plus minusve connexis.

Est error ille quem, gravissimis verbis, animadvertebat in sua prima Encyclica insignis Pontifex, Pius XI, quando dicebat quod sunt plures, qui catholicam doctrinam profitentur, in iis quae spectant ad iura Romani Pontificis, episcoporum, vel ad ipsa iura Christi conditoris et redemptoris... iidem vero, *dicebat,*[4] sermonibus, scriptis et modo agendi, ita se gerunt ac si doctrinae et praecepta, toties a Summis Pontificibus, a Leone XIII praesertim, promulgata, aut nativum robur amisissent, aut penitus obsolevissent. « In quo — addebat — genus quoddam modernismi moralis, iuridici ac socialis est agnoscendum; quod quidem, una cum modernismo dogmatico, impense reprobamus ». Ita Pius XI in Encyclica *Ubi arcano Dei.*

Sed adest in supra laudata allocutione ...[5] nunc Romani Pontificis, feliciter regnantis, *alia pericope,* quae, quamvis quinque abhinc annis prolata, attinet peculiariter ad nos, quatenus Patres huius Concilii *Vaticani II,*[6] et est haec: « Omnes classes sociales amabimus sed specialiter eas, quae plus indigent adiutorio ».

Sed cur — dicetis *mihi*[7] — haec pericope attingit peculiariter nos ut Patres huius Concilii?

Memoremus, quaeso, sollemnissimum illud nuntium, quod, prima die Concilii, misimus nos, Patres conciliares, ad universos homines *mundi.*[8]

« Caritas Dei urget nos — dicebamus —. Ex omni natione quae sub caelo est adunati, omnium populorum nobis creditorum in cordibus nostris gerimus aerumnas, corporis et animae angustias, dolores, desideria. Ad omnes anxietates, quibus hodie homines punguntur, instanter intendimus. Convolet imprimis — imprimis dicebamus — sollicitudo

nostra ad humiliores, pauperiores debilioresque; Christum sequentes, misereamur super turbam, fame, miseria, ignorantia laborantem ».

Haec dicebamus tunc. Tredecim menses iam transiere ... Et ecce adhuc ... Non quidem culpa Summorum Pontificum, neque culpa mensae praesidentialis, neque culpa em.morum moderatorum, immo, neque culpa maioris partis Patrum conciliarium, sed tantummodo culpa — in qua et qui nunc loquitur partem habet — culpa videlicet eorum, qui, in hac aula, plus quam debuissemus, locuti sumus. Invenimur nunc, sub fine sessionis secundae in 77 hac congregatione generali, quin adimpleverimus propositum nostrum convolandi imprimis ad humiliores, pauperiores debilioresque. Qui tamen, venerabiles Patres, hisce non obstantibus, adhuc exspectant a nobis, nos tractaturos de ipsis et de eorum libertate, de eorum libertate a vexatione inopiae, de ipsorum libertate a vexatione miseriae, de ipsorum libertate a vexatione famis.

Hoc est quod exspectant urgenter a nobis. Nemo est qui non videat quam amara esset eorum deceptio si, post octoginta congregationes generales, viderent nos a Concilio revertentes, quin vel unam, integram, ipsis dedicaverimus.

Iamvero, non esset hoc nobis difficile, recurrendo ad facultates quas nobis concedit citatus art. 57 *Ordinis,* et sic, antequam secunda haec sessio Concilii finiatur, congregationem generalem habere totaliter dedicatam his fratribus nostris pauperibus qui sunt praedilecti Cordis Domini Nostri Iesu Christi, atque proinde etiam huius nostri Concilii Vaticani II. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] exponens. [3] dicebat. [4] deest. [5] (tunc archiepiscopi mediolanensis). [6] deest. [7] deest. [8] deest.

Animadversio addita:

Votum. Addantur n. 5 cap. II de Oecumenismi exercitio sequentia verba: « Parum igitur nos catholici in hoc opere oecumenismi consequemur, donec illi qui foris sunt viderint nos ita in iustitia sociali et in amore christiano coniunctos, ut de nobis dicatur idipsum quod de primitiva nostra Ecclesia dicere licuit: " Multitudinis credentium erat cor unum et anima una... neque quisquam egens erat inter illos " ».

9

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES
Archiepiscopus Catacensis et episcopus Squillacensis

Venerandi Patres conciliares,

...[1] Circa ...[2] exercitium oecumenismi — quod est materia huius cap. II — duo mihi praecipua notanda videntur.

1. *Circa n. 10.*[3] In practica oecumenismi actuatione seu exercitio summopere cavendum est ne propter inscitiam vel imprudentiam sive ex parte catholicorum sive acatholicorum, via aperiatur — saltem practice — errori *indifferentismi* ex attenuatione illius doctrinae catholicae qua profitemur ad aeternam salutem consequendam necessarium esse pertinere ad Ecclesiam: et Ecclesia Christi vera non est nisi illa *una, sancta, catholica et apostolica,* cui per decursum saeculorum praeest Successor B. Petri, qui est Vicarius Christi Iesu.

a) Dixi: per inscitiam vel imprudentiam. Nam nisi quis bene versatus fuerit in profundiori cognitione doctrinae etc. facile potest concludere ad quamdam aequiparantiam inter doctrinam fidei et positionem fratrum separatorum; vel si putet prudentia carnis utendum in hac re — quod esset maxima imprudentia — ad fratres separatos in Ecclesiam adducendos, extenuanda vel enervanda arbitretur ipsa fidei dogmata, extollendo caritatem quae fraternam coniunctionem inter omnes christianos fovet cuiusvis confessionis: quod item esset ipsi fidei iacturam procurare.

b) Alia ratio ad indifferentismum maxime praecavendum exurgit ex ipsa ratione motus oecumenici recte intellecti. In hoc motu manifestatur vel suscitatur vel premit in acatholicis desiderium unitatis *acquirendae* qua ipsi carent; in catholicis datur, et quidem vehemens desiderium ut unitas quam possident *faveatur, dilatetur, perficiatur* ad mentem Christi Domini, cuius deprecatio « ut unum sint » omnes impellit ad fratres separatos reducendos ad Cor Christi in sinum sanctae Matris Ecclesiae. Indifferentismus, saltem practicus, omnem vim adimeret ipsi motui *oecumenismo,*[4] immo vulnus lethale ipsi inferret, ex persuasione falsa quam ingereret videlicet in quavis religionis christianae forma aeque ac in Ecclesia catholica datum esse Deo placere...[5]

Ergo qui munus suscipient dialogum habendi seu instaurandi cum fratribus separatis, praesertim in locis in quibus viget catholicismus, *sub ductu episcoporum* hoc faciant, adamussim *servatis vel*[6] secuti illas normas quae optime describuntur in n. 10 huius cap. II: ratio enim

habetur et integram doctrinam catholicam exponendi, et falsum irenismum vitandi, et tali modo in expositione doctrinae utendi ut eadem fides verbis qui comprehendi possint *et* proponatur *et* elucidetur *et* intelligatur, secus inutilis fieret dialogus.

2. *Ad n. 7.*[7] Aliud notandum mihi videtur: ...[8] de oratione unanimi.

Si ipse Christus Dominus tam ardenter postulavit a Patre unitatem: « *Ut omnes unum sint* », hoc evidenter ostendit unitatem esse: et necessariam; et perdifficilem; et suppliciter, post eius exemplum, impetrandam; immo, ipsam esse signum missionis Filii Dei in mundum. *Nam Christus Dominus addit*[9]: « *ut credat mundus, quia Tu me misisti* ».

Omnia media ad exercendum oecumenismum libenter adhibeamus, sed *maximum et primum mandatum* in hac re sit humilis et constans deprecatio totius Ecclesiae. Quod continuo iam et semper fit in Ecclesia (videas canonem Missae) *traducatur oportet in vivida conscientia populi christiani.* Ad hunc finem optime occurrit Octavarium illud precum ad unitatem Ecclesiae promovendam quod a die 18 ad 25 mensis ianuarii cuiusvis anni protrahitur.

Votum promere audeo: Octavarium illud in ipsam Liturgiam Apostolica Sedes introducere dignetur, cum facultate in praedictis diebus missam celebrandi vel « pro unitate Ecclesiae », vel « ad tollendum schisma », vel « pro fidei propagatione », *praecepto omnibus imposito* ut in dominica intermedia ad eundem finem solemnes supplicationes fiant a toto populo, ut pacem et unitatem Ecclesiae suae Dominus largire dignetur. Et ita, sicut est iam *Dies missionum* in mense octobri, ita esse poterit *Dies unionis* ad preces fundendas pro unitate et ad varia problemata, iuxta locorum necessitates, de oecumenismo proponenda. Et Ecclesia omnibus patebit tamquam lux veritatis et vinculum caritatis omnibus in Christo fratribus dilectis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Praesuppono in his quas propono animadversionibus, omnia illa quae plures iam inter Patres adnotaverunt de hoc schemate in genere et de cap. I: praesertim de ipsa ratione et notione oecumenismi recte intelligenda, cum facillime in hac materia aequivocationibus locus dari possit. [2] vero. [3] Et primo quidem. [4] oecumenico. [5] (cf. prop. 18 Syllabi Pii IX). [6] deest. [7] deest. [8] et hoc respicit n. 7 huius capitis. [9] deest.

[*Subscripserunt etiam*] A. Catarella, ep. Platiensis; Ilario Roatta, ep. S. Agathae; Faustinus Baldini, ep. Massanus; Lucianus Marcante, ep. Valvensis et Sulmonensis; Iosephus Lenotti, ep. Fodianus; Horatius Semeraro, ep. Cariatensis; Aemilius Giorgi, ep. Montis Politiani; Guido Tonetti, arch.-ep. Cuneensis; Antonius Cunial, ep. Lucerinus; Mauritius Raspini, ep. Oppidensis; Nicola Capasso,

vesc. Acerra; Felix Beccaro, vesc. S. Miniato; Alberto Carinci, vesc. Boiano-Campobasso; Lorenzo Basoli, vesc. Ogliastra; Secondo Tagliabue, vesc. Anglona-Tursi; Paolo Babini, vesc. Forlì; Mario Di Lieto, vesc. Ascoli Satriano e Cerignola; Luigi Morstabilini, vesc. Veroli-Frosinone; Andrea Cesarano, arciv. Manfredonia; Francesco Minerva, vesc. Lecce; Pietro Fiordelli, vesc. Prato; Constantinus Stella, arch. Aquilanus; Manuel da Silveira d'Elboux, arc. de Curitiba.

10

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER
Episcopus Purvokertensis

Em.me Moderator, venerabiles Patres conciliares, honorabiles Viri observatores et Auditores,

Loquor nomine proprio, sed substantia interventionis subscribitur a 22 Patribus conferentiae Indonesiae.

Sub n. 4 cap. II schematis nostri enuntiatum invenimus ut sequitur: « Spiritualis fidelium renovatio igitur insigne obtinet momentum oecumenicum. Variae autem illas christianae vitae significationes, per quam renovatio iam efficitur: Motus biblicus, iterum dico motus biblicus, necnon liturgicus etc. ... tamquam pignora et auspicia quaedam sunt habenda, quae futuro oecumenismi catholici successus fauste portendunt ».

De *motu biblico* supra tamquam significatio interioris Ecclesiae renovationis aut « aggiornamento » in contextu exercitii oecumenici catholicorum nominato, verbum facere intendimus in quantum in textu schematis nobis proposito, adhuc desiderandum videtur propositio de quadam renovatione aut « aggiornamento » de usu textus Sacrarum Scripturarum qui in Veteri Vulgata latina versione habetur, tamquam medium eminenter efficax exercendi oecumenismum catholicorum.

Inde proponimus, cum omni humilitate qua par est sed et cum audacia et instantia, ut cum debita reverentia erga textum traditionalem sic dictae « Vulgatae editionis», in Concilio Tridentino denuo promulgatam, quae semper remanebit et monumentum et argumentum christianae traditionis per saecula, huic praeclarae congregationi Patrum conciliarium in Concilio Oecumenico Vaticano II placeat de novo mandare ut textus latinus authenticus a viris expertis et fide dignis e praecellentibus Sacrorum Librorum textibus primigeniis conficiatur, authentica declaretur pro usu in cultu liturgico, pro munere evangelisationis, pro aedificatione fidelium et denuo evulgetur a nostro Synodo.

Exponitur propositio.

1. Sacra Scriptura quamquam non sit « Fons unica » aut « regula

fidei unica » tamen tamquam expressio inspirata divinae revelationis digna est summa nostrorum omnium reverentia et cura.

Inde tempore perturbationis mentium saec. XVI, Concilium Tridentinum, hac in re, statuit: « Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis — repeto non parum utilitatis — accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum Librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et quod nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat ».

2. Sed « Tempora mutantur, et nos cum illis »; quod ipso tempore perturbationis religiosae in saec. XVI, secundum Patres Tridentini « non parum utilitatis Ecclesiae accedere possit » nempe declaratio authenticitatis Vulgatae editionis, nunc fere ubique et in hac ipsa augusta aula saepe « in detrimentum utilitatis Ecclesiae accedere apparet ».

a) Si praeclari viri exegeti inter quos em.mus Ernestus card. Ruffini, hac in aula cum quodam acumine mentis, textus Sacrae Scripturae in diversis schematibus argumentationis causae allatos, pro eorum authenticitate vel veracitate criticant, saepissime invocare debent non ipsum textum illius Vulgatae editionis, quam nemo reicere praesumit, sed referre debent ad textum primigenium graecum ut stent sua argumenta.

b) A fratribus a nobis adhuc seiunctis, saepissime dicitur, quod pro vero et fructuoso colloquio oecumenico sed et propter ipsam veracitatem, valde iuvaret si omnis christianitas in una vera, authentica versione Sacrarum Scripturarum convenire potuisset. Votum hoc in saec. XX nostro iam antea in saec. XVI enuntiabatur a concivi meo honorabilis memoriae Desiderio Erasmo. Et laeto animo iterum desiderium Desiderii Patribus propono.

3. Et ipsam commissionem conciliarem de doctrina fidei et morum, quam nemo nostrorum de quodam laxismo dogmatico accusare auderet, argumentum indirectum pro nova versione Sacrarum Scripturarum afferre, grato animo statuo.

In conceptu nempe schematis Patribus pro hac sessione distributi *de divina revelatione,* cap. V, nn. 21-22, nempe legimus ut sequitur:

a) N. 21, ubi dicitur Ecclesiam Sacras Scripturas venerari: « Caelestem Sacrorum Librorum Veteris et Novi Testamenti thesaurum Ecclesia inde ab initio maxima veneratione prosecuta est, et numquam intermisit insigne illud Dei donum sibi concreditum fidelibus, praesertim in sacra Liturgia (iterum dico: praesertim in sacra Liturgia), dispertire,

iisque commendare, ut summa pietate illud tamquam pretiosum Dei donum acciperent, etc. ... ».

b) N. 22, ubi dicitur « accuratae versiones commendantur », legimus: « Ut autem christifidelibus ad Sacras Scripturas aditus late pateat, Ecclesia Dei sua auctoritate commendat et materna sollicitudine curat ut, ad penitiorem cognitionem et uberiorem declarationem verbi Dei, accurate in linguas vernaculas versiones e praecellentibus Sacrorum Librorum textibus primigeniis conficiantur ».

c) Nunc autem, venerabiles Patres, schema *de sacra Liturgia* iam ab augusta Synodo acceptatum, statuit quod in Missis cum populo celebratis, linguae vernaculae praesertim in lectionibus congruus locus tribui possit. Nunc quaero an:

1. In sic dictis libris missalibus pro populo editis textus in lingua vulgari secundum textum primigenium iuxtaponitur textui latino secundum veterum vulgatam editionem.

2. An sic dicti pericopi epistularum et evangeliorum in lingua vulgari dicantur, praedicantur populi fidei secundum ipsam veterem vulgatae editionis versionem, quam nemo usque nunc quovis praetextu reicere audeat, vel secundum « versiones e praecellentibus textibus primigeniis », secundum schema dogmaticum *de divina revelatione,* pro fidelibus etiam ab auctoritate Ecclesiae conficiendas?

Est, erat, erit quaedam incongruentia indigna hac in re.

Ob has et alias rationes, reverenter, fiducialiter sed et audacter propono augustae Synodo votum: Ut a Concilio Oecumenico Vaticano II, non abolendo sed perficiendo opus Tridentini, mandetur erectio commissionis postconciliaris de re biblica cum certo mandato ab ipsa Synodo, ut ab ipsa commissione pro re biblica de mandato Synodi, cum omni sapientia et eruditione curetur novus textus vulgatus latinus pro omni christianitate, versio quidem e praecellentibus Sacrorum Librorum textibus primigeniis, qui « Textus vulgatus Vaticanus » nominari posset, in veram utilitatem Ecclesiae hodiernae.

Ut in hoc praeclaro opere adhibeantur viri fide digni et vere experti in re biblica ex omni natione et ritu sine quavis inhonesta discriminatione: nominatim Institutum Biblicum et « Ecole biblique de Jérusalem ». Et denuo, in quantum realisabile videtur, in spiritu vere oecumenico requiratur et collaboratio istorum christianorum a nobis hucusque seiunctis, qui fide digni et revera in re biblica experti inveniuntur.

Hoc mihi videtur opus Concilii oecumenici vere dignum, monumentum reale oecumenicitatis catholicorum, acceptabile apud Deum et homines. Dixi. Gratias.

Textus scripto traditus:

Magno cum animo perlegimus omnes has adhortationes « de Oecumenismi exercitio », quas in cap. II nostri schematis proponuntur. Certissime conferunt in creandum « climatum propitium conciliationis » inter nos et fratres a nobis seiunctos. Per istos conatus Mater Ecclesia catholica Romana seminat granum « benevolentiae, caritatis et iustitiae in rebus religiosis », quod aliquibus minimum quod apparere potest, cum autem in toto populo christiano creverit « sensus conciliationis » iste, maius erit omnibus oleribus, et fit *arbor,* ita ut volucres ex qua parte mundi advolabunt, et habitent in ramis eius. In *ramis,* dicit parabola et *non in truncu* arboris.

Sub n. 4 capitis nostri enuntiatum invenimus ut sequitur: « ... Spiritualis fidelium renovatio igitur insigne obtinet momentum oecumenicum. Variae autem illas christianae vitae significationes, per quam renovatio iam efficitur: *motus biblicus* necnon liturgicus... etc. tamquam pignora et auspicia quaedam sunt habenda, quae futuros oecumenismi catholici successus fauste portendunt ».

De *motu biblico* supra in contextu Oecumenismi catholici nominato, verbum facere intendimus, in quantum in textu schematis nobis proposito, adhuc desiderandum videtur propositio fidelis sed audax, de usu textus S. Scripturarum quod in Veteri Vulgata latina editione habetur.

Proponimus: Ut cum debita reverentia erga textum traditionalem sic dictae « Vulgatae editionis », in Concilio Tridentino denuo promulgatam haec praeclara congregatio Patrum Conciliarium in Concilio Oecumenico Vaticano II, placeat de novo mandare ut *textus latinus authenticus* a viris expertis et fide dignis conficiendus, e praecellentibus Sacrorum Librorum textibus *primigeniis* conficiatur, authentica declaretur pro usu in cultu liturgico, pro munere Evangelisationis, pro aedificatione fidelium, et denuo evulgetur.

Propositio declaratur:

1. Omnes nos noscimus quanto honore habuerint Sacras Scripturas, ipse Dominus Noster Iesus Christus, et ipsi apostoli et Evangelistae insuper et Ecclesia christianorum per saecula, in cultu liturgico, in evangelisatione, in cultu domestico familiarum.

Verbum Dei revelatum, scriptis inspiratis nobis transmissum generationibus christianorum dedit fundamentum fidei et spei, et modum credendi et agendi fortiter influxit: « ut credamus quia Iesus est Christus Filius Dei *et* per consolationem Scripturarum *spem* habeamus ».

Sacra Scriptura quamquam non « Fons *unica* » aut « Regula fidei unica », tamen tamquam expressio inspirata divinae revelationis digna est summi nostrorum omnium reverentia et cura.

Inde tempore perturbationis mentium saec. XVI, Concilium Tridentinum hac in re statuit: « ... Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et quod nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat ».

2. Sed « Tempora mutantur, et nos cum illis », quod ipso tempore perturbationis religiosae in saec. XVI, secundum Patres Tridentini « non parum utilitatis

Ecclesiae accedere possit » nempe declaratio authenticitatis Vulgatae editionis, *nunc* in ipsa hac aula saepe « in detrimentum utilitatis Ecclesiae accedere apparet ».

Si em.mus D. card. Ernestus Ruffini cum quadam acumine mentis, textus in diversis schematis allatis, pro eorum veracitate criticat, *saepissime* invocare debet « non ipsum textum vulgatum » sed referre debet ad « textum primigenium graecum » ut stat argumentum.

A fratribus a nobis seiunctis, saepissime dicitur, quod pro vero et fructuoso colloquio oecumenico, valde iuvaret si omnis christianitas in « uno vero authentico versione S. Scripturarum » convenire potuisset. Quod iam ab ipso saec. XVI, erat desiderium concivis mei honorabilis memoriae « Desiderii Erasmi ».

3. Et ipsa « Commissio Conciliaris de Doctrina Fidei et Morum », quam nemo nostrorum de quodam laxismo dogmatico accusare auderet, argumentum pro « Nova translatione S. Scripturarum » indirecte afferre, gratum animo, statuo.

In conceptu schematis Patribus distributi *de divina revelatione* cap. V, nn. 21-22 haec legimus:

a) 21. (Ecclesia S. Scripturas veneratur): Caelestem Sacrorum Librorum Veteris et Novi Testamenti thesaurum Ecclesia inde ab initio maxima veneratione prosecuta est, et numquam intermisit insigne illud Dei donum sibi concreditum fidelibus, *praesertim in sacra Liturgia* dispertire, iisque commendare, ut summa pietate illud tamquam pretiosum Dei donum acciperent. .... etc. usque ad finem numeri.

b) 22. (Commendantur accuratae versiones): Ut autem christifidelibus ad Sacras Scripturas aditus late pateat, Ecclesia Dei *sua auctoritate* commendat et materna sollicitudine curat ut, ad penitiorem cognitionem et uberiorem declarationem verbi Dei, *accuratae « in linguas vernaculas »* versiones e praecellentibus Sacrorum Librorum *textibus primigeniis* conficiantur.

Nunc schema *de sacra Liturgia* iam ab augusta Synodo acceptata, statuit quod in Missis cum populo celebratis linguae vernaculae praesertim in *Lectionibus,* linguae vernaculae congruus locus tribui possit, en quaero:

Epistolae et Pericopae Evangelii dicantur secundum « Ipsam veterem vulgatam editionem », quam nemo quovis praetextu reiicere audeat vel praesumat (ita Tridentinum), vel secundum « versionem e *praecellentibus textibus primigeniis* »?

Ob has et alias rationes reverenter sed et audacter propono Patribus: « Ut a Concilio Oecumenico Vaticano II mandetur " Commissionem post-conciliarem pro re *Biblica* ", ut cum omni sapientia et eruditione, evulgetur *novus textus vulgatus latinus* pro omni christianitate, versionem *e praecellentibus Sacrorum Librorum textibus primigeniis,* qui *" Textus Vulgatus Vaticanus "* nominari potest ».

Quod in hoc praeclare opus adhibeantur viri vere *experti* in re biblica ex omni natione et sine quavis discriminatione, quod si possibile est, in spiritu oecumenico requiratur collaboratio cum istis christianis a nobis hucusque seiunctis, qui fide digna et experti in re Biblica sunt.

Hic erit opus Concilii Oecumenici vere dignum, et acceptabile Deo et hominibus.

[*Subscripserunt etiam*] A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; F. A. H. v. d. Hurk, arch. Medan; G. Manek, arch. Endeh; N. M. Schneiders, arch. Makassar; A. E. J.

Albers, ep. Malang; P. M. Arntz, ep. Bandung; W. Demarteau, ep. Bandjermasin; Jac. Grent, ep. Amboina; A. Hermelink, ep. Tandjung Karang; L. v. Kessel, ep. Sintang; J. Klooster, ep. Surabaja; J. H. Romeijn, ep. Samarinda; P. Sani, ep. Denpasar; W. Schoemaker, ep. Purwokerto; J. H. Soudant, ep. Palembang; A. H. Thijssen, ep. Larantuka; Th. v. d. Tillaart, ep. Atambua; N. Verhoeven, ep. Manado; N. P. v. d. Westen, ep. Pangkalpinang; R. J. Staverman, vic. ap. Kotabaru (Hollandia); H. Tillemans, vic. ap. Merauke; M. v. Diepen, praef. ap. Manokwari.

22 Patres conciliarii supra indicati subscripserunt « ideam centralem » petitionis, non autem textum nudum, quia eis praesentari tempus non erat.

11

EXC.MUS P. D. GARABED AMADOUNI
Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Venerabiles Patres,

Animadversio mea respicit nn. 8-9 cap. II (cognitio mutua, oecumenica instructio).

Ne abutar tempore concesso, dicam statim quod, post fusionem trium schematum in uno hoc schemate, nec in his nn. 8-9 nec alibi invenimus illud medium practicum oecumenismi quod erat elaboratum a commissione praeparatoria de Ecclesiis orientalibus in schemate Ut omnes sint unum, *in art. 42, et approbatum in prima sessione Concilii. Ille articulus, interpretando vota plurimorum episcoporum ex orbe, adumbrabat opportunitatem:* 1. *cuiusdam facultatis theologicae specifice aptatae pro clero orientali et missionariis orientis in Urbe;* 2. *lectiones de rebus orientalibus in seminariis maioribus;* 3. *aditus in his athenaeis etiam fratribus separatis.*

Dixi « in Urbe », sive propter numerum alumnorum, sive quia erit primum exemplum in genere. Agitur tantum de prima basi formationis ecclesiasticae in seminariis vel in universitatibus quatuor annorum theologiae immediate post philosophiam.

Quidam dicet: revolutio in studiis sacris. Sane. Incepta a Benedicto XV, f. m., et, ni fallor, quoad exsecutionem mens insignis Papae adhuc non fuit plene perfecta.[1]

Clerus orientalis oportet ut sit bene formatus iuxta aptam methodum sive in S. Theologia sive in disciplinis accessoriis Sacrae Scripturae, Liturgiarum orientalium, Historiae ecclesiae. Eruditio partis seu aspectus orientalis emineat oportet, sicuti pro clero latino pars seu aspectus occidentalis. Secus erit extraneus suis problematibus. Dialogus eius ab initio evadet colloquium inter surdos.

Omnes in hac aula concordes sumus quod nonnisi una Ecclesia Christi existit; pariter concordes quod haec Ecclesia possidet, iuxta divina consilia, biceps patrimonium sacrum traditionis Patrum, spiritualitatis, Liturgiae: orientis et occidentis. Divitiae complementares, non oppositae. Sub aspectu paedagogico *tamen*[2] pro Oecumenismi bono, aequum non videtur instruere clerum orienti destinatum plena eruditione rerum occidentis et quasi ieiunum in rebus ipsi absolute necessariis...[3]

Absque realitate separationis haec duplicatio facultatum poterat taxari tamquam nationalismus ecclesialis. In praesenti tamen rerum statu cum longe maior pars fratrum absit ab unitate Ecclesiae, urget. Sine peculiari hac formatione intellectuali, non est imaginarius timor propensionis ad iudicandum de problemate religioso orientis ad instar situationum in regionibus ubi problema separationis localiter non existit; nec imaginaria tentatio satisfactionis de pusillo grege proprio et absentia anxietatis oecumenicae, pro pastoribus, ita ut non experiantur amplius obligationem proprie dictam motus Oecumenismi. Ab hoc statu animi ad immobilismum erectum in systema gressus est facilis...[4]

Experientia plurium saeculorum nobis praebet tot conamina et deditiones quandoque gradus heroici, quae comparata cum fructibus obtentis, tantum abest ut sit solacio nobis. Exiguus successus unionis restaurandae, satis eloquens videtur argumentum de vitio methodi formationis ad hunc apostolatum

In Collegiis Orientalium erectis in Urbe optimus clerus praeparatus est; sed quoad intellectualem formationem remansit exclusive occidentalis seu ipsi insufficiens. *Hanc vocem « occidentalem » sumo simpliciter cum sensu territoriali.*[5] Id quod saeculo Gregorii XIII et Urbani VIII inevitabilis erat, hodie non est ita: Ingens progressus disciplinarum orientalium reddit faciliorem, in hoc campo, principii huius Concilii applicationem, scil. « aggiornamento », ne immobilismo indulgeamus et commendationes eius de motu Oecumenismi, absque efficacia, ad archivia relegantur...[6]

Confidimus in Dominum quod sub auspiciis S. Patris Nostri Pauli VI, feliciter regnantis, qui praeclara signa dedit particularis attentionis erga Ecclesiam orientis, cuius nomen ipsum pro Pontificatu suo electum est iam in se quoddam symbolum, facultas de qua agitur in effectum adducatur, in complementum et coronam operis incepti a praedecessoribus suis, a Papa Benedicto XV et Pio XI ...[7] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Dolendum valde quod fusio trium schematum, scil. *de Oecumenismo, Ad Unitatem Christianorum fovendam* et *Ut Omnes Unum sint,*

absoluta sit in praeiudicium schematis *Ut Omnes Unum sint* quod iam approbatum fuerat in sessione I huius Concilii.

Quaedam incommoda huius fusionis notata fuerunt ab aliis Patribus. Mea animadversio vertitur circa cap. II paragraphos sub nn. 8 et 9, in quibus decretum sub n. 42 schematis *Ut Omnes Unum sint* mutatum prorsus est. Dilutum ibi est problema oecumenicum orientalium in problemate generali fratrum Reformationis.

Mens illius art. 42 schematis *Ut Omnes Unum sint* erat respondere voto plurium episcoporum, ex toto orbe, proponentium nova incepta culturalia quibus motus Oecumenismi pro oriente melius exerceri posset, praesertim a clero qui operam navat apud orientales. Ideo adumbrata fuerat a commissione praeparatoria *de Ecclesiis orientalibus,* propositio quae tribus necessitatibus satisfacere intendebat: *a*) Instituti seu Facultatis in Urbe Studiorum Theologicorum, specifice pro clero orientali aptatae; *b*) lectionum in seminariis maioribus de rebus orientalibus; *c*) ut aditus pateret in his athenaeis pro fratribus separatis (cf. *Ut Omnes Unum sint,* art. 42, pag. 264).

In cap. autem II *de Oecumenismo,* sub nn. 8 et 9, haec proposita alterata sunt; existimo hoc deberi consilio coniungendi in una eadem formula, necessitates dialogi utriusque coetus fratrum separatorum: orientis et occidentis.

Sed hoc, pro casu, absonum videtur. Etenim Ecclesiae orientales separatae, fere integre, servant revelationem et traditionem; habent cum Ecclesia catholica omnes Patres priorum Conciliorum et disciplinam canonicam, septem sacramenta, sacram hierarchiam, liturgiam, cultum B. Mariae Virginis et sanctorum.

Ideo postulatis pro dialogo oecumenico cleri qui operam navat in oriente adaequate non satisfit simplici commendatione cuiusdam cognitionis doctrinae particularis fratrum separatorum. Cum haec doctrina substantialiter eadem sit ac catholica, si excipias capita post separationem addita. Inde sequitur quod medium efficax ad conferendum nostris, sensum et methodum Oecumenismi erit potius impertire eis disciplinas theologicas iuxta methodum in qua pars biblica et patristica orientalis emineat; quod quaestiones quae momentum particulare habent sub aspectu oecumenico, latius evolveantur. [2] deest. [3] Agitur solummodo de prima basi formationis ecclesiasticae in seminariis aut in universitatibus, quatuor annorum theologiae, quae adhuc hodie non est plene aptata postulatis cleri orientalis, eius fundamentali vocationi oecumenicae apud suos cum quibus diuturnos contactus habiturus est. [4] In hac aula, quidam ex Patribus opportunum censuerunt ut clerus, pro continenti asiatico et africano, instrueretur etiam in cultura horum populorum. Aequales, forte maiores rationes militare videntur pro formatione theologica cleri orientalis iuxta methodum adumbratam. [5] deest. [6] Momentum huius incepti: *a*) formare clerum orientis in sensu oecumenismi tribuendo ipsi *media apta*; *b*) dare ipsi concordiam in cogitando, in sentiendo, in agendo, quae primordialis est, secus Oecumenismi motus, in oriente, potest fieri tanquam infans natus mortuus; *c*) ope huius facultatis praeparare textus manuales *ad usum seminariorum orientis,* ideo textus aptatos postulatis ipsorum. Omitto alias rationes. Maximo solatio est nobis factum quod oecumenismi motus et methodus nunc ab alto promoveatur. Valde gaudendum. Sed meminisse oportet quod principia et normae, ex sese, sola, insufficientia sunt ad inspirandum sensum authenticum et artem oecumenismi catholici. Efficacia nostri dialogi cum fratribus orientis condicionata est maxime

a formatione theologica quae adumbrata erat in art. 42 schematis *Ut omnes unum sint.* Optamus, ut, modo meliori, propositum illud ad pristinum restituatur. [7] f. m.

[*Subscripserunt etiam*] Serapion Uluhogian, arch. tit. Chersonitanus (in Zechia), abb. gen.; C. Sipovič, ep. tit. Mariammitanus; José, ep. Propriensis (Brasile); Leo Lemay, ep. tit. Agbiae.

12

EXC.MUS P. D. HANNIBAL MUÑOZ DUQUE
Archiepiscopus Neo-Pampilonensis

Venerabiles Patres conciliares, carissimi Auditores et Observatores,

Loquar nomine plurimorum episcoporum Americae Latinae, mente ac corde haec verba volvens em.mi card. a Secretis Status, scil. « urget ut sincera unitas animorum foveatur, neve ulla interponantur difficultates et obstacula, quominus unitatis viae et veluti ianuae hac nostra aetate semper et omnibus pateant » ...[1]

Cum cap. II schematis magni momenti sit quoad vitam practicam, facta et adiuncta, quae divisionem inter baptizatos adhuc perdurare et sinunt et fovent, abs dubio in schemate et explicanda et praecavenda erunt prudentia quidem, sed et magna sinceritate ac plena veritate. Secus, ut verbis utar exc.mi Martin, relatoris, « quasi paralizaretur » evangelizatio mundi et dilatatio Regni Dei.

Ad id vero, quae in schemate, pastorali modo, pro pastoribus ac fidelibus de eorumdem officiis dicuntur, scil. de sanctitate vitae et oratione, de instructione fidelium, de fratrum cognitione et cum iis cooperatione, etc., ab omnibus laeto animo praestabuntur, veritatem facientibus in caritate ...[2]

In regionibus tamen nostris Americae Latinae, a saeculis unanimiter fidem catholicam profitentibus, luctuosa facta, peculiarem rerum conditionem constituentia, fortasse a multis vestrum, sit mihi venia, non bene nota, iterum iterumque accidunt, ad quae interpretanda, in caritate et veritate superanda aut praecavenda, criterium sive normas ...[3], in decreto *de Oecumenismo* praestabilire necessarium videtur.

Dialogus enim oecumenicus haberi non potest verus et efficax nisi dialogantes quisque pro suo, bona fide ac sinceritate procedat, ad inveniendam amplectendamque veritatem prompti, et alter de alterius hac bona voluntate conscius sit, dialogo *durante*.[4]

Summarie tamen haec inter perplura facta pandam, dialogo obstantia, quibus mederi oportebit:

1. A conflictu communistico in orientalibus plagis, numerus missionariorum seiunctorum increvit, numero quidem non vero qualitate, in regionibus catholici nominis, laborantium sub specie evangelizandi populos iam evangelizatos in possessione plus quam centenaria et pacifica suae catholicae fidei viventes.

2. Methodus qua saepe utuntur nequaquam in praedicatione sincera veritatis, sed in ...[5] falsorum factorum et verborum allegatione, ut plurimum ...[6] probatum est, praesertim posita est, nec hic *haec omnia recensenda*[7] ne ulcus amarum removeatur.

3. Ac ita coetus et communitates constituuntur, unice aut fere unice compositis a personis a fide catholica deficientibus non tam propter rationes, ut constat, quam propter dona et pecunias eorumdem favore large expensas.

4. Quandoque, et non infrequenter, quidam bona fide aliorum etiam auctoritatem tenentium, quasi abutentes, duplicem quasi gerunt personalitatem. Dum enim publicae opinioni qua cultores artis et scientiae sese exhibent, privatim tamen inter humiles et pauperes proselytismum exercent, protecti a certae speciei prelo internationali, affluentibus mediis oeconomicis, et folia libere distribuunt, quibus non raro delictum singulare universale facientes in catholicam communitatem impetunt.

Nos haec omnia et alia eiusmodi oblivioni sincere damus, et neminem odio habemus, sed faveatis, venerabiles Patres, in hoc decreto *de Oecumenismo* viam monstrare ne pericula augeantur in tam amplissima regione in qua fere tertia pars catholicorum in durioribus vitae conditionibus conversatur. Venerabiles Patres, praxis Oecumenismi in America Latina non iisdem viis incedere potest quam alibi, quis prudens haud videre nequit?

Quomodo *enim*[8] discerni potest is qui bona fide, sincera voluntate agit ab eo qui alio modo conversatur, cum tam gravi animarum, et Ecclesiae et causae unitatis detrimento?

An sufficiat ut quis sese declaret non catholicum, etsi antea vere catholicus, ut possit notam bonae fidei mereri? Contra id quod statuit Concilium Vaticanum I: « Illi enim qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt nullam umquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eamdem revocandi » ...[9]

An sufficiat ut quis sese declaret pastorem alicuius communitatis, suo proprio marte etsi nec ipso Consilio Ecclesiarum Oecumenico aures docibiles praestet, ut considerari possit interlocutor bonae fidei? ...[10]

Schema in hac magni momenti parte practica ullam viam non indicat. Res facile non solvitur, sed solvenda est, nec dicatur sufficere ut in Directorio a coetibus episcoporum edendo, hae viae indicentur, cum luctuosa experientia teste, non raro legem episcopalem plus exigere quam Apostolicae Sedis aut Concilii Oecumenici *praecise*[11] ad eamdem inoboediendam ...[12] ostendetur. Gravia facta ponderanda sunt ad graviora pericula vitanda et ad securiorem firmioremque unitatem componendam.

In hac hora decisiva ac historica, anxio animo, evangelicorum verborum pondere gravato dicentium « qui non est pastor sed mercenarius, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem et dimittit oves et fugit » ...[13], vos Patres conciliares, deprecor in Domino, ut detis in ipso schemate, ad haec mala radicitus evellenda, unionemque omnibus viribus assequendam, normas definitivas quibus nos, pastores, oves nostras defendere ac in tuto semper ponere possimus simul ac certum veri nominis Oecumenismum servare. Aliunde actio nostra pacifica, si cotidie calumniis oneratur a publica opinione sine examine admissis, impossibiliter evolvitur ac omni exitu carebit. Premit enim animum crescens in dies numerus eorum qui non in aliam, ut ita dicam, fidem transeunt, sed in pessimum indifferentismum ac practicum atheismum, ut iam in aula audivimus.

Denique necessarium videtur ut, sicut iam pro aliis schematibus provisum est, Directorium normarum particularium edatur a Patribus cognoscendum antequam ad definitivam approbationem huius decreti deveniatur. Et etiam nunc temporis ancipites haeremus quid, iis Concilii Sessionibus expletis, respondere debeamus sacerdotibus ...[14] nobis obviam venientibus ac quaerentibus quomodo sese gerere debeant, firmis fide et oboedientia, inter tot et tam varia publica commenta de Concilio. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Et haud certus esse non possum quod post meam humilem, ut dici solet, aliae voces altiores et merito et scientia praeclariores audientur in hac amplissima aula. Mihi liceat, animi relaxandi causa, dicere, pluribus Patribus, ut et mihi, placere cap. IV et V, nuper proposita, aliis in locis inseri et tractari, ex rationibus iam dictis, sed et ex necessitate rem gravem maturius perpendendi ab omnibus, in qua festinanter procedere absonum videretur. [2] (*Eph.* 4, 15). [3] ut ita dicam. [4] perdurante. [5] atrocibus calumniis, falsis factis allegatis. [6] iam. [7] recensendis. [8] deest. [9] (Denz. 1794). [10] etc. [11] deest. [12] mendaciter. [13] (*Io.* 10, 12 ss.). [14] et aliis apostolicis laicis.

[*Subscripserunt etiam*] José Clemente Maurer, arch. Sucrensis, Bolivia; Gustavo Posada P., vic. ap.; Augusto Trujillo Arango, ob. Jericó; Buenaventura

Jáuregui, ob. Zipaquirá; Arturo Duque Villegas, arz. Manizales; Ramón J. Castellano, arch. Cordubensis in Argentina; Alfonso Buteler, arz. Mendoza; José M. Medina, ep. tit. Termessensis; M. J. Blanchoud, ep. Rivi Quarti; Pedro Lira, ep. Franciscopolitanus; José Terceiro, bispo Penedo, Brasil.

13

Exc.mus P. D. BERNARDINUS PIÑERA CARVALLO

Episcopus Temucensis

Venerabiles Patres,

Loquar in nomine decem archiepiscoporum et episcoporum chilensium et quidem brevissime.

1. In par. 4 cap. II legitur: « Omnis interior Ecclesiae renovatio causa est cur motus versus unitatem properetur ». Legitur etiam: « Spiritualis fidelium renovatio insigne obtinet momentum oecumenicum ». Et ad modum exempli talis spiritualis renovationis exhibentur casus renovationis pastoralis recentioris.

Desideratur in hac paragrapho quaedam exhortatio ad renovationem spiritualem fidelium sub aspectu maioris renuntiationis bonorum temporalium; maioris propensionis ad indigentes iuvandos, necnon servientes et amandos, immo et cum eis convivendum; maioris conatus ad iustitiam socialem instaurandam; et ad ordinem socialem condendum, fraternum, absque miseria et absque opulentia.

2. In par. 6 omnes christifideles vocantur « ad puriorem et magis evangelicam vitam » quo « christianorum unio melius promovetur ».

Omnino optandum est ut vita evangelica ad quam fideles invitamus, etiam reluceat in aspectu exteriori vitae Ecclesiae.

Unde vehementer desideramus suppressionem omnium aspectuum sive divitiarum, sive humanae dominationis, sive splendoris, qui adhuc in Ecclesia apparent, v. g. in titulis, in habitu, in honoribus, in caeremoniis et in modo vivendi praelatorum.

Quae suppressio etiam oecumenicum habet momentum et interiorem renovationem exprimit et confirmat.

Etenim non catholici et etiam nonnulli catholici, tales aspectus, haud conformes evangelicae simplicitati iudicant, et, cum aliunde, saepe non cognoscant nos, intimiori modo, quales simus vel esse conemur, accipientes apparentias pro realitate, a nobis et ab Ecclesia separantur.

3 et ultimo. Magnum etiam oecumenicum habet momentum, praesertim in America Latina ubi sic dictae « sectae protestantes » saepe

pauperrimae sunt, ut in administratione bonorum ecclesiasticorum nostrum traditionalem criterium renovemus.

Vires nostras omnes, media nostra oeconomica omnia, statim hodie, evangelizationi et servitio fratrum nostrorum in ignorantia et paupertate degentium, consecremur.

Christiani etenim, in fide, spe et caritate viventes, sunt supremum et unicum Ecclesiae thesaurum.

Facta, non verba a mundo sperantur. Dixi.

14

EXC.MUS P. D. LUCIANUS LEBRUN

Episcopus Augustodunensis

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

In quantum episcopus Augustodunensis in Gallia de oecumenismo aliqua verba facere vellem quia in mea dioecesi exstat celeberrimus hodie ille pagus qui vulgo Taizé dicitur, ubi nuper fundata est communitas monastica a fratribus ex Reformatione provenientibus, cui nomen est in lingua gallica: « Communauté des Frères de Taizé », i. e. « Communitas Fratrum in pago Taizé commorantium ».[1]

Liceat mihi *imprimis*[2] sensum fiduciae in futurum exprimere, postquam omnia audivi quae *iam*[3] dicta sunt in disceptatione schematis *de Oecumenismo*. Bonam spem retinemus quod tandem aliquando, sepositis omnibus obstaculis quae adhuc exstant in via ad unitatem, omnes baptizati gaudere poterunt de expletione orationis Domini: « Ut sint unum ».

Haec nostra spes oritur ex sensibus animi, quibus affecti sumus in variis congressionibus cum fratribus nostris seiunctis. Tales congressiones ab ipsa Providentia praeparatae sunt, ut patet ex facto quod ...[4] non longe ab aedibus antiquissimae abbatiae cluniacensis *apparuit nostris hisce temporibus communitas de qua diximus — Communitas Fratrum Taizé — ubi vitam plene monasticam ad instar monachorum catholicorum fideliter perducunt.*[5]

Iam a multis annis conveniunt in hunc pagum Taizé, tamquam in locum oecumenismo plene imbutum, episcopi catholici, pastores protestantes, fideles ecclesiae orthodoxae, ut in communi orationes fundant, et propria cogitata invicem exponant. Huiusmodi congressiones providebantur in decreto S. Officii, a. 1949, et habebantur cum *eiusdem*

S. Officii[6] licentia necnon cum incitamento personali Summorum Pontificum veneratae et felicis recordationis, Pii XII et Ioannis XXIII.

Per decursum vitae meae clericalis et sacerdotalis, numquam adhuc habueram occasionem cum fratribus seiunctis colloquium habendi, et proinde aliquam diffidentiam et multa praeiudicia percipiebam in corde meo erga omnes illos seiunctos, qui mihi per decursum studiorum meorum saepe exhibiti erant plus quasi hostes, quam quasi fratres.

Nunc autem saepissime notavi, quod talia praeiudicia subito ad nihilum redigebantur in colloquiis cum fratribus nostris seiunctis; etenim apud eos ...[7] expertus sum eumdem amorem erga Christum Dominum, eamdem voluntatem ferventem restaurandi nostram unitatem; hoc modo sensus diffidentiae mutati sunt in aestimationem mutuam, in amicitiam fraternam in Christo; et tales nostrae animae dispositiones confortatae sunt in hoc Concilio Vaticano II.

Concludendo, in lucem ponere vellem id quod in talibus colloquiis mihi omnino necessarium videtur, scil.: *caritas non ficta,*[8] sinceritas absoluta sine dolo et malitia, fiducia antecedens erga fratres illos qui baptismum sicut et nos receperunt, et proinde nobiscum membra facti sunt populi Dei, et qui etiam non raro eumdem amorem servant erga Dei Genitricem, necnon eamdem fidem in Ss.mam Eucharistiam profitentur.

Mundus hodiernus non credit in Christum, *venerabiles Patres*[9]; quomodo autem ad fidem converteretur, si divisiones videret in eis, qui eumdem Christum Dominum invocant?

Utinam mites et humiles efficiamur ad instar divini Magistri, *ut*[10] sic accelerare possimus tempora unitatis restituendae « ut credat mundus ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] in nostra dioecesi Augustodunensi in Gallia. [5] nuper fundata est nova communitas a fratribus ex Reformatione provenientibus, cui nomen est in lingua gallica: « la Communauté des Frères de Taizé », i. e. « Communitas Fratrum in pago sic dicto Taizé commorantium ». [6] deest. [7] omnes. [8] deest. [9] deest. [10] et.

Moderator: Loquatur exc.mus D. Henricus Golland Trindade, arch. Botucatuensis in Brasilia. Et deinde transitus fiet ad cap. III *de Oecumenismo*.

15

Exc.mus P. D. HENRICUS GOLLAND TRINDADE
Archiepiscopus Botucatuensis

Loquar nomine meo et aliorum Patrum ex quinque nationibus necnon, certus sum, aliorum non paucorum qui *hunc interventum non subsignare potuerunt.*[1]

Loquar de paragrapho sexta, ad caput II.[2]

Ea quae cap. II dicit: « de interiore Ecclesiae renovatione ...[3], de conversione cordis ...[4], de sanctitate vitae ...[5], de oratione unanimi ...[6] », legimus magna cum fiducia *et maiori spe.*[7]

Quid amplius vel melius attendere vel desiderare possumus ab hoc Concilio Oecumenico Vaticano II, ut sit ipsum in veritate et in profunditate et etiam in ostensione, vere pastorale, vere oecumenicum? Sed, venerabiles Patres, parcite mihi, si dicere audeo, humiliter sed firmiter, Conciliis praeteritis docentibus, quod haec omnia maximi momenti, a commissione, laudibus digna, exarata — ne tantum tempore futuro, in libris et codicibus et bibliothecis, invenienda esse, sed quamprimum, in vita nostra, qui legislatores et pastores sumus, et forma gregis vocamur ...[8] et quia de magna gratia huius Concilii, Deo rationem reddituri sumus. *Nunc est tempus opportunum.*[9]

Pro oecumenismi exercitio ...[10] mihi humiliter videtur, ut vis praecipua et quae substitui non potest, esse id quod hodie vocatur « opinio publica ».

Sed meminisse iuvat hanc opinionem publicam non esse a nobis formandam tantum conferentiis, prelo, cinematographia, radiophonia, televisione et ceteris instrumentis, sed praesertim exemplis *cotidianis*[11] vitae Ecclesiae, i. e., exemplis pastorum, sacerdotum, religiosorum et laicorum. Prelum, radiophonia, etc., nec semper nec facile sub potestate nostra sunt. *Sed*[12] inimici nostri, quam plurimi, horum et aliorum instrumentorum communicationis, usum et abusum habent, proh dolor, quasi ubique terrarum. Exempla, autem, verae vitae evangelicae — de qua cap. II loquitur — tantummodo a nobis, christianis, scil. pastoribus et fidelibus, pendet, et pretium unicum est gratia Dei et assensio nostra cum generositate. De renovatione *faciei*[13] Ecclesiae, Ioannes XXIII et Paulus VI, Pontifices maximi, secundum Cor Christi, aperte locuti sunt. Ne vereamur nos, in nomine tantorum Pontificum adunati, de ea, serius cogitare et loqui, cum par. 6 nostri capitis felicem exitum exercitii oecumenismi ponit in vita christiana magis evangelica, *sic*: *in vita christiana*

magis evangelica[14] quae vim habet specialem, christianos separatos et non christianos, ad sinum Ecclesiae, attrahendi.

Vita evangelica, scimus omnes, est vita Christi, qui, per psalmista ...[15] dicit: « pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea... », et, divinis suis labiis de seipso affirmat: « Spiritus Sanctus super Me, propter quod, unxit me, evangelizare pauperibus misit me ... » ...[16]. Et Ecclesia cum de perfectione evangelica docet, commemorat semper unam, cum oboedientia et castitate, paupertatem veram, non solum quoad spiritum (quae paupertas *in spiritu*[17] omnibus qui omnia habent valde arridet, et proh dolor, etiam nobis, religiosis *et ecclesiasticis,*[18] et nos, proh dolor, tranquillos *regit*[19]) sed paupertatem realem, *ut Christus,*[20] etsi non miseriam vel egestatem. *Et*[21] paupertas realis, voluntaria vel ex animo prompto accepta, humilitatem, bonitatem et simplicitatem parit, virtutes quae maxime, ut ita dicam, atmospheram genuine *oecumenicam*[22] faciunt.

Concludendo, submisse propono, ut conclusioni huius capitis addatur alia par. 12, iis vel aliis verbis:

« Pro oecumenismi exercitio, absolute necessarium videtur " opinionem publicam " ex vita Ecclesiae vere evangelica, i. e. paupere (non solum in spiritu), formare, ut omnes, christiani et non christiani, divites et pauperes (qui divitias nostras, etiam apparentes, vehementer abhorrent) — atmospheram propitiam, *quam citius et quam securius inveniant*[23] pro dialogo fraterno et pro Iesu Christi inventione, quod est finis principalis oecumenismi, *de quo Concilium Oecumenicum Vaticanum II tam sapienter et opportunissime loquitur*[24] ». Deo gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] non subscripserunt. [2] Ad caput II, par. 6, *de Oecumenismi exercitio.*

Sicut « primus inter pares », fulget schema de Oecumenismo ad quod, omnes homines bonae voluntatis, magna repleti spe, respiciunt. Ecclesia, numquam, ut mihi videtur, modo sic solemni, et ut ita dicam, quasi ex professo, sicut in hoc concilio, de oecumenismo locuta est. Ut societas Christi visibilis, portas aperit, et sicut mater omnium aperit cor et ut Magistra clamat, cum Christo: Venite ad me omnes... (*Mt.* 11, 18). Insuper, exiit Ecclesia foras, et non solum vocat omnes omnino homines, christianos et non christianos, pauperes et divites, sed adhuc per vicos et plateas, ut bonus Pastor, eos quaerit, ut fiet unum ovile, in veritate et in caritate. Sic, humiliter, cap. II *de Oecumenismi exercitio*, mihi apparet. Oecumenismus, enim, qui a non paucis videtur progressus verus Ecclesiae hodiernae, forsitan, definiri possit: « motus in Ecclesia, ex natura ipsius (Ecclesiae), Spiritus Sancti lumine, Christi caritate et zelo animarum, ortus — firmis principiis dogmaticis et moralibus, vias quaerendo Christum vivum inveniendi et veritates et virtutes ab eo praedicatas, in vita e moribus christifidelium contemplandi, omnibus hominibus desiderium facilitatem praebeat. Eo quod, magna

cum gratitudine, erga sedulam commissionem de Oecumenismo, hunc perpulchrum caput II meditamus, plenum gratia et veritate et fortitudine, ita ut, si fideliter in vita et in verbis et in exemplis a nobis vivificetur, iam esset — ut humiliter censeo — fructum uberrimum et optatissimum, a pluribus, huius Concilii Oecumenici Vaticani II. [3] (par. 4). [4] (par. 5). [5] (par. 6). [6] (par. 7). [7] deest. [8] (*1 Petr.* 5). [9] deest. [10] (cap. II). [11] deest. [12] Et. [13] deest. [14] deest. [15] (*Ps.* 87, 16). [16] (*Lc.* 4, 18). [17] deest. [18] deest. [19] reddit. [20] deest. [21] deest. [22] oecumenismi. [23] deest. [24] quam citius et quam securius inveniant.

[*Subsignaverunt etiam*] Antonius Pildáin, ep. Canariensis; Angelus Cuniberti, vic. ap. Florentiae; Ioseph Nepote, ep. tit. Helensis; Clemente José Carlos Isnard, ep. Neo-Friburgensis; Paul Gouyon, arch. coad. Rhedonensis; Tullius Botero Salazar, arch. Medellensis.

Moderator: Nunc transitus fit denuo ad cap. III: de christianis ab Ecclesia catholica seiunctis.

16

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Venerabiles Patres,

Iam *de Oecumenismo* in genere et in specie plura a pluribus pluries dicta et repetita sunt. Vellem aliquas considerationes iuxta cap. III breviores facere, quin, ut spero, patientia vestra abutar, quae, specialiter in ultimis diebus huius sessionis, ad limites forsitan suas pervenit.

Hoc caput multa pulchra de orientalium divitiis proponit. Timeo tamen ne haec expositio sine effectibus concretis maneat.

Mihi venit notare tria puncta circa relationem catholicorum et non catholicorum orientalium, analogia utendo trium viarum vitae spiritualis ab auctoribus theologiae asceticae et mysticae praestitarum: nempe viae purgativae, viae illuminativae et viae unitivae.

1. *Via purgativa.* Oportet nos omnes, catholici et non catholici, purgemur ab omnibus praeteritae historiae separationis praeiudiciis, odiis et eorum influxibus, quae e fratribus, sanguine Christi Domini redemptis, faciunt quasi inimicos, et non christianis scandalum praebent. Haec liberatio, voluntati Christi respondet et ad mundi aedificationem ducit.

Usque nunc in nocte huius viae purgativae ambulamus, et a nobis, ut ad lucem perveniamus, strenuus labor exigitur.

2. Haec liberatio ad *viam illuminativam* conducit, quia cognitio obiectiva reciproca divitiarum absconditarum spiritualitatis, theologiae

et liturgiae esse non potest, si adhuc intelligentia et cor nostrum illis praeiudiciis laborant. Ideoque ignorantia, quae a Patribus vocatur mater omnium vitiorum, repellenda est. Seminaria nostra et theologiae facultates parata sint oportet, ad facienda quae necessaria sunt ad illam cognitionem obtinendam. Vita concreta etiam, plena esse debet experientia religiosa valorum sic dictorum alterutrius.

3. Et sic *via panditur ad unionem*. Unio, gratia Dei donum est, et fiet quando et quomodo Deus ipse vult. Sed amor unionis qui a cognitione obiectiva fluit, non erit in amplexibus amatum suffocantibus, « Il l'a trop embrassé pour mieux l'étouffer », ut dicitur gallice, sed in osculo caritatis et verae fraternitatis. Privilegia omnia orientalium, traditiones, munera, a tempore immemoriali vigentia, divitiae eorum concrete servari debent, ut sit unitas in varietate, quin perveniamus ad illam reductionem, quae in damnum unius vel alterius esset. Pulchritudinis elementa constitutiva secundum Aristotelem sunt: proportio, splendor partium et varietas in unitate. Illa varietas in unitate pulchritudinem Ecclesiae maxime constituit.

Haec sunt quae multum ad unionem iuvant. Et ut verbis Concilii Hierosolymitani utar: « Visum est enim Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam necessaria... ». « ... Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? » (*Act.* 15, 18 et 15, 10). Dixi.

17

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres,

Schema in sua tendentia et generalibus delineamentis laude dignum censeo. Liceat mihi tamen aliquas animadversiones proferre, nam opus est ut clare et definite loquamur, cum sancta audacia et generositate; sincera voluntas unionis christianorum manifesta fiat omnibus hominibus.

1. In cap. III alluditur ad causas separationis, at — ni fallor — sat unilateraliter. Ita n. 12 ...[1] de orientalibus dicitur: « separationum ansam praebuerunt formae modique diversi quibus haereditas ab apostolis recepta est ... », et n. 19 ...[2] de Protestantibus, de exaggerata extollentia transcendentiae revelationis Dei in Christo ... *Ergo solum causae separationis doctrinales adducuntur.*[3]

Peccatum, et forsan diabolus qui[4] certe in separationibus partem habuerunt, silentio praetergrediuntur.

Causae separationum humanae, extra-religiosae, nec memorantur. Diversitas linguarum litterariarum graecae et latinae; divisio et postea separatio Imperii Romani; institutio Imperii occidentalis Francorum et *Germanorum*[5]; in dies crescens diversitas mentalitatis et disciplinae, praesertim clericalis, quae in occidente specialiter vivum impetum suscepit ex motu clunyacensi; latinisatio totius occidentis, dum in oriente graecisatio non imponebatur, unde maxima pars Slavorum in sphaeram graecam incidit, in occidente autem ...[6] maxima pars Germanorum ab Ecclesia defecit etc. Hae omnes causae quae in separationem magnum influxum exercuerunt non iam exsistunt: coniunctio Ecclesiarum cum statu civili, tum in oriente tum in occidente, iamdiu ad tempus actum pertinent, nec Ecclesia ullam latinisationem imponere intendit. *Utinam cessante causa cesset iam effectus.*[7]

2. In re dogmatica maior claritas desideratur, praesertim quoad Primatum Romani Pontificis, sine quo iam nunc, post Vaticanum I, unitatem Ecclesiae describere impossibile est. Verum est in cap. I, pag. 7 ...[8], B. Petrum qui fratrum suorum collegio praeest nominari. Postea in cap. III, pag. 20 ...[9], aliquo potius confuso modo dicitur: « arbitra Sede Romana *ex* communi consensu ». Exercitium Primatus in primis saeculis non fuit « ex communi consensu », sed ex institutione Christi. Posset forsitan melius dici: « *cum* communi consensu »...[10]

3. Non video etiam cur insistatur, relate ad orientales, in rebus quae pro maiori eorum parte nullum valorem habent. N. 13 ...[11] in mentem revocatur in oriente non paucas Ecclesias particulares « ab ipsis apostolis originem duxisse ». Item n. 14 ...[12] sermo est de apostolica origine quibus Ecclesiae orientales iure gloriantur. Sed nec Ecclesia Russica, nec Serbica, nec Rumena nec Bulgara, nec ipsa Constantinopolitana, quae omnes simul longe maiorem partem orientalium fratrum continent, ab apostolis fundatae sunt. Praeterea Ecclesiis Slavicis, quae longe maiorem partem orientalium repraesentant, Patres graeci nescio qua ratione magis pertineant quam Ecclesiae catholicae romanae.

4. Longe maioris momenti est ...[13] in hoc Concilio bene et praecise definiatur et decernatur in quanam conditione fratres a nobis seiuncti in unionem visibilem Ecclesiae intrare possint. Titulus schematis sonat: « Decretum ». Reapse, uti nunc iacet, quasi nihil in schemate decernitur, sed est potius quaedam Instructio vel Adhortatio.

N. 16 ...[14] dicitur observantiam principii « de diversitate in unitate » esse praeviam conditionem ad unionem restaurandam. *Et bene dicitur sed solum in genere.*[15] N. vero 18 ...[16], titulum portat: « De necessariis

conditionibus ad unionem feliciter restaurandam » sed de conditionibus nihil habet nisi dictum in *Act. Ap.* 15 ...[17], verba quae paulo antea audivimus a Beatissimo Patriarcha: « nihil ultra imponere oneris quam necessaria ».

Ni fallor, Concilium explicite, clare et definite decernere deberet aliquas saltem conditiones, et quidem:

a) Communitates tam orientales quam occidentales, in unionem intrantes, structuram regiminis, quam actu possident, retinere possunt, quatenus cum constitutione hierarchica et monarchica Ecclesiae componi potest, dummodo Primatum iurisdictionis Romani Pontificis agnoscant.

b) Etiamsi Ecclesia occidentalis ob maius bonum commune clericis observantiam caelibatus praescribat, nihilominus aequalem dignitatem agnoscit sacerdotio presbyterorum in Ecclesia orientali qui in matrimonio christiano vivunt. Pariter ministris in communitatibus separatis occidentalibus, qui in matrimonio vivunt, ordines sacri conferri possunt.

c) Nulla latinisatio, specialiter non illa liturgica, fratribus nunc separatis imponitur.

d) Fratres a nobis separati qui hac ratione ad unionem pervenient, nullatenus in Ecclesia uti christiani secundi ordinis aut minoris dignitatis habendi sunt. Omnia iura ad participationem in vita et activitate et gubernatione Ecclesiae secundum iustam, pro posse, aequalitatem cum aliis fidelibus « latinis » etiam ipsis concedenda sunt.

Haec, venerabiles Patres, vestrae considerationi et decisioni, submittere audeo. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] pag. 20, linn. 7-11. [2] pag. 23, linn. 14-18. [3] deest. [4] Diabolus et peccatum, quae. [5] Germanici. [6] postea. [7] deest. [8] linn. 25-27. [9] lin. 18. [10] Similiter n. 18, pag. 23, linn. 1-2 dicitur: « officium Romanae Sedis, cuius est praesidere in caritate ». Locutio quidem est patristica, sed ansam posset praebere alicui tendentiae diminuendi vim primatus. [11] pag. 20, linn. 21-22. [12] pag. 14, linn. 13-14. [13] ut. [14] pag. 22. [15] deest. [16] pag. 22-23. [17] 28.

18

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZALEZ

Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres, Observatores et Auditores dilectissimi,

Cum prooemium non adsit in cap. III schematis *de Oecumenismo,* nos impedit quominus iudicium adaequatum proferamus quoad modum praesentandi eos qui protagonistae dialogi oecumenici dici possunt.

Multa quidem elementa praeclara invenimus in schemate, sed desideramus textum magis harmonicum et ad stylum oecumenicum conformatum. Ad hoc tendunt observationes quae sequuntur:

1. Dialogus oecumenicus, nisi verbi significationem illegitime extendamus, complectitur: *a*) solos christianos (quapropter alius locus pro iudaeis quaerendus est), et *b*) omnes christianos, nullo quidem excepto.

Nunc vero, textus noster est imperfectus: *a*) imprimis in classificatione proposita (scil. orientales et communitates exortae post saec. XVI), quae vere est inadaequata, nam duplici criterio utitur: geographico pro orientalibus, chronologico pro protestantibus; aliunde, ut iam dictum est, non omnes christianos complectitur: sunt enim coetus, ut Valdenses, qui, etsi orientales non sunt, ante saec. XVI apparuerunt; *b*) enumeratio communitatum caret sensibilitate oecumenica, quia omittit confessiones, ut Veteres catholicos, et Anglicanos, et silet etiam de Consilio Oecumenico Ecclesiarum, cuius observatores quotidie praesentes in aula conciliari satis suam voluntatem ostendunt dialogi ineundi cum Ecclesia Romana.

2. Descriptio, cuius imperfectionem extensivam indicavimus, imperfecta etiam est dicenda sub aspectu intensivo: *a*) iam hic in aula conciliari plures omissiones indigitatae sunt: de Eucharistia, de successione apostolica, etc.; *b*) certe posset amplior elenchus omissionum confici, a quo tamen desistimus tum quia conscii sumus nos omnia enumerare non posse, tum quia conatus enumerationis exhaustivae aequilibrium schematis turbaret; descriptio enim satis explicita esse deberet, ne sicca et schematica nimis exhiberetur.

Nonne erit criterium quo haec deficientia oecumenica sanetur, quodque viam aperiat expositioni perfectiori sive protagonistarum dialogi oecumenici sive elementorum, quae eorumdem positionem christianam constituunt?

3. Existimamus criterium quidem existere, et maxime oecumenicum, nempe ministerium ecclesiasticum.

A) Profecto hodie praevalet tendentia quae agnoscit in ministerio elementum essentiale Ecclesiae, ac simul criterium veritatis eiusdem. Ceterum, unanimis est consensus in collocando ministerium tamquam centrum dialogi oecumenici, quod etiam hoc Concilium Vaticanum II facere posset et deberet: *a*) imprimis quia hoc postulant ducentae confessiones christianae in Consilio Oecumenico Ecclesiarum inscriptae, concordes in admittendo — ut in recenti conventu in Montréal patefecerunt — ministerium esse primarium argumentum oecumenicum, a quo omnes quaestiones Oecumenismi pendent; *b*) deinde quia optime correspondet propositis huius Concilii nostri, quod intendit praecipue illustrare Ecclesiologiam ope cuiusdam revisionis earum relationum, quae omnes ad ministerium referuntur; sic Primatus-Episcopatus, Episcopatus-Presbyteratus, Hierarchia-Laicatus. Et haec omnia in perspectiva actionis pastoralis, oecumenicae et missionariae Ecclesiae.

B) Hoc quidem ministerium, si ut criterium selectionis et praesentationis protagonistarum in dialogo oecumenico acceperimus, facile defectus subnotati cap. III corrigentur: *a*) classificatio quae simul sit adaequata et absque omissionibus quae offendere possint in dialogo oecumenico sequens esset: dum in Ecclesia catholica ministerium exhibet constitutionem duodecim apostolorum et tenet hereditatem apostolatus et Primatus Petri, duae interpretationes clare definitae vigent apud ceteras communitates ecclesiales: sunt enim ecclesiae quae alio vel alio modo Primatum reiciunt (Orthodoxi, Veteres catholici, forsan Anglicani), licet episcoporum successionem apostolicam retineant; sunt autem aliae ecclesiae quae, praeter Primatum, episcopatum ipsum negant, etiam si aliquae inter ministros suos connumerent episcopos, quos tamen tamquam sacerdotes non habent. Et hoc quidem quoad classificationem; *b*) etiam protagonistarum descriptio potest et debet ad hoc criterium reduci. Non est cur hic faciamus Ecclesiologiam comparatam, nec ut elenchum instituamus omnium elementorum christianorum quae apud singulas confessiones vigent; potius recolenda forent elementa valoris oecumenici, quae fundamentum praebeant dialogo, qui instituendus est circa ministerium ut thema centrale Oecumenismi.

C) Magna commoda ex hac dispositione proveniunt: *a*) Concilii requisitis aptatur: est enim dispositio pastoralis, *cum centrum quaerat in episcopo, qui ex officio pastor est. Est etiam positiva,*[1] quia in lucem trahit praecipuam inter quaestiones oecumenicas, ipsique suam solutionem afferre intendit. *b*) Naturae ipsius Oecumenismi correspondet. Oecumenismus enim duplicem faciem ostendit: aliam doctrinalem, ac-

tionis alteram. Quod attinet aspectum *doctrinalem,* dialogus reponi debet in profundiore investigatione praesentiae Christi in Ecclesia *sua* [2]; quam praesentiam alii concipiunt ut non manifestandam per signa visibilia ne periculum subeat unicitas Christi ipsiusque actio salvifica; alii vero hanc praesentiam manifestandam concipiunt in mundo et in historia ope ministerii et in persona ministri tamquam signi visibilis actionis salvificae Christi. Dispositio quam proposuimus favet etiam Oecumenismo quatenus *actionem* respicit: quia ex una parte renovatio ecclesiologica et pastoralis foecunda est pro ipso dialogo oecumenico; ex alia parte, requisita dialogi oecumenici stimulum praebent ad inveniendum figuram idealem pastoris in grege Christi.

Conclusio. Enucleetur hoc cap. III ad lucem doctrinae de episcopatu, prout est quaestio princeps in Oecumenismo, i. e.: 1. ministerium adhibeatur ut clavis aptae classificationis protagonistarum dialogi oecumenici; quae talis sit ut ansam non praebeat novis difficultatibus in actione Consilii Oecumenici Ecclesiarum, multas ob causas benemerentis, et simul adiumentum positivum constituat ad promovendum dialogum iam inchoatum; 2. seligantur valores illi christiani uniuscuiusque confessionis qui ad ministerium ordinem dicunt; sic enim basim sufficientem instituimus ad dialogum illum oecumenicum, quin incidamus in omissiones vel impraecisiones descriptivas, quae, ut iam saepe diximus, ipsi dialogo nocerent. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

19

EXC.MUS P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK

Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

Em.me Praeses, venerabiles Patres et Fratres,

Loquor etiam nomine aliquorum aliorum episcoporum, et consentio iis qui propugnant ius ecclesiasticum orientale distinctum, et schema distinctum de Ecclesiis orientalibus.

Nunc tria habeo animadvertenda ad cap. III de Oecumenismo quorum duo trado secretariatui, et unum tantum propono vestro sapienti iudicio, nempe de una ex conditionibus necessariis ad unionem instaurandam cum fratribus orientalibus separatis.

Iam inter tales conditiones in n. 18 recte citatur sequens [1]: Auferre

nempe[2] denique « parietem » dividentem Ecclesias orientales et Ecclesiam occidentalem; quae paries in decursu historiae saepe quidem, sed transitorie sublata fuit, praesertim tempore Concilii Florentini; quae tamen, proh dolor, denuo interponitur, *tamquam murus dividens duas partes urbis Berolini.*[3]

Iam vero, schema nostrum, ut motui oecumenico melius prospiciat, addere debet rationem cur talis « paries » denuo interponitur, *secundum sapiens consilium: principiis obsta.*[4] Talem rationem invenimus in hoc quod unio quaerebatur ab utraque parte *ex motivis non pure supernaturalibus, et ecclesiasticis,* sed saepe ...[5] ex motivis praesertim temporalibus et politicis. Talia motiva temporalia et politica non sufficienter removebant causas quae revera separationem adduxerant, et quae adhuc nunc perdurant; utique in minori gradu in periodo nostra oecumenica, *sed adhuc perdurant,*[6] et efformant vera impedimenta seu « parietes » inter ambas Ecclesias.

Haec praecipua[7] impedimenta sunt sequentia:

1. ...[8] Motiva politica, quae abutuntur influxu religionis christianae ad ambitiones nationales promovendas; ad reiciendam omnem communionem religiosam, quam appellant « dependentiam ab extraneo influxu, v. g. Sedis Romanae », tamquam nocivam independentiae politicae, atque independentiam ...[9] religiosam considerant ut altum gradum patriotismi. *Omne tentamen relationes renovandi cum Sancta Sede considerant ut periculosum pro Ecclesia et natione.*[10]

2. Particularismus *religiosus.*[11] Saepe Ecclesia ita incorporatur in vitam populi, ut fiat forma quaedam vitae nationalis populi christiani ...[12]. Et aliquando talis ut populus in periculo versatur a parte populorum vicinorum perdendi suam existentiam. Tunc Ecclesia particularis talis populi identificatur cum tali populo et fit propugnatrix eius existentiae. Si praeterea talis populus luctari debet contra nationes vicinas christianas ad suam existentiam defendendam, tunc Ecclesia particularis populi periclitantis considerat Ecclesiam nationis vicinae quasi ...[13] inimicam, et praecluditur contra omnem influxum communionis religiosae cum Ecclesia « inimica ». Si tunc oriuntur religiosae dissensiones inter ambas Ecclesias, facile erumpuntur inter eas dissidia et schismata. Et si tales dissensiones diutius perdurant, firmantur in vera praeiudicia. Tunc necessaria est *amplitudo spiritus et mentis non ordinaria,* ut homines viventes in tali religioso particularismo intelligere possint, quod *religiositas hominis eo nobilior et purior fit,* quo minus est particularis; et quod homo potest amare suam patriam melius eique fidelius servire, quando pertinet ad Ecclesiam quae transcendit limites suae stirpis, ad Ecclesiam nempe universalem, catholicam. Ad haec motiva *quae*[14] in-

voluntaria atque inconscia *sunt saepe* [15] addenda sunt *alia* [16] motiva potius voluntaria, *de quibus tantum unum citabo* [17]:

3. *Sufficientia sui* ...[18]: utraque pars se ipsam considerat superiorem. Nemo vult cedere alteri et agnoscere suos defectus. Utraque pars gloriatur sua haereditate spirituali: sua cultura, suo patrio sermone, sua traditione, suis consuetudinibus, suaque historia; *sic, ut unum exemplum afferam*: Ecclesias particulares, sic dictas « *unitas* », considerare tamquam impedimentum pro futura globali unione, atque, quod dolendum, ab Ecclesia Romana postulare abolitionem talium Ecclesiarum, tamquam conditionem praerequisitam pro omni pertractatione ulteriore cum Ecclesia Romana; ac si Ecclesiae particulares *unitae* [19] essent Ecclesiae spuriae, et non genuinae Ecclesiae orientales. *Et propter hoc praeiudicium Ecclesia nostra in patria nunc multum patitur.*

Et nunc addo [20]: revera plura ex istis motivis in nostra aetate *feliciter minuuntur,* sed non adhuc evanescunt. Si non existerent, unio fieret nunc. Sed secundum verba Summi Pontificis *ipsius* [21] Pauli VI *ab unione adhuc longe distamus!* Utique, hodierna die toto corde et animo, opitulante Dei gratia, intendimus, *etiam nos catholici orientales* [22] de medio auferre talia motiva, seu parietem nos separantem a fratribus nostris *separatis,*[23] recognoscendo quid *positivi,* humani et christiani inest haereditati eorum; faciendo e nostra parte conatus ut per *renovationem* nostram spiritualem monstremus illis Ecclesiam catholicam sine ruga et macula, ut veram Ecclesiam Christi. *Sed certe conemur oblivisci ipsorum eventuum separationis, ut sapienter nuperrime scripsit Summus Pontifex ad S. B. patriarcham Athenagoram, sed tamen non obliviscamur, Patres, nos et nostri fratres separati, causarum et motivorum separationis. Etenim historia est magistra vitae.*[24] Ipse Sanctus Pater Paulus VI dat nobis in hoc nobile exemplum, quando in sua allocutione inaugurali II Sessionis Concilii Vaticani II humiliter ...[25] agnoscit: « Si quae culpa ob huiusmodi separationem in nos admittenda sit, veniam humili rogatu a Deo petimus, ab ipsisque Fratribus veniam petimus, si iniuriam a nobis se accepisse putent ». *Attamen liceat* etiam addere ulteriora verba Summi Pontificis: « Ad nos quod attinet, animo parati sumus *ad condonandas* iniurias catholicae Ecclesiae illatas... » ut etiam — *et hic addo* [26] — nostris fratribus separatis humiliter et discrete suggeramus *istam sanctam inquietudinem* [27] culpas separationis agnoscendi ex parte Ecclesiarum orientis. *Quae sancta inquietudo ad renovationem spiritualem adiuvat sicut inquietudo de peccatis commissis.*[28]

Et ne dicamus, *Fratres,*[29] talia motiva separationis quae partim adhuc perdurant, paulatim *iam* [30] per media positiva sola auferri, commendata *in nostro schemate.*[31] Ad sincerum et efficacem dialogum nunc cum fra-

tribus separatis instituendum, omnino necessarium est ut saltem maiora motiva ...[32] separationis adhuc vigentia iam *ab initio nostri colloquii conciliaris* cum fratribus separatis progressive minuentur, *a. v., ut dispositio spiritualis ad tale colloquium detur.*[33]

Et nunc concludo.[34] Quod ut facilius eveniat humiliter postulo: *a*) ut in n. 18 cap. III nostri schematis *saltem quaedam praecipua* impedimenta ...[35] separationis mutuae *expliciter nominentur,* quae nempe illam « parietem » de qua in schemate, constituunt; *b*) vel saltem, ut verba ipsius Summi Pontificis Pauli VI citata ex allocutione inaugurali, in textum schematis inserantur ...[36] Satis! Et gratias pro attentione.

In textu scripto tradito: [1] Inter necessarias condiciones ad unionem feliciter restaurandam cum orientalibus christianis separatis, schema recte enumerat in n. 18 pag. 22 sequentia: 1. Nihil ultra imponere quam necessaria, *Act.* 15, 28. 2. Naturam relationum intendere quae inter Ecclesias orientales ad Sedem Romanam vigebant praesertim ante separationem. 3. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] et forsan semper. [6] deest. [7] B. Hae causae seu. [8] Causae seu. [9] (autokefaliam...). [10] deest. [11] stirpis seu « de race » uti dicitur. [12] Et non mirum; etenim fides viva debet permeare totum hominem in omnibus eius relationibus tum personalibus tum socialibus. [13] suam. [14] saepe. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] coniuncta cum quodam triumphalismo. [19] reunitae. [20] 4. Mutua ignorantia: Post separationem perfectam saec. XI Ecclesiae orientales vivebant separatim ab Ecclesia occidentis, et evolvebantur suo rhythmo proprio et independenti... Ex quo oriebantur dissensiones et praeiudicia, quae propter ignorantiam mutuam et alia motiva exaggerabantur... 5. Mutua diffidentia: quae in unoquoque tentamine unionis suspicabatur in alia parte motiva non sincera, immo egoistica, v. g. dominationis etc. ... 6. Indifferentia religiosa: quae considerat unitatem Ecclesiae ut ideale quoddam impossibile obtentu, et, non experitur vivide inquietudinem et scandalum propter divisionem... C. [21] deest. [22] nos catholici orientis. [23] orientalibus. [24] Non obliviscamur tamen, venerabiles Patres, causarum et motivorum separationis, non ex quodam motivo vindictae, sed ut melius prospiciamus labori unionis! [25] quidem. [26] deest. [27] deest. [28] deest. [29] deest. [30] deest. [31] praesertim in nn. 13, 14, 15, 16, 17 cap. III nostri schematis. [32] (sive impedimenta). [33] deest. [34] C. [35] (seu motiva). [36] ut sic Dei gratia opitulante, atque adiuvante, voluntate nostra mox fiat « Unum ovile cum Uno Pastore ». D. Ad n. 22, pag. 24 eiusdem cap. III: a fratribus nostris inde a saec. XVI separatis expostulamus ut S. Baptismi ita conferant iuxta Domini institutionem, ut nullum dubium suscitent de validitate sacramenti; quod non raro evenit in variis communitatibus « protestantibus ». E. Art. 3 addendus est ad cap. III huius schematis, vel saltem mentio fiat: de iis nempe qui, permulti nunc, in vita publica renegare videntur fidem propter pressionem vel persecutionem a parte « totalitarismi » athei. Tales revera « typum » specialem christianorum constituunt qui se atheistas in vita publica profiteri coguntur, sed in vita privata filios suos baptizari sinunt, matrimonia in Ecclesia celebrant, imagines praesertim B. M. V. in suis cubiculis conservant, suas uxores Ecclesias adire

permittunt, signum crucis condemnati ad mortem et ante executionem faciunt, uti saepe tempore ultimi belli accidit...

Moderator: Audiatur secretarius generalis, qui habet aliquas communicationes faciendas.

Secretarius generalis: Imprimis, haec communico Patribus: Sanctus Pater coram se admittet in audientia, uti dicitur: rev.mos peritos Sacri Concilii, sabbato die 30 novembris, hora postmeridiana 19.15; secretarios em.morum et exc.morum Patrum conciliarium, feria III, die 3 decembris, hora 19.00; tandem, ductores autocinetorum em.morum ac exc.morum Patrum conciliarium, nempe « autisti », eadem feria III, die 3 decembris, hora 19.15.

Nunc lego Patribus intimationem factam ab exc.mo D. praefecto Caeremoniarum Apostolicarum pro sessione publica diei 4 decembris ... [*cf. vol. II, pars I, p. 105*].

Moderator: Congregatio proxima erit feria VI, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. II SCHEMATIS DE OECUMENISMO

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAP. II SCHEMATIS DE OECUMENISMO *

1

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

1. Vix dicerem in documento Conciliari illud quod affirmatur pag. 15, linn. 9-12: « Ad id ... de facto versatur ».
2. In pag. 16, lin. 16, dicerem: « *Christianorum* unitate » loco « *Ecclesiae* unitate ».
3. In pag. 16, lin. 24, dicerem: « ... opportunum *potest esse* ... » loco « *opportunum est* ».
4. In pag. 16, lin. 38, dicerem: « *Catholici debito modo praeparati* acquirant ... ».
5. In pag. 17, linn. 18-19, dicerem « ... quae ex oecumenismo *catholice intellecto* in ... ».

2

EM.MUS P. D. FRANCISCUS SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Primum enuntiatur principium generale et magni momenti: « Ad omnium christifidelium munus officiumque pertinet unionis instaurandae sollicitudo, quae fraternam coniunctionem inter omnes christianos existentem iam quodammodo manifestat, atque ad plenam perfectamque unitatem secundum Dei benevolentiam conducit ».

Tunc declaratur: « Omnis interior Ecclesiae renovatio, utpote quae essentialiter in christianorum adaucta fidelitate erga suam ipsorum vocationem consistat, causa procul dubio est cur motus versus unitatem properetur. Ad id non parum conferre potest dialogus cum fratribus separatis, ex quo clarius innotescit conditio in qua communio nostra de facto versatur. Spiritualis fidelium renovatio igitur insigne obtinet momentum oecumenicum » (n. 4).

Deinde monetur: « Oecumenismus veri nominis absque interiore conversione non datur ». Iuxta S. Pauli exhortationem (*Eph.* 4, 1-3), imploranda nobis est gratia sincerae abnegationis, humilitatis, mansuetudinis in serviendo, et fraternae in alios propensionis. Quae exhortatio ad illos prae-

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio clausa est.

sertim spectat, qui ad sacri ordinis dignitatem evecti sunt; Deus enim sacri sacerdotii excelsa dona hominibus misericorditer concedit eo consilio ut continuetur missio Christi, qui inter nos venit « ministrare, non ministrari ». Ex sui ipsius abnegatione atque ex caritatis liberrima effusione proficiscuntur et maturescunt desideria unitatis, quae Spiritus Sanctus tam abunde hodie in omnium christianorum cordibus excitat (n. 5).

Tunc affirmatur: Meminerint omnes christifideles se christianorum unionem eo melius promovere, immo exercere, quo puriorem et magis evangelicam vitam degere student. Quo enim altiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu uniuntur, eo intimius atque facilius mutuam fraternitatem augere valent (n. 6).

Denique declaratur quoad orationem unanimem: Sollemne est viris catholicis frequenter ad precationem convenire pro Ecclesiae unitate, quam Salvator ipse in pervigilio mortis a Patre flagranter expostulavit (*Io.* 17, 21). Omnes libenter ad eiusmodi publicas oecumenismi spiritualis significationes occurrant, qui tamquam anima totius motus oecumenici revera existimandus est. Licitum quidem est, immo et opportunum, catholicos cum fratribus separatis in oratione ad hanc intentionem consociari. Eiusmodi communes precationes, remota quavis communicatione in cultu officiali, habendae sunt et perefficax medium supplicationis pro unitate, et genuina significatio vinculorum, quibus catholici cum fratribus separatis adhuc coniunguntur (n. 7).

Haec omnia quidem ab omnibus christifidelibus servari possunt et ex animo perficienda sunt.

Praeterea ea quae sequuntur peritis commendantur et ad effectum deducenda sunt modo quo adiunctis in diversis regionibus melius concordant.

Catholici, ut fratrum separatorum animum cognoscant, acquirant oportet cognitionem doctrinae et historiae, vitae cultualis et asceticae, psychologiae religiosae necnon culturae, quae fratrum separatorum propria est. Ad id assequendum multum iuvabunt de theologicis quaestionibus ex utraque parte conventus, dummodo qui in illis partem habent, sub praesulum vigilantia, vere periti sint. Hac via et separatorum fratrum mens melius cognoscetur eisque fides nostra aptius exponetur (n. 8).

Sacrae theologiae institutio in seminariis et scholis theologicis tradita haud parum utilitatis accipiet ex pleniore hac cognitione, quae melius veritati respondeat. Etiam missionales viri, qui in iisdem terris simul ac non catholici operam dant, instructi esse debent de utilitatibus, quae ex oecumenismo in eorum apostolatum proficiscuntur (n. 9).

In omnibus conventibus cum fratribus separatis fides nostra integre et lucide exponatur oportet, nil enim a vero oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur, vel eius sensus genuinus et certus obscuratur (n. 10).

Praeter negotia proprie religiosa hodiernis temporibus latissime instauratur cooperatio in re sociali. Omnes prorsus homines ad communem operam

vocantur, potiore ratione ii qui in Deum credunt, maxime autem omnes christiani, utpote Christi nomine insigniti et ad eius imitationem vocati. Omnium christianorum cooperatio coniunctionem illam, qua iam inter se uniuntur, vivo modo exprimit communemque Christianismi notam in pleniorem lucem ponit. Ope eiusmodi cooperationis omnes qui in Christum credunt facile addiscere possunt, quomodo alii alios melius cognoscere atque pluris aestimare possint atque adeo ad unitatem christianam via sternatur (n. 11).

Animadvertendum est, in hoc capite schematis bene quidem indicantur quae laici et sacerdotes efficere possunt ad unionem cum fratribus separatis promovendam, nihil autem specialiter dicitur de officio episcoporum hac de re implendo, etsi ipsi in hoc negotio maiores partes habeant. Ad episcopos quidem pertinet invigilare ut omnia rite fiant, praeterea autem multum iuvabit si ipsi, iuxta locorum conditiones, concursibus et discussionibus personaliter interveniant. Hoc animadverso, libenter profiteor quod hoc caput de oecumenismi exercitio *placet*.

3

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA
Archiepiscopus de Lourenço Marques

1. Quia res de qua agimus « satis periculosa est » mihi videtur totum schema de oecumenismo ad *pauca* et *clara principia redactum* iri.

Dialogum quidem instituere possumus et *debemus* sed *firmissime* et *solemniter* declarare nos agere velle cum viris qui *vere fidem* habent et in *bona fide* sunt. Multi ex protestantibus nec sciunt *quid sit fides*. Quale dialogum habere possumus?! Fateor me in schema aliquam *ingenuitatem* (ingenuità) contemplare.

Aliqui protestantes in mea dioecesi haec iterum atque iterum *iam dixerunt*: « Ecce, videtis, omnes religiones *christianae sunt bonae*; etiam Ecclesia catholica hoc asserit, *vertens vultum suum ad nos* ».

2. Non est *via* bona tantas laudes tribuere fratribus protestantibus, quasi culpa separationis esset nostra, quod non est verum. *Dubito* etiam de *theologia* aliquarum assertionum circa *media salutis* ab ipsis servata.

3. Caute, ergo, procedendum est. *Veritas* cum *errore* confundenda non est. Satis nunc loquimur de *iuribus,* pauca vero de *obligationibus.*

4

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

In cap. II schematis *de Oecumenismo* normae methodologicae dantur ad rectum et efficax exercitium oecumenismi. Inter octo media vel instrumenta actionis quae ibi adnumerantur, ponitur prima et connotatur ut princeps *renovatio interior Ecclesiae.*

Certo certius Spiritus Sanctus elargitione constante suorum donorum et interna ac actuosa operatione ad iugem renovationem et ad sanctitatem Ecclesiam movet et trahit.

Concilia, Summi Pontifices, episcopi ac Sancti Dei, ab ipso Spiritu Divino roborati et illuminati, semper curarunt et curant de Ecclesiae visibili sanctitate et de eius vera reformatione, non quidem, ut patet, in eo quod Ecclesia habet divini, et proinde immutabilis, sed in eius superstructura iuridica et humana; in sua proiectione erga mundum, versans in instabilitate continua et irrequieta; et in modo se agendi Pastorum.

Re quidem vera, Concilium Tridentinum, et de hoc tantum loquar, simul cum Constitutionibus et canonibus doctrinam respicientibus multa et decretoria sancivit, quae profundam reformationem Ecclesiae intendebant.

Romani Pontifices et episcopi suo magisterio et sollicitudine animarum; Servi Dei sua praedicatione et exemplis vitae; Sancti Fundatores qui, cum suis familiis religiosis, vestigia Christi sectare intendunt, constanter operantur in purificanda et, ut ita dicam, « christificanda » Ecclesia, saepe in sua facie, hominum debilitate squalore foedata et in suo exteriore apparatu nimis aliquando « humanizata ». Memorari liceat, ad modum exempli, Decretum Pii XII de simplicitate vestium praelatorum, et recentem allocutionem Pauli VI de renovatione Curiae Romanae.

Proinde, meo humili iudicio, schema attendere debet, non solum ad internam Ecclesiae renovationem, sed ad externam et institutionalem, ita ut Ecclesia visibilis « sancta et sine ruga » omnibus appareat et sit velut incarnatio Christi in Historia. Ad rem duo exempla afferam:

Exemplum Ioannis XXIII, qui sua humilitate, simplicitate vitae, et humanissimo corde quam plurimos fratres seiunctos ad amorem traxit; multos etiam homines, forsan acriter erga Ecclesiam infensos, ad comprehensionem, ut hodie dicitur, et ad dialogum adduxit.

Exemplum Sancti Francisci Assisiensis, dilecti Deo et sine dubio dilectissimi fratribus seiunctis hic stantibus, qui, sincera et « sine glossa », ut ipse aiebat, conformitate suae vitae ad Evangelium et « collabentem Lateranensem Basilicam — ut in Breviario legitur — suis humeris sustinere visus est — actio pastoralis evangelica — et a rege Mahumetico Soldano, liberalissime fuit tractatus » — actio oecumenica —.

Concludo. Reverenter a Patribus auderem petere ut in numero 4, cap. II schematis, propugnetur, prout iacet, interior Ecclesiae renovatio, sed etiam alte et explicite proclametur necessitas renovationis institutionalis Ecclesiae in iis quae humana sunt ideoque reformabilia, adaptando melius institutiones ecclesiasticas ad simplicitatem et spiritum Evangelii et conformando vitam et conversationem Pastorum ad figuram Iesu Christi, qui mitis fuit et humilis, pauper et amator pauperum, qui venit non ministrari sed ministrare et dare animam pro ovibus. Quod multum certe iuvabit ad faustum successum catholici Oecumenismi.

5

Exc.mus P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

Cap. II, n. 10, p. 17. Principia in hoc numero enuntiata melius dicuntur in schematibus a commissione de studiis in seminariis paratis. Praeterea, videtur insistendum ut doctrina exponatur eo modo quo ipsi catholici imprimis bene intelligant; consideratio fratrum separatorum debet in secundo loco poni. Periculum enim reale est ut doctrina exponatur tali modo ut fratres separati eam intelligant, et nos catholici eam non intelligamus. Si enim expositio doctrinae mentalitati fratrum separatorum accommodanda est qui « persaepe theologica institutione, cultura, historia et psychologia admodum a nostra diversa pollent », tunc quaestio est: nonne doctrina eorum mentalitati accommodata catholicis difficilior intellectu evadet? Vel debeamusne eamdem catholicam doctrinam duplici modo enunciare, uno fratribus separatis accommodato, altero catholicis?

6

Exc.mus P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN

Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Cap. II *de Oecumenismo* est proprie exercitium methodologicum, seu methodologia ad consequendam unitatem ecclesiarum adeo desideratam. Nunc vero, non est simplex methodologia scientifica et humana; sed elementa includit divina, scientifica et psychologica.

Sed haec methodologia capitis est, in quantum fieri potest, perfecta? Haec est prima quaestio quae proponi debet. Schema offert modum agendi, qui solidus apparet, sed theoretice. Non specifice. Normas, scil., praebet generales, quas neque themati et fini accommodat, neque eas funditus exponit.

Haec methodologia deberet esse saltem initiatio sapiens et profunda in exercitium Oecumenismi. Quod ita non evenit.

Qua de causa, proponerem divisionem capitis in duplicem partem: *a*) de spiritu oecumenico; *b*) de praeparatione doctrinali oecumenica.

Hae duae partes intime inter se connectuntur. Si adest, enim, spiritus oecumenicus, sed deest scientia relate ad ecclesias, dialogus neque possibilis neque utilis haberi potest. Irenismus seu indifferentismus provocaretur. Scientia, e contra, absque spiritu oecumenico, non prodesset, esset pure polemica, historia teste.

Praeterea, ut dictum fuit in hac aula, haec quaestio oecumenica potest provocare pericula et scandala, ut innuunt: Encyclica *Satis cognitum* Leonis XIII, instructio Sancti Officii *De motione oecumenica* et Encyclica *Mystici Corporis,* Pii XII. Quae pericula, supposito spiritu oecumenico et scientia convenienti, omnino disparent. Et Ecclesia operam dabit exercitio Oecumenismi, tam necessarii nostris diebus.

Scilicet exercitium Oecumenismi implicat: informationem ut praerequisitum, et educationem ecclesialem seu spiritum oecumenicum una cum scientia, in quibus formaliter consistit haec methodologia.

I. *De spiritu oecumenico.* Quid vero est spiritus oecumenicus? Est veluti summa dispositionum animi, orta ex intellecta et assimilata doctrina missionis Ecclesiae et mystici Corporis. Hic spiritus ab Illo procedit qui verba Christi in sermone sacerdotali alebat. Hic sermo, totus fuit, in petenda et desideranda unitate. Creatus et existens in Ecclesia, cetera omnia facillima reddet. Illo autem absente, nihil erit Oecumenismus.

Hucusque erabamus catholici, fundati in principiis universalitatis; sed haec principia applicationem practicam non inveniebant. Incipimus nunc, ergo, quemdam catecumenatum Oecumenismi.

Doctrina pulcherrima Corporis mystici nos docet, schisma omnibus nobis damnum inferre, utpote corporis mutilatio. Non licet ergo illud considerare tantum canonice vel iuridice. Sed considerare debemus modo totali, seu ecclesiali. Scilicet ad fratres accedere debemus intellectu et corde.

Hac notione et doctrina supposita, distinguere oportet inter spiritum oecumenicum et spiritum proselytismi. Quae diversa, si confundantur, progressum incepti Oecumenismi impedire possunt.

Proselytismum quaerit individui conversionem. Oecumenismus, e contra, sese refert ad communitates, ad societatem aliquam, ad populum, quibus monstrare vult authenticam Ecclesiam. Quae omnia ab omnibus intelligi debent, iam ab initio, ne timeant fideles hanc mutuam conversationem et dialogum.

Hic spiritus oecumenicus, in Ecclesia feliciter natus et existens, ab Ecclesia docente ad discentem transire debet. Ab episcopis ad sacerdotes et paroecias. A paroeciis ad fideles. Sic tota Ecclesia erit in statu Oecumenismi.

II. *Praeparatio doctrinalis.* Hic spiritus oecumenicus secum fert unionem per orationem, dialogum sed tantum amicalem in initio, et etiam collaborationem apostolicam. Sed haec habitudo, quae vocari potest et quidem recte christiana, nondum est finis. Oecumenismus indiget praeparatione doctrinali. Immo disputatum fuit de prioritate horum elementorum. Sed clarum iam apparet, non posse statim initium habere oecumenismum a dialogo doctrinali; sed primo informationem dare et spiritum efformare debemus.

De hac praeparatione doctrinali agit caput in nn. 8, 9 et 10. Sed tractatio non videtur bene structurata.

1. Ut principium affirmandum esse sentio: institutio ac formatio spiritualis fidelium a formatione sacerdotum pendet, et ideo ab acquisita in seminariis ab alumnis. Quae veritas toti n. 9 et etiam 10 antecedere debet, non applicari debet tantum quaestioni particulari, ut in schemate.

2. Certum est enim, ut dictum est in aula et in relatione, non esse proprium schematis conciliaris tractatum theologicum componere. Et non debere schema repetere veritates a multis cognitas, etiam affirmamus.

Sed non agitur de repetendis; sed de explicitandis, ordinandis et structu-

randis veritatibus illis, quae veram et Ecclesias illas coordinant. In re tam momentosa, quae nunc primum ortum habet, exponi oportet lineamenta huius Ecclesiologiae, sicut innuit Encyclica *Satis cognitum* Leonis XIII. Quae lineamenta erunt veluti primum argumentum studii pro sacerdotibus, et sicuti incitamentum doctrinale pro professoribus seminarii.

Notio Ecclesiae, recte enucleanda est, non modo traditionali et apologetico, sed in ordine ad Ecclesias ... Eius missio in mundum universum ... Unitas et universalitas ... sunt veritates novo quodam aspectu contemplandae.

III. Dictum fuit in aula necessarium esse tradere doctrinam de dialogo, vel ordinare. Quibus adhaereo. Sed addo:

In n. 7, a lin. 22 ad 31, loquitur de communicatione in sacris. Modi qui enumerantur, communicationum, non sunt taxativi, et, nihilominus enumerat tres: supplicationes « pro unitate », preces in oecumenicis conventibus et communicatio in cultu officiali, quae prohibetur.

Haec participatio in eadem actione — ut dicitur — diversimode potest sumi, et tractari debet dogmatice, ut affirmatur a S. Thoma et Suarezio, vel canonice secundum can. 1258. Adversatur enim vel iuri naturali et divino, vel iuri positivo.

De quibus, ideo, debet tractari etiam schema: vel hic in cap. II vel in aliquo directorio, simul cum aliis, ut tanta res clareat et mentes omnium dirigat.

7

Exc.mus P. D. RAPHAËL BAYAN
Episcopus Alexandrinus Armenorum

De desiderio oecumenico, in quantum hoc dicit unionem omnium christianorum, de oecumenico, dico, desiderio fratrum a nobis seiunctorum, saltem quoad maiorem eorum partem, abstractione facta a gradu, motivis, mediis necnon forma talis unionis, iam nullum moveri potest dubium.

Dispositionem vero nostram sat comprobatam putamus apud cunctos bonae fidei christifideles; quinimmo, efficax catholicae Ecclesiae propositum ad actum ducendi Christi Domini votum, « Ut sint unum », maxima qua par est sollemnitate, auctoritate, claritate ac sincera humilitate ab amatissimo Pontifice nostro, Paulo Papa VI, manifestatum est, in eius oratione inaugurali huius alterius sessionis, multoties iam hac in aula laudata.

Cum autem secundum schematis nostri caput de oecumenismi catholici exercitio ex professo agat, liceat mihi quaedam proponere practica, quae, plurima contra Ecclesiam catholicam apud seiunctos orientis fratres vigentia auferendo praeiudicia, optimas crearent animi praedispositiones, faciliorem proinde pararent aditum ad ipsum dialogum ac maiori successus probabilitate eum ditarent.

Optarem, imprimis, ut inde a prima linea huius cap. II affirmaretur existentia desiderii oecumenici, hisce aut similibus verbis: « Ad omnium

christifidelium munus officiumque pertinet *ac, afflante Spiritu Domini, magis magisque in dies extenditur* unionis instaurandae sollicitudo ... etc. ».

Optarem, insuper, ut in fine primae paragraphi insereretur generalis Ecclesiae ad filios exhortatio promovendi unionem, sub ductu Hierarchiae, quibuscumque mediis quae non sint contra Ius Divinum. Tempus est enim, meo humili sensu, sollemniter proclamandi, immo et applicandi, illud pulcherrimum principium, nuper hac in aula ab exc.mo Carli revocatum.

Quidquid dogmati non contradicit, scandalum non gignit nec ad indifferentismum ducit, promovendum est in nostris relationibus cum fratribus seiunctis orientalibus, et quidem, nulla intercedente mora. En, nunc, quasdam huius principii concretas applicationes:

a) Compertum est non omnes orientales seiunctos, individualiter sumptos, immo perpaucos ex eis, formaliter a Christi genuina fide discedere. Verae Christi Ecclesiae per ipsum baptismum aggregati, sicuti statuit can. 87 C.I.C., nunquam formalem posuerunt separationis actum ac separati manent vel ob ignorantiam invincibilem vel ob aliquem traditionalismum exaggeratum, cui forsitan et ipsa eorum fidelitas erga Christum Dominum tribuenda esset. Rebus sic stantibus, cur illi veri christifideles, remoto utique omnis scandali ac indifferentismi periculo, arcendi essent a sacramentis ac sacramentalibus, quae aliquando instanter petunt?

b) Proposita est, hac in aula, quaedam iurisdictionis territorialis theoria, cuius applicatio valde periculosa esset pro sano oecumenismo. Etenim, catholici orientales, ob infausta politico-historica adiuncta extra nationale territorium degentes et minoritatem constituentes, qui, vi huius theoriae, proprio hierarcha orbarentur ac alienae auctoritati submitterentur, certo certius se inferiores considerarent seiunctis respectivi ritus acatholici fratribus, qui plena gaudent libertate ubique terrarum propriam instituendi hierarchiam. Propterea, non solum unio seiunctorum difficilior, ne impossibilis dicam, evaderet, sed etiam, quod peius est, ipsi catholici, quodam nationalistico sensu moti, allicerentur ad transeundum in respectivum acatholicum ritum et discedendum ab Ecclesia catholica, quae videretur cohibere eorum legitimas aspirationes nationales. Propterea, systema adhuc in Oriente Medio vigens, plurium iurisdictionum territorialium in uno eodemque territorio iuxtapositarum, minime modificandum est.

c) Immo, propter rationes superius allatas, tollenda est restrictio quoad constitutionem novorum exarchatuum, vel etiam dioecesium, orientalium in Occidente. Ius nobis agnoscendum est hoc ubique terrarum, dummodo adsit sufficiens numerus fidelium nostri ritus vel respectivi ritus acatholici; plena libertate enim qua fruuntur, hoc in re, fratres nostri seiuncti ne privemur nos catholici, et quidem aliquorum ordinariorum catholicorum causa.

d) Usque ad annum 1949, apud maiorem orientalium catholicorum partem, non vigebat forma matrimonii a novo Iure Canonico Orientali inducta. Etenim, inde a mense maio supradicti anni 1949, matrimonia catholicorum coram ministro acatholico inita, quae antea illicita quidem sed valida

erant, iam invalida evadunt. Cum autem quasi impossibile fuerit huiusmodi matrimonia mixta impedire, ob parvum catholicorum numerum inter longe maiorem numerum acatholicorum viventium, necnon ob consuetudinem in Oriente christiano vigentem, secundum quam mulier virum sequi debet, talis nova obligatio practice ipsis catholicis magnum attulit detrimentum pessimasque sequelas apud fratres seiunctos genuit. Hi enim putant aperteque declarant Ecclesiam catholicam ipsos iam pro non christianis habere et, quod antea nunquam fecerant, saltem aliqui, coeperunt a catholicis puellis, quae ipsos matrimonii causa adeunt, declarationem formalis renuntiationis a fide catholica exigere. Unde ad vitanda mala tam gravia, ad auferenda praeiudicia, quae certissime nullimode dialogo oecumenico prodessent, instanter petimus ut haec formae matrimonii obligatio quam citius tollatur et ius pristinum restituatur.

8

Exc.mus P. D. PETRUS BOILLON
Episcopus Virodunensis

Cap. II, sicut totum schema *de Oecumenismo,* mihi sane placet. Attamen plane cum exc.mo D. Weber consentio qui dolet quia ab illo schemate absunt principia « de communicatione in sacris » quae in anteriore schemate « de Ecclesia » proponebantur, ac cum illo opto ut in hoc capite secundo, post numerum septimum iterum inserantur.

De ipso art. 7, tres proponam observationes. Duo minores circa linguam:

Lin. 15, dicitur: « Solemne est viris catholicis frequenter convenire »: inter solemne et frequenter est contradictio etymologica saltem.

Linn. 15 ac 25, bis dicitur « viros » ad communem cum non catholicis orationem admitti. Excludi videntur mulieres ... sicut et in Concilio! Propono ut vocabulum « viri » tollatur: adiectivus « catholici » sufficere videtur!

Lin. 27 legitur: « Communes praecationes ... remota quavis communicatione in cultu officiali, habendae sunt ... etc. ». Id autem interrogo: quid est « cultus officialis »? Non significat, ut opinor, cultum « officialiter » catholicis ac non catholicis praenuntiatum. Etenim, si amborum communitatum orationem instituimus, illas annuntiare publice ac officialiter necessarium est. Nec timendum est periculum ut aiunt relativismi. E contra ex longa experientia orationum oecumenicarum, maiorem manifestant catholici adhaesionem ad fidem.

Item non significat, meo sensu, « Officium Divinum », in unaquaque communitate celebratum. Sunt enim inter fratres seiunctos qui in monasteria catholica ad exercitia spiritualia exercenda convenientes, officio divino participant. Sunt vicissim inter catholicos qui, exempli gratia in monasterium fratrum Taizé ad orationem pro unitate conveniunt ac officio divino fratrum participant. Tales in oratione tantum participationes prohibere mihi opportunum non videtur.

Meo saltem iudicio, hic de cultu agitur *sacramentali,* quem prohibere aequum est. Unitatis enim progressio, secundum Evangelicam oeconomiam, ad communionem primo *fidei* attinet, deinde ad communionem disciplinarem sub unita hierarchia, ultimum tandem ad communionem sacramentalem.

Attamen, de ipsa sacramentali communione, duo distinguere oportet.

Si agitur de sacramentis poenitentiae, Eucharistiae ac Infirmorum unctionis, communio in genere et de more non est admittenda, dummodo non habetur communio in fide perfecta et in disciplina. *In genere et de more*: tantum sunt enim inter catholicas paroecias separati nonnulli qui a patria aufugere conati sunt, qui eamdem erga sacramenta fidem catholicis profitentur, et quibus onerosissimum est a poenitentia et Eucharistia orbari quia abest eorum confessionis sacerdos. Quid dicam quando in periculo mortis versantur. Quod reciprociter accidit pro catholicis in Orientis regionibus, praesertim in captivorum castris tempore belli. Ut anxietates apud bonos fideles arceantur, necesse est principia de « communione in sacris » in primo schemate « De Ecclesia » proposita et ab exc.mo D. Weber requisita in hoc schemate inseri (de quibus textus scripto traditur secretariatui).

De sacramento matrimonii autem eadem dicere non convenit. Dum enim pro tribus aliis sacramentis attendere oportet utrum altera confessio eandem erga illa fidem profitetur Ecclesiae catholicae, pro matrimonio, eadem dici possunt erga omnes baptizatos. Atqui in matrimoniis « mixtis », necessario habetur « communio in sacris ». In hoc schemate quidem, multa de hac materia dicere non convenit, quia, ni fallor, in schemate « de Matrimonio » locum habebit. Attamen in hoc schemate tacere omnimode non possumus, quia, si talia commendari non sunt matrimonia, persaepe difficultatum fontes in dialogo oecumenico praebent, atque in hoc casu gratia sacramentalis propria ad oecumenicam causam non parvo potest esse adiumento.

Conclusio.

1. Lin. 27, loco « in cultu officiali », propono: « *in sacramentorum habituali cultu, matrimonii sacramento excepto secundum normas ab Ecclesia proponendas* ».

2. Inserendum post art. 7 (e schemate anteriore *de Ecclesia*: cap. XI, n. 54) secundum petitionem exc.mi Weber: « Quia in communitatibus ab Ecclesia catholica separatis praeter baptismum nonnunquam conferuntur sacramenta, et fieri potest ut filii Ecclesiae iura rogare possint ac debeant a ministris separatis eorundem dispensationem; quia ex altera parte pia Mater Ecclesia maxime desiderat fratres separatos, quantum potest et ipsi indigent, participes facere multorum bonorum quae Christus sponsae suae unice concredit — (etenim utpote baptizati iidem, si bona fide sunt, per se capaces sunt fructuose accipiendi alia sacramenta) —; quia tandem Ecclesia, licet animo invito tolerat matrimonia mixta in quibus ineundis pars catholica et pars baptizata non catholica sunt ministri sacramenti, hac de causa non omnis assistentia activa, ea videlicet qua christiani dissidentes in liturgia catholica concursum quemdam effectivum praestant, vel catholici modo si-

mili activo in fratrum seiunctorum liturgia assistunt, de se instrinseca mala dicatur oportet, etsi plerumque participatio graves ob rationes prohibenda sit ...

« Unde tantum graves ob causas et remotis periculis assistentia activa christianorum separatorum in ipso cultu Ecclesiae admitti potest; dum imprimis pro gravitate necessitatis vel magnae utilitatis spiritualis eorumdem diiudicandum est, an et sub quibusnam conditionibus Ecclesia eos qui non actu proprio ab ea desciverunt, sacramentis succurrere possit ... ».

« Ubi autem extrema necessitatis spiritualis vel magna saltem utilitas urget, susceptio et petitio sacramentorum a ministro communitatis separatae qui eamdem fidem erga sacramenta Ecclesiae profitetur, admitti potest, conditionibus modo enumeratis adimpletis ... ».

« Quod vero ad sacramentalia, preces, loca sacra, funera et alia eiusmodi attinet, in quibus ipsa doctrina unitatis Ecclesiae prohibitionem communicationis de se non exigit, Ecclesia ea praescribit quae pro animarum utilitate, tum catholicorum, tum christianorum dissidentium, secundum circumstantias loci et temporis rogantur ... ».

9

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congr. Angliae O.S.B.

Liceat mihi unam emendationem proponere et insuper unam additionem ad textum huius capitis.

1. Quod ad emendationem attinet, conferatis, quaeso, pag. 16, linn. 26 s. De hac re velim notare quod praxis Ecclesiae circa consociationem catholicorum et fratrum a nobis externe seiunctorum in oratione communi potest variari secundum locorum temporum et circumstantiarum differentias. In mea patria iam per complura saecula Ecclesia rigidiorem normam in hac re secuta est, non immerito. Nam ex una parte potestas civilis olim considerabat assistentiam catholicorum ad cultum officialem Ecclesiae Anglicanae tanquam apostasiam a propria religione. Ex altera parte S. Sedes, usque ad nostram aetatem, prohibebat quominus quisquam nostrorum fidelium orationibus publicis fratrum separatorum quoquam modo interesset praeter aliquas socialis, ut ita dicam, convictus occasiones. Quam S. Sedis prohibitionem hierarchia nostra fideliter in effectum deducere conatus est. Neque minore fidelitate episcopi nostri regulis in hac materia ab hoc Concilio sanciendas recipere parati erunt.

Sed in novis regulis optandum est ut formula ab indebita ambiguitate libera sit. Iamvero terminus « cultus officialis » aptus est ad varias interpretationes inducendas. Si enim in aliquibus communitatibus ecclesialibus facile est discrimen facere inter cultum officialem et non-officialem, in aliis communitatibus res non ita facile evadit. Accedit quod haec restrictio posset in aliquibus casibus nimis arcta esse aut consuetudinibus vigentibus contra-

dicere, ita ut retrogressio in re oecumenica fieret potius quam desiderata progressio.

Ideo propono emendationem sequentem ad pag. 16, linn. 26 s.

Emendatio. Pro verbis « remota quavis communicatione in officiali cultu » substituantur verba: « approbante conferentia regionali episcoporum vel Patriarcha, et consultis praesertim, si res ita ferat, conferentiis episcopalibus vel Patriarchis finitimarum regionum ».

Ratio generalis huius emendationis est quod supra dixi. Clausula autem de consultatione ideo introducitur quia in hac re praxis unius regionis potest difficultates parere pro episcopis alius vicinae regionis ubi forsan alia praxis sancitur.

2. Propono ut in hoc capitulo Concilium, sententiam sequens Summi Pontificis f. r. cum in sermone inaugurali Observatores alloqueretur, mentionem faciat peccatorum non solum fratrum a nobis seiunctorum sed etiam catholicorum in vel causando vel fovendo divisiones nostras. Nemo quidem negare potest fuisse peccata ex utraque parte. Neque hoc negare possumus, quod sincera confessio peccatorum cum vera paenitentia gratiam Dei imterat et pro dialogo oecumenico maximum prodest, quinimmo prope necessaria praeconditio est. Ideo suadeo ut ad finem par. 5 (pag. 16, lin. 4) vel alibi in hoc capitulo haec vel similia addantur: « Cum autem culpa nostrarum divisionum inter membra omnium communitatum christianarum participetur, haec Sacra Synodus, una cum fratribus a nobis seiunctis, deplorat peccata utrimque commissa quae aut ad divisiones viam straverunt, aut iam exortas faverunt et favent, et Deum misericordiarum implorat ut veniam omnibus nobis concedat cum bono proposito in futurum ».

10

Exc.mus P. D. IOANNES CANESTRI

Episcopi tit. Tenediensis, aux. em.mi card. vicarii in Urbe

Animadversiones circa cap. II schematis decreti *de Oecumenismo.*

Pag. 16, n. 7: De oratione unanimi. Cavendum videtur ne in hac oratione (quae bona est) catholici suam notionem unitatis obscurent.

Verum quidem est nos de unitate christiana multa ignorare: scil. quando erit, immo an aliquando erit in terris et, si futura sit quomodo et quibus viis obtinebitur. Sed quaedam scimus; immo fide tenemus eam non posse fieri nisi in Ecclesia catholica, quando fratres seiuncti integram Ecclesiae catholicae fidem acceptaverint, cum agnitione omnium sacramentorum et catholicae hierarchiae.

De unitate hoc unico sensu locutus est Ioannes XXIII in Litteris Encyclicis *Ad Petri cathedram* et Paulus VI in oratione qua II sessionem instauravit.

Hanc igitur unitatem debent catholici petere in suis orationibus. Quando

orant pro christianorum unitate quam Christus voluit, Domino utique relinquunt tempus et modum huius unitatis, sed naturam eiusdem per divinam revelationem omnino agnoscunt atque debent confiteri.

Catholici non expetant seiunctos eodem orare modo ac ipsi; satis est ut omnes christiani eodem tempore orent pro unitate; quod si sint simul in eodem loco, sufficit ut nuntietur oratio pro unitate christiana; unusquisque illam petat sicut illam concipit. Qui catholicus est catholice oret.

11

Exc.mus P. D. IOSEPH CARRARO
Episcopus Veronensis

Circa ea quae dicuntur sub nn. 8 et 11 cap. II schematis *de Oecumenismo* liceat humili pastori duas animadversiones exponere ex praxi pastorali deductas, quae fortasse aliquid, vel minimum, conferre possunt ad rectam viam inveniendam qua spiritus oecumenicus fructuose, et sine ullo periculo, late diffundatur.

Primam animadversionem deduco ex facto in dies crescente quod latinizare liceat voce « turismus ».

Turismus apud nos, inter alias, ponit etiam quaestionem pastoralem quae respicit adsistentiam religiosam turistarum, et necessarias consuetudines et contactus inter catholicos et non catholicos in catholica regione, praesertim pro iis qui per aliquot dies vel hebdomadas sistunt.

Difficultates non parvae ad efficacem actionem pastoralem pro turistis proveniunt sive ex eorum lingua, mentalitate, traditionibus etc., sive ex eorum pluralismo confessionis religiosae.

Circa lacus Benaci oras, quae pro duabus tertiis partibus ad meam Dioecesim pertinent, plura centena millia turistarum in mensibus aestivis quotannis conveniunt, quorum maior pars e regionibus linguae germanicae provenit; minor pars e regionibus linguae gallicae vel anglicae.

Pro religiosa adsistentia catholicorum linguae germanicae optime provisum est per 12 sacerdotes a Conferentia Episcopali germanica humanissima cum liberalitate et vigili sollicitudine pastorali missos, opportune distributos per totam regionem et permanentes per totum tempus turisticum, qui fraterna consociatione cum sacerdotibus meae dioeceseos ministerium valde proficuum exercuerunt.

Eadem ratione et iisdem in locis pastores protestantes et ministri anglicani stationes instituerunt ut servitium religiosum suis correligionariis praestarent; et ab episcopo et parochis catholicis petierunt ut paroecialibus aedificiis vel etiam aliquo oratorio, in quo catholici sacras functiones iam non peragebant, uti possent.

Et libenter censuimus eorum petitionibus adhaerendum, facta autem hac conventione, scilicet: *a*) ut hinc inde sedulo vitarentur ea omnia quae com-

parationes aut quaestiones iniuriosas saperent et polemicam sonarent; *b*) ut clare et manifeste distinguerentur aedificia, servitia religiosa, horaria etc. pro non catholicis ab aliis pro catholicis, ad vitandam vel speciem confusionis quae ansam praeberet alicuius « relativismi »; *c*) ut pastores et ministri operam suam darent, una cum catholicis sacerdotibus, pro bonis moribus servandis, praesertim in illis rerum adiunctis ubi non raro gravia vulnera christiani mores patiuntur.

Conventio libere, sincereque recepta, fideliter utrimque observata fuit, et puto mutuum emolumentum produxisse, sine ullo, vel fere nullo periculo pro nostris fidelibus, qui opportune edocti et tempestive illuminati fuerunt de hac re.

Certe hic non adhuc agitur de proprie dicto dialogo oecumenico, qui reservari debet, cautelis adhibitis et normis competentis Auctoritatis servatis, illis qui vere periti et parati sint, et mandatum vel permissionem a legitima Auctoritate receperint.

At « dialogus tacitus » — ut ita dicam — ita factus est; dialogus scil. mutuo currentis aestimationis et reverentiae, comprehensionis et benevolentiae.

Laeti et grati animi plura testimonia etiam a maioribus Auctoritatibus Evangelicae Ecclesiae germanicae accepi. Quidam anglicanus mihi latine scribens et gratias agens, preces quaesivit et promisit, se amanter subscribens: « tuus agniculus ovilis Christi »!

Secunda animadversio respicit medium vel potius suppositum quod mihi videtur potissimum ad unionem omnium christianorum fovendam, et etiam immo ad veram Ecclesiae faciem coram omnibus hominibus revelandam.

Loquor de arcta unione inter catholicos ipsos, et non tantum de unitate quoad fidem, cultum et regimen, sed etiam quoad animum et cor, in sincera, manifestata et effectiva caritate, in actuosa solidarietate, in mutua remissione offensarum, in prompta sollicitudine subveniendi fratribus qui in aerumnis versantur, et ita porro.

Nonne haec unio fuit splendidum testimonium et efficax invitatio infidelibus ipsis iam in primaeva Ecclesia?

Nonne hanc unionem promovendo omnes christifideles, non in seipsis aut in propriis communitatibus quasi saepe clauderentur, sed in caritate radicati et fundati, fratribus seiunctis possent dicere magis opere quam ore: « congregavit nos in unum Christi amor »?

Spiritus oecumenicus eo solidius fundamentum habebit quo omnes catholicae communitates, sive paroeciales sive dioecesanae, omnes associationes apostolatus, omnia pastoralia incoepta, omnia subsidia apostolici laboris, uti sunt prelum et alia instrumenta communicationis socialis, hanc unionem vere fraternam et sincere operativam, etsi in legitima varietate actionum et opinionum et in necessaria distinctione munerum, aperte manifestabunt.

Certe certius sessiones ipsius Concilii hoc maximum bonum nobis praestiterunt, ut nos episcopi et ceteri Patres, periti et Auditores vinculis fra-

ternitatis et benevolentiae, mutua cognitione et diuturna conversatione, magis ac magis stringeremur.

Faxit Deus, Beata Virgine Maria intercedente, ut haec vincula caritatis etiam in posterum extent in corde et effulgeant in ore et in opere, in foliis et in libris, in scholis et in circulis, in conventibus et disputationibus.

Venerandi Patres, caritas caritatem gignit; diligamus invicem opere et veritate et vera renovatio Ecclesiae et spiritus oecumenicus sincerus certe proficient.

Si nimis ausus sum haec dicendo, parcite mihi. Gratias!

12

EXC.MUS P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Debitis emendationibus a plurimis Patribus in cap. I propositis, iam suppositis, praesertim illis quae apertam et claram doctrinam de constitutione totius Ecclesiae supra unicam petram a qua et Pastores et fideles firmitatem accipiunt et unitatem, bene proponitur cap. II *de Oecumenismi exercitio.* Cum enim agatur de nova methodo relationes inter fratres separatos instaurante, opportunum est vel in capite distincto, prouti a schemate proponitur, vel in appendice eiusdem capitis, quaedam practica tangere quae vigentem disciplinam aliquatenus immutant et dialogum aperte propugnant ut via ad unitatem consequendam fratribus bonae voluntatis paretur.

Quaedam animadversiones in hoc cap. II faciendae videntur.

1. Imprimis in titulo propositio plurimorum Patrum sequenda omnino videtur ut dicatur *de Oecumenismi catholici exercitio,* nisi quis praeferat scribere: *de catholicorum Oecumenismi exercitio.*

2. Caput valde prolixum videtur. Exhortationes, nimis multiplicatae, involutae sunt et verbosae ita ut, saltem quoad formam, materia huius capitis clariori et breviori modo disponenda est. Multa dicuntur quae melius in capitulo de sanctitate populi christiani placet legere. Forsan caput hoc modo disponi posse videtur.

A) *De mediis supernaturalibus* quibus nosipsos disponere debemus ut fratres separati facilius ad unicam Ecclesiam revocentur. Hinc: 1. profundiori spiritualitate vita interior cuiusque catholici innovetur; 2. disponantur corda ad motiones Spiritus Sancti recipiendas; 3. catholicorum vita magis evangelicis praeceptis conformetur; 4. orationes publice et privatim, ut omnes unum sint, multiplicentur.

B) *De mediis naturalibus.* 1. foveantur mutuae cognitiones; 2. amplior et latior theologica institutio in seminariis fiat; 3. aptiores modus ad manifestandam fidei doctrinam adhibeantur.

C) *De cooperatione directa cum fratribus separatis* 1. in rebus mores hominum spectantibus; 2. in rebus ordinem socialem hominum respicientibus.

Divisionis propositae brevis expositio. Imprimis memoriam perpetuo habentes unitatem in Ecclesia a Deo fieri, omnes conatus catholici faciant ad interiorem propriam vitam innovandam:

a) *cor disponendo* ad motiones Spiritus Sancti ... qui vult ut « solliciti (simus) servare unitatem in vinculo pacis » (cf. pag. 15, nn. 4 et 5).

b) *Ideo sanctitas ab omnibus sectanda* qua unusquisque studeat magis evangelicam vitam degere et, suis operibus, testimonium Christo reddere. Etenim, cum catholica Ecclesia integre et inviolate puram doctrinam evangelicam servet, sacramenta a Christo Domino instituta omnia retinens, socialem etiam compaginem, quam Christus instituit immutatam servet, nullam excusationem illi catholici habent qui tepidam vel peccaminosam vitam ducentes non alliciunt fratres separatos, sed iisdem offendiculum sunt (cf. pag. 16, n. 6).

c) *Orationes multiplicentur,* privatim et publice, ut omnes credentes in Christo « unum sint ». Remota communicatione officiali (ut fere omnes PP. etiam in emendationibus iudicaverunt, cf. *Emend.,* pag. 20 et 21), de consensu Ordinarii loci, catholici, praesertim illi qui in cognitione doctrinae magis exculti sunt, libenter consocientur ad communes preces ad unitatem fovendam, quae a fratribus separatis effunduntur, sed et vicissim curent ut et ipsi fratres separati ad solemnes praecationes quae ad unitatem a Domino obtinendam a catholicis fiunt, participent.

II. *De mediis naturalibus.* Mutua cognitio enixe foveatur:

a) per serenum studium doctrinae quae a fratribus separatis profitentur; et praesertim per aptum dialogum cum ipsis habendum a peritis sacerdotibus ab Ordinariis designatis;

b) *per ampliorem institutionem theologicam* in seminariis habendam in qua tria prae oculis habeantur: 1. errores exponantur cum sinceritate et veritate, at magna cum caritate; 2. puncta doctrinae catholicae, quae apud fratres separatos intacta manserunt clarissime asserantur et magni fiant; 3. Christi caritas magnopere in cordibus studentium excitetur, ita ut, polemica quavis praetermissa, omnes vires et sollicitudines convertantur unice ut fratres seiuncti ad unicam Ecclesiam vocentur (cf. pagg. 16-17, nn. 8, 9).

c) *Modus exprimendi doctrinam fidei,* curet *integritatem,* nihil abscondendo; *claritatem,* nihil aequivoce exponendo; *humanitatem,* et caritatem seligendo formam sermonis quae facile a fratribus separatis intelligi possint, absque detrimento doctrinae, relictis dumtaxat pro theologis traditionalibus formis expositionis (cf. pag. 17, n. 10).

III. *De cooperatione directa* cum fratribus separatis. Probanda sunt quae in n. 11, pag. 17, habentur. Attamen maiore in luce ponatur cooperatio *habenda in re morali,* ut viribus unitis contra atheismum, contra libertatis violationes, contra immoralitatem, haud raro per ipsa media communicationis socialis exaltatam, omnes in Christo credentes possint validas erigere ripas.

IV. *Emendationes* pluribus in punctis faciendae ob defectum claritatis,

vel periculum aequivocationis tantum innuo, adhaerens quoad ea omnibus animadversionibus quae iam a quibusdam Patribus de iis factae sunt in disceptatione super schema. Ita e. g. pag. 16, n. 7, linn. 25 et ss., ne dicatur « perefficax medium » et « genuina significatio vinculorum etc. », verba ista amoveantur a textu.

Insuper quoad citationem verborum (*Mt.* 18, 20, pag. 16, lin. 30) relate ad verba « in nomine meo », non incongrue revocari possint Commentaria S. Augustini (de oratione nomine Christi facienda) *in nomine Iesu* quando sanctissimus Doctor exponit non orare in nomine Christi qui de Christo bene non sentit etc. Ideo et de Christo mystico dicendum est, saltem *in ordine obiectivo,* quamvis utique subiective, illi qui orant *bona fide* etsi ab Ecclesia catholica separati vivant, sincere et fructuose possunt dici in nomine Christi congregati.

Conclusio. Cap. II breviori forma redigatur; aequivoca tollantur, et iam ab ipso schema *inter nos Oecumenismum exerceamus* vitando quae lites possunt fovere. Unanimes statuamus in dioecesibus nostris multiplicare sermones, precationes, dialogos, conferentias et super omnia frequentes et publicas solemnes precationes coram SS.mo Sacramento, quod est maximum et supremum signum et artifex unitatis et vinculum caritatis, ad quod omnes fratres, qui eius nomine gloriantur, inveniantur ceu novellae olivarum in circuitu mensae Domini.

13

Exc.mus P. D. ALFREDUS COUDERC
Episcopus Vivariensis

Nostrum caput tractat de mediis exercendi Oecumenismum ad obtinendam unionem inter omnes ecclesias christianas: talis est supremus finis quem attingere volumus.

Schema in genere placet, sive quoad expositionem problematis, sive quoad media proposita. Hactenus multa argumenta allata sunt in congregationibus Concilii, ita ut possimus affirmare omnes rationes validas ad unionem expositas fuisse: theorice nullum aliud argumentum efficacius videtur afferri posse.

Sed ductores populorum non ignorant quam difficiles sunt conversiones mentium et voluntatum. Veritatis expositio est necessaria, sed habitualiter non sufficit. Exempla sanctitatis efficacius trahunt, sed effectus non respondent semper desideriis, nec conatibus sive scientiae historicae, sive argumentis theologicis, sive persuasionibus eloquentiae. Conversiones animarum difficillimae sunt et saepe saepius resistunt argumentis eloquentissimis et etiam exemplis sanctitatis authenticissimis.

Cap. II schematis exponit omnes modos, sive spirituales, sive technicos, sive intellectuales aut pastorales. Quidquid dicit de Ecclesiae renovatione, de conversione cordis, de sanctitate vitae, de oratione, etc., verum est et

idoneum. Attamen illa enumeratio nimis frigida videtur, indigens fervore et animatione intima, quae sit capax movendi voluntates, et obtinendi sacrificia ardua quae proponi et imponi possunt. Ait enim quidam auctor spiritualis: conversio spiritualis tam difficilis est quam mortui resurrectio.

Unitatem commendavit Christus Apostolis, et imploravit apud Patrem in oratione sua ferventissima. Sed vult etiam Christus unitatem exerceri ab hominibus, sicut exercentur virtutes et apostolatus in concursu ad salutem aeternam obtinendam. Quae gratia a Deo veniet, sed etiam ab hominibus: hic finis a nobis pendet. Cum Deo debemus velle, sed realiter, fortiter, voluntate efficaci et firma. Debemus ergo uti mediis necessariis, et operari omnia sacrificia quae necessaria videntur, etsi difficilia et ardua.

Discussiones intellectuales circa haec problemata, sive theologica, sive historica, sive paedagogica, multiplicatae fuerunt a saeculis, et nulla conclusio effectiva secuta est. Quid agere debeamus? Discussiones prolongare verbis aut scriptis? Inutile videtur. In oratione perseverare? Sane oratio est in programmate Dei, sed non dispensat ab actione.

Deus vultne alias formas actionis? alios actus apostolatus, alias virtutes, alios actus caritatis, quae omnia probaverunt plures Patres conciliares?... Forsan animae generosiores possunt prospicere decreta vel desideria Cordis Divini. Quidquid sit, nos omnes suae intimae voluntati respondere oportet, et conformare. Si Deus nos exaudire adhuc non dignetur, ratio potestne esse in indignitate hominum? ... Deus scit. Unde possumus et debemus postulare et mereri dignitatem requisitam ad hanc supremam gratiam, a qua pendet salus multorum, extensio regni Dei in terra, et incrementum gloriae suae in caelo.

14

Exc.mus P. D. CAMILLUS PLACIDUS CROUS Y SALICHS

Episcopus tit. Cratiensis, vic. ap. Sibundoyensis

Circa cap. II schematis *de Oecumenismo,* quod *de Oecumenismi exercitio* agit, liceat mihi pauca adnotare.

1. Videtur valde opportunum conferentiis episcopalibus officium expresse committere in unaquaque natione, vel regione, Oecumenismi exercitium moderandi. *Rationes*:

a) Ut in unaquaque regione uniformitas, quantum possibile sit, in modo procedendi erga fratres separatos servetur.

b) Ut hic modus procedendi adaptetur peculiaribus condicionibus uniuscuiusque regionis. Etenim, ut notum est, regiones inter se valde diversae in hoc respectu existunt; et principia generalia Oecumenismi, quamquam ab omnibus admissa, non eodem modo in tam diversis regionibus ad praxim deduci possunt. E. g.: Ad multas et non parvas regiones, praesertim Americae Centralis et Meridionalis non pauci ex fratribus nostris separatis veniunt ut catholicos, si possint, ad se trahant, id est, a catholicis veritatibus

avertant. Quapropter, modus procedendi ex parte catholicorum in illis regionibus, ut patet, idem esse non potest ac in aliis regionibus quae in valde diversis condicionibus inveniuntur.

c) Iam exc.mus relator circa hoc cap. II de convenientia directorii a conferentiis episcopalibus praeparandi pro unaquaque natione locutus fuit. Sed videtur valde opportunum, immo et necessarium — meo humili iudicio — hoc in textu schematis constare, ut huius capitis sensus compleatur et confusiones vitentur.

2. Schema in hoc cap. II respicit dilectos fratres nostros separatos. Et recte; nam Oecumenismus, ut in ipso schemate capite primo affirmatur, est « motus et ordinata actio ad illam unitatem christianorum fovendam, quam Iesus Christus a Caelesti Patre flagitantibus postulavit precibus ». Sed ad optatam christianorum unitatem requiritur ut qui foris sunt, ad plenam veritatem catholicam intrent, et qui intra iam inveniuntur, ne exeant. Aliis verbis: fovendus est aditus fratrum separatorum et cavendus est exitus catholicorum.

Praeterea, idem cap. II, ex eo quod de fovendo aditu fratrum seiunctorum agit, modo laudabili loquitur de fraterno dialogo seu mutuo colloquio inter christianos, catholicos et non catholicos. Et hoc magni et salutaris momenti est, si de theologis intelligitur, vel de catholicis in doctrina peritis aut saltem sufficienter instructis. Sed non idem affirmari potest de omnibus catholicis in genere et sine debitis cautelis; immo pro insufficienter instructis, qui non pauci sunt, verum periculum constituere potest, sicut iam quidam venerabiles Patres animadverterunt. Quapropter, pro bono fidelium nostrorum, ratio pastoralis postulat ut de hoc periculo schema non sileat.

Conclusio. Humiliter propono quod in hoc cap. II addatur: Conferentiae episcopales in unaquaque regione moderentur exercitium Oecumenismi; et ubi pericula pro catholicis adesse prudenter existimaverint, ea praecaveant vel removere conentur.

Venerabiles Patres: « Caritas Christi urget nos »; caritas erga carissimos fratres nostros separatos, quos sincero corde diligimus, et etiam erga dilectissimos fratres et filios nobis commissos, i. e., fideles nostros, de quibus rationem Deo sumus reddituri. Utinam quam citius ex omnibus christianis, sub ductu Divini Pastoris Matris, « fiat unum ovile et unus Pastor ».

15

Exc.mus P. D. IACOBUS CUNNINGHAM
Episcopus Hagulstadensis et Novocastrensis

Ad huius schematis cap. II quod attinet, infrascripti episcopi sequentes submittunt emendationes:

a) Ad n. 7, pag. 16, linn. 22 et ss.: Ibi memorantur solummodo in genere peculiaria adiuncta (adhibitis tamen hic illic duobus exemplis spe-

cificis), in quibus licitum censeatur esse et opportunum quod catholici cum fratribus seiunctis communi in oratione consocientur.

Iamvero de huiusmodi adiunctis peculiaribus rite aestimandis, omnino necesse est, nostra submissa sententia, ut officii sit Ordinarii loci iudicare, immo et ipsam talem orationem communem moderari.

Quare sequentem proponimus emendationem: in lin. 24, post verba « oecumenicis conventibus », haec addantur: « de quibus iudicare valet et debet Ordinarius loci ».

b) Eodem n. 7, linn. 25 et 26. Per verba « remota quavis communicatione officiali » (*quae omnino retinenda* censemus), iam implicite sine dubio excluditur communicatio in sacris mysteriis Eucharisticis. Iamvero in ultima eiusdem n. 7 paragrapho expressis verbis excluditur haec communis Eucharistica participatio: « Attamen ... non licet ». Unde exoritur periculum censendi communicationem tantummodo in ritu Eucharistico prohiberi absolute, dum communicationem in alio cultu officiali in quibusdam adiunctis licitam esse possimus censere; seu aliis verbis communicatio in ritu Eucharistico omnino una atque eadem fieri videretur ac communicatio quaelibet officialis.

Unde emendationem proponimus quae sequitur: In linn. 26 et 27 legatur: « remota quavis communicatione in ritu Eucharistico vel in quolibet alio cultu officiali ». In linn. autem 32 ad 34 pericope « Attamen ... non licet » omittatur.

Cui sententiae ii consentiunt quorum nomina hic et pag. 2 subscribuntur.

[*Subscripserunt etiam*] Georgius Andreas Beck; J. Petit, ep. Menevensis; Gordonius Ioseph Gray, arch. S. Andreae et Edimburgensis; Iacobus Black, ep. Pasletanus; Stephanus McGill, ep. Ergadiensis et Insularum; Ioseph McGee, ep. Gallovidianus; Iacobus Ward, ep. (tit.) Sitensis, vic. cap. Glasguensis; Bernardus Patricius Wall, ep. Brentvoodensis; Carolus Grant, ep. tit. Alindensis; Cyrillus C. Cowderoy, ep. Southvarcensis; George Patrice Dwyer, ep. Loidensis.

16

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA
Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

Cap. II, de exercitio Oecumenismi, *medulare* videtur in schemate. Multa in ipso habentur bona et laudanda. Non pauca, tamen, perficienda adhuc sunt, alia clarius proponenda et nonnulla fortasse *ex integro* supplenda.

Bona utique sunt quae ibi dicuntur de « interiore renovatione, de conversione cordis, de sanctitate vitae (fortasse tria haec in unum reducenda), de oratione unanimi, de mutua cognitione etc. etc. » (nn. 4-9). Nihil tamen aut fere nihil speciale dicitur pro Oecumenismo. Illa enim bona sunt et utilia ad omnia et pro omnibus, in Oecumenismo et extra Oecumenismum, ad

agendum cum christianis et cum non-christianis, semper et ubique, pro quolibet negotio et pro qualibet quaestione, maxime in spiritualibus, tractandis. Bona quidem sunt, at, ni fallor, incompleta. Complenda ergo sunt et perficienda videntur, quae in schemate dicuntur. Hunc in finem aliquas velim adnotare indicationes.

1. Oecumenismus *dialogum* importat et exigit, immo vero et in dialogo *formaliter* consistit. Dialogus, autem, necessario implicat *reciprocitatem, mutuam relationem, communionem et communicationem inter dialogantes et interlocutores, colloquium* nempe unius ad alium et cum altero, in quo ambo activam partem habere et ambo aliquid « de suo » ponere et apportare tenentur, secus enim non dialogum sed nudum monologum haberi dicendum est.

Nunc, autem, in casu nostro et ad apportationem psychologico-spiritualem quod attinet, in schemate, prout iacet, prima fronte unus tantum e duobus attingitur interlocutoribus, unus tantum, Ecclesia nempe, aliquid in *colloquium* affert et afferre teneri videtur, quin ab altero — a fratribus seiunctis — quidquam *expresse* postuletur et exigatur, quod quidem iustum et aequum, ne dicam *logicum,* minime videtur.

Nec dicatur schema nostrum pro catholicis dari, quibus Concilium alloquitur. Exceptio enim haec nihil probat. In Concilio etenim exponuntur, promittuntur saltem et annuntiantur, principia catholica Oecumenismi, quae, quia principia normativa sunt, pro omnibus inserviunt, pro omnibus dantur et pro omnibus dari debent. Insuper:

2. In schemate non semel sed saepe diversimode, alio et alio criterio, alia et alia mensura tractantur et ponderantur christifideles catholici et fratres separati. Catholici enim monentur de necessitate « puriorem et magis evangelicam vitam » degendi; de « altiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu »; illi scire debent qualiter et quomodo « haud parvo fratribus separatis offendiculo esse tepiditatem atque peccaminosam vitam illorum qui catholico nomine decorantur » (n. 6), quae quidem omnia vera sunt et omnibus frequenter inculcanda; attamen, de fratribus separatis ... quid? An haec omnia, sicut et quae in nn. 4 et 5 occurrunt, solummodo praestanda erunt a « filiis » qui in Ecclesia vivunt, non vero ab illis « prodigis », qui ab Ecclesia sunt seiuncti. Cur tam varie?

3. Cum de « seiunctis » sermo fit in schemate, *bona* illorum quam maxime ponderantur (cf. nn. 19-23), quin de « aliis aspectibus, elementis et circumstantiis », fortasse non semper *positivis,* quidquam dicatur. Et multa quidem inter « fratres separatos » bona sunt et laudanda, at non omnia.

Nunc autem, huiusmodi ratio agendi et loquendi, criterio et mensura *unilaterali, a*) notionem et modulum dialogi excludit eique contradicit; *b*) nec aequa, nec iusta nec vera dici potest; *c*) periculosa videtur, cum in damnum fidei et in offensionem fidelium verti possit. Fideles enim catholici Decreta conciliaria legere poterunt et de facto legent. Illa vero legentes, bona fide

suspicare poterunt inter « separatos » omnia esse « bona et iusta », in Ecclesia vero ... « corrigenda, vitanda et renovanda ». Quot vera incommoda et *mala* ex his sequantur, nemo est qui non videat. Et nos quidem bonum fratrum separatorum curare debemus, oblivisci tamen non possumus fideles nostros eorumque *scandalum* vitare tenemur.

Hac de re, liceat mihi notare haec duo: *a*) tot tantaque dicta sunt de culpa et responsabilitate Ecclesiae Romanae « in facto separationis », utique lugendo, ut in regionibus traditionaliter catholicis, abhinc aliquot mensibus, vera « psychosis » publica timoris, diffidentiae, insecuritatis et verecundiae in professione fidei creata sit, talis ut fideles, vera angustia pressi, non raro sibi quaerant num ipsi « seiunctos » adire debeant indulgentiam peccatorum postulantes et *veniam vivendi,* si quae illis sit, a « fratribus » expectantes; *b*) in regionibus « pluralismi religiosi », si vera sunt quae aliqui episcopi confitentur, conversiones ad fidem catholicam, nostris hisce diebus, de facto imminutae sunt.

4. Semper in ratione dialogi oecumenici; estne oecumenicum loqui de erroribus « Protestantismi »? ... Possumusne fideles nostros praecavere de periculis in doctrina et moribus? ... Et si nos obiurgare illos non debemus, caritas enim christiana nos urget, cur et illi « alio modo procedunt », dum e contra « proselytismo non raro fallaci et medoso » catholicismum impetunt, sacerdotes incriminantur etc. etc.? Interlocutores, ni fallor, eadem methodo *oecumenico* uti debent.

5. In n. 10. *De expositione veritatis*: Facillime dicitur: « ... *tota* doctrina exponatur, at ... *modo illis appropriato* ... ». Quid est hoc? Non quaelibet ratio loquendi, etsi grata et comprehensibilis audientibus, admitti potest. In expositione dogmatum non est indifferens uno vel alio modo loqui, his vel aliis verbis uti. Quomodo enim de praesentia eucharistica sermo accurate fieri potest nisi dicatur « vere, realiter et substantialiter »? ... quomodo de Hierarchia, nisi *Hierarchia* dicatur? quomodo de B. V. M., nisi de *maternitate simul et de virginitate?* etc. In schemate sermo fit et allusio ad « psychologiam, asceticam etc. etc. fratrum separatorum ». Quomodo vero dogmata catholica poterunt appropriari formationi psychologicae « seiunctorum », cum toto caelo distent a vera ratione et conceptione catholica? ... Caute igitur procedendum est, ne forte dogmata nostra adaptare et subiicere velimus propriae rationi cogitandi, loquendi et agendi « seiunctorum ». Explicandae ergo erunt phrases illae et eorum vis accurate determinanda ad ambiguitates vitandas. Aliunde ne credamus « fratres separatos illiteratos esse et plene ignaros praedicationum nostrarum ». Sufficiet illis legere « Manuale » quoddam catholicum, in quo abs dubio doctrina catholica *clare et aperte* exponitur. De facto, in aula conciliari non semel problema creatum est et quidem « ob modum loquendi »; de facto non semel audivimus haec vel similia verba: « non dicamus hoc, ne fratres separati; supprimatur haec vel illa alia phrasis, quia offendere *illos* poterit; de facto aliquod schema discussum

non fuit, quia ... eius doctrina et contentum in offensionem " seiunctorum " cedere poterat ». Nihil ergo mirum si plures Patres conciliares anxii sint de « modo loquendi oecumenico ». Ni fallor, in ordine logico *veritas* imprimis quaerenda est et veritas clare exposita; *claritas* enim est de exigentia veritatis. Proponenda utique est cum *caritate,* at caritas non est de ratione veritatis logicae. Veritas etenim intellectum, caritas voluntatem respicit.

6. In dialogo oecumenico, sicut et in aliis, *finis* attendi debet. Finis vero est « unitatem christianorum » quaerere, « ut omnes *unum* sint », intra *unicam veram Ecclesiam Christi, Ecclesiam nempe apostolicam romanam.* Ecclesia ergo catholica non debet extra propria saepta exire ad veritatem quaerendam; neque fideles catholici unitatem *sibi* quaerere debent, cum in vera *unitate* semper fuerint. Quid ergo dicendum de proselytismo oecumenico « seiunctorum », qui totis viribus adlaborant « in evangelizando fideles catholicos ut in Protestantismum convertantur »? Non bene intelligitur qua mirabili ratione « dividere et separare sit medium aptissimum ad *unitatem* procurandam ».

7. In dialogo, ambo colloquentes aliquid proprium ponere debent, de quo colloquium fiat. Ecclesia catholica proprium offert *symbolum* propriamque theologiam. Quid afferunt fratres separati? Dicant nobis, saltem episcopis, ut sciamus quid agere debeamus. Secus deest materia dialogi. Indicent nobis quid velint quidve non, ne secus in puro lyrismo literario, sub specie *Oecumenismi,* maneamus loquentes, quin practicum quid consequamur.

17

EXC.MUS P. D. MAXIMILIANUS DRŽEČNIK

Episcopus Mariborensis

Par. 5 huius capitis « *de conversione cordis* » tractat et quidem modo congruenti. Sed mihi videtur necessarium ut profundius rem consideremus. In Oecumenismo enim agitur de conversione cordis non tantum individuali, sed praesertim communitaria. *Ecclesia ut peregrinans in actu conversionis vivere debet.* Quod dico novum non est, sed omnino concordat cum antiquissima traditione; etenim:

1. *In Vetere Testamento,* in liturgiis paenitentiae, populus Dei, qui Ecclesiae typus fuit, confessus est peccata sua contra Deum et communitatem (*Neh.* 9; *Joel* 1-2; *Bar.* 1-3).

2. *In Libro Apocalypsis,* capite secundo et tertio, quatuor Ecclesiis divinitus explicite mandatur: « Paenitentiam age! » (*Apoc.* 2, 5; 2, 16; 3, 3; 3, 19).

3. *In sacra Liturgia,* in qua Ecclesia vere ac plene actu exercetur, saepe fit oratio pro peccatis Populi Dei.

4. *In allocutione* Patris nostri dilectissimi Pauli VI hanc sessionem

aperiente haec verba iam pluries citata audivimus: « Si quae culpa huiusmodi separationem in nos admittenda sit, veniam humili rogatu a Deo petimus, ab ipsisque fratribus veniam petimus » (ed. lat. p. 31).

Ideo omnino assentiens declarationibus em.mi D. card. Quintero et exc.mi D. Elchinger de necessitate ex parte nostra verae paenitentiae oecumenicae ac conversionis communitariae, propono:

1. Ut *paragraphus* specialis inseratur sub titulo « *De paenitentia oecumenica* » ante praesentem paragraphum quartam in qua sermo est « De interiore Ecclesiae renovatione », quia revera haec ac ceterae paragraphi huius capitis non sunt nisi consectaria illius paenitentiae quam agere debemus de peccatis separationis.

2. Ut conemur *sensum peccati contra Ecclesiam,* quae est communio in caritate, aut potius *veram dilectionem erga Ecclesiam* magis ac magis efformare tum apud pastores tum apud fideles, ita ut « fructus dignos paenitentiae » omnes faciamus et ne dicamus « Matrem habemus Ecclesiam catholicam » sicut alii olim dicebant « Patrem habemus Abraham » (*Mt.* 3, 8-9). Hi fructus digni paenitentiae duo elementa continent:

a) *Humilem confessionem peccati.* Non est quidem nostrum confiteri peccata patrum nostrorum, sed peccata nostra propria confiteri debemus. Oratio nostra pro unitate annis elapsis interdum non omnino dissimilis erat orationi Pharisaei: « Deus gratias ago tibi quia non sum sicut ceteri hominum » (*Lc.* 18, 14). In Christo quidem, cuius gratia salvati sumus, Deus *iam* nos conresuscitavit, sed verum est etiam quod veterem hominem *nondum* deposuimus (cf. *Eph.* 2, 6 et 4, 22).

b) *Reparationem efficacem.* In diversis regionibus alii aliter reparationem peragere debebunt. Liceat mihi episcopo nationis cuius partem christifideles orthodoxi constituunt, quaedam exempla reparationis erga fratres seiunctos orientales proponere:

1) Ecclesiis orthodoxis restituantur in quantum possibile est reliquiae Sanctorum, quae praesertim in medio aevo a catholicis Occidentis asportatae sunt, vel libri magni pretii vel aliae res quae earum sunt.

2) Liturgiae orientales ad puritatem suam pristinam reducantur.

3) Latinizatio quaevis Orientis tandem et de facto desinat.

4) Proselytismus inter Ecclesias christianas omnino cesset, salva certe libertate conscientiae, ac ei substituatur mutuum adiutorium.

5) Incrementa theologica et spiritualia Orientis ab Ecclesia universali agnoscantur.

6) Si cura animarum hoc postulat, liceat denuo tum orthodoxis tum catholicis inter se convenire ut fideles sacramenta necessaria accipiant, cum debita pastorali praeparatione. Etenim eadem fides, eadem sacramenta eademque hierarchia utrisque sunt communia et illa communio reapse per multa saecula etiam post separationem fructuose viguit.

7) Uno verbo, foveatur caritas ingeniosa in veritate ut nos omnes

peccatores audire possimus verba Domini ad peccatricem: « Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum » (*Lc.* 7, 47).

3. Denique propono, humiliter ac salvo meliore iudicio, ut ante proclamationem Decreti « De Oecumenismo » fiat *solemnis quidam actus conciliaris reparationis fraternae* quo unanimiter a nobis assumantur verba supra citata dilectissimi Patris nostri Pauli VI. Citare hic liceat verba gravia Domini nostri: « Si offers munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo » (*Mt.* 5, 23-24). Venerabiles Patres, certo certius fratres nostri habent adversum nos non tantum aliquid sed adhuc aliquid et aliquid ... Quomodo possumus quotidie munus nostrum ad hoc altare offerre nisi prius reconciliati simus fratribus nostris in personis Observatorum hic praesentibus? Evangelium in hac aula nobis praeest non tantum ut norma sit fidei nostrae sed etiam norma caritatis et ut ad spem nos convocet et secundum caritatem nos iudicet.

Proponere mihi liceat hanc *emendationem in pag. 15: post lin. 5 nova par. 4* sub titulo « *De paenitentia oecumenica* » addatur, ac praesens par. 4 fit par. 5 sub titulo « De interiore Ecclesiae renovatione ». Textus novae par. 4 sequentibus vel similibus verbis componi posset: 4. (De paenitentia oecumenica). Sancta et immaculata creditur Ecclesia, pleroma Christi ac sponsa eius.[1] Nos tamen in terris peregrinantes adhuc peccati immanitate detinemur quamvis in Spiritu Sancto simus congregati.[2] Ideo in Sacra Scriptura populus Dei peccata sua confiteri iubetur, immo Ecclesiae locales monitionem divinam audiunt: « Paenitentiam age! ».[3] Revera si zizania divisionis in agro Domini seminata sunt, non solum inimico, sed etiam nobis hoc imputandum est. Proinde ut veritatem faciamus in caritate confiteri peccata nostra, veniam humili rogatu a Deo et fratribus nostris petere ac fructus dignos paenitentiae facere debemus.[4] Itaque, praeter debitas reparationes, Sanctae Synodo signa sequentia verae paenitentiae oecumenicae ab omnibus exhibenda monere placuit: (sequitur par. 5 quae hucusque fuit 4).

[*Subscripserunt etiam*] Gabriel Bueno Couto; Gabriel A. Bukatko, ep. tit. Mocissenus, coad. Belogradensis; Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis; Conradus De Vito, ep. Lucknowensis; Jos. Pogacnik, ep. tit. Irenopolitanus in Isauria, adm. ap. Labacensis; Zvekanovic Matija, adm. ap.; Gioacchino Segedi, ep. tit. Gissaria.

---

[1] *Eph.* 1, 23; 5, 27.

[2] Preces « Adsumus » ante congregationem dicendae in Concilio oecumenico Vaticano II.

[3] *Neh.* 9; *Joel* 1-2; *Bar.* 1-3; *Apoc.* 2, 5; 2, 16; 3, 3; 3, 19.

[4] Pauli VI allocutio ad Patres Conciliares 29-9-63 p. 31.

18

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY
Episcopus Lilongwensis

Ce chapitre est bien fait et s'il est mis en pratique aura des conséquences d'une portée dont nos successeurs cueilleront les fruits.

Prière. Cependant il faudra insister davantage sur *la prière des contemplatives; la prière des fidèles.* Ne pas se contenter de la prière faite chaque année en janvier, mais y revenir souvent.

Charité. Ubi caritas, ibi Deus est! Ubi caritas, ibi unitas! Ubi caritas, ibi pax! Ubi caritas, ibi humilitas! *Pas de dialogue possible sans cela.* On résiste aux arguments, on ne résiste pas — habituellement — à la charité et à l'humilité. Déplorons l'erreur — mais toujours discrètement, sans heurter, car nos frères séparés sont très sensibles sur ce point, c'est tellement humain — aimons toujours ceux qui sont dans l'erreur.

S'il faut éviter une attitude antagoniste, il ne faut pas non plus prendre l'attitude du frère du fils prodigue (ce n'est pas si rare que cela).

Ne rien précipiter, savoir attendre, patienter, être prêt à faire des concessions compatibles avec la pureté de la foi.

Eviter l'intellectualisme et insister sur la prière, rester dans la ligne de la pastorale, comme le voulait Jean XXIII.

Il est d'expérience que tous les arguments qu'apportent les protestants tombent comme des châteaux de cartes. Ceux qui sont convertis par les syllogismes — s'il est permis de parler ainsi — sont extrêment rares, la conversion reste toujours une grâce qu'on obtient à genoux, par la prière humble et persévérante.

L'approche humain est important; si l'homme ne gâte pas les choses, la grâce fera la lumière dans le frère séparé de bonne volonté. « J'ai passé beaucoup d'heures à genoux », m'a dit dernièrement un anglican, revenu depuis au catholicisme. C'est énorme car les protestants sont presque tous des semi-pélagiens.

Instruction de nos fidèles. Si chaque catholique était témoin vivant de sa foi, le retour de nos frères séparés serait accéléré.

Une bonne instruction est nécessaire pour cela, d'*abord pour connaître sa foi* et savoir la protéger, *ensuite pour être capable d'en donner un exposé clair et précis.*

Or l'œcuménisme est quelque chose de nouveau pour nos chrétiens. Il faudrait par conséquent un *Catéchisme post Vaticanum II* comme il y a un Catéchisme de Trente dont nos chrétiens vivent encore, mais qui est maintenant dépassé. *Il faut chez nos chrétiens, et nous ne sommes pas exclus, une mentalité œcuménique.* Ça ne se crée pas du jour au lendemain.

En attendant ce catéchisme post Vaticanum, composer un Appendix sur l'Œcuménisme.

Bon exemple. Exempla trahunt. Si tous ne savent pas manier la parole, l'exemple est à la portée de tous. Beaucoup de parents protestants doivent leur retour dans l'Eglise catholique à l'exemple donné par leurs enfants fréquentant une école catholique, parfois simplement la prière du matin et du soir, avant et après les repas.

Congrégation ou *Société religieuse* ayant pour but de donner des instructions aux frères séparés de bonne volonté sous forme de retraites, dialogues, exposés adaptés à eux. Au temps de la Réforme, les Jésuites furent fondés pour défendre la Foi, aujourd'hui nous aurions besoin d'une *Congrégation Œcuménique.* Mais c'est là question de charisme. Dieu peut susciter un homme providentiel, comme il fait toujours aux grands tournants de l'histoire de l'Eglise.

Qui plus que les missionnaires souhaiteraient le retour de nos frères séparés pour unir nos forces à conquérir ces masses païennes en Afrique au christianisme authentique? Quel gêne pour nous de voir parfois dans une petite ville d'Afrique jusqu'à 15 différentes dénominations se disant toutes l'Eglise du Christ.

19

EXC.MUS P. D. FORTINUS GÓMEZ LEÓN
Archiepiscopus Antequerensis

1. Ad n. 4. Omnino verum est Concilia in illum finem convocari, ut catholici omnes interius renoventur, sive clariore expositione et expressa professione alicuius veritatis, sive puriore et magis Evangelio conformi observantia mandatorum, immo et Consiliorum quae vocantur Evangelica. Hoc vero optime conferret ad properandam unitatem fratrum separatorum, quemadmodum in primordiis christianismi, fideles animo et opere vere se diligentes, eos qui talia mirabantur, ad recipiendum baptismum inducebant. Sed mihi videtur hanc interiorem vitae renovationem, proprie loquendo, non vocari debere *causa* ut motus ad unitatem properetur, nisi quia in sanctitate vitae melius percipitur ingens desiderium Christi « ut fiat unum ovile et unus Pastor ». Est ergo causa quae impellit ad unionem christianorum properandam, voluntas ipsa Christi verbis allatis manifestata. Ergo haec ut causa finalis principalis sileri in textu non debet. Cognoscentes ergo voluntatem Christi « ut omnes unum sint », illi sanctitate vitae conformari debemus. Quod optime in n. 5 dicitur: Oecumenismus veri nominis absque interiore conversione non datur, quia nos ipsi vere credentes videri non possumus, si vita nostra fidei non concordat.

2. Ad n. 7. Christus ipse nos docuit: « Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis », et etiam: « ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ». Ideo inter media adhibenda ad unionem properandam, oratio communis maximum momentum habet. Sed mihi valde periculosum apparet ut commendetur in peculiaribus rerum adiunctis,

catholicos viros cum fratribus separatis in precatione consociari, si hoc intelligitur ita ut catholici invitentur ut ad templa acatholicorum conveniant, vel viceversa. Facile esset, hac generali commendatione, ut quidam minus sapienter vel imprudenter, ad Oecumenismum promovendum, fideles, etiam in similibus sed disparibus revera adiunctis, mittantur ad templa acatholicorum, et viceversa. Saltem mihi, pro catholicis nostrae nationis graviter periculosum apparet, etiamsi non agatur, ut dicitur, de cultu *officiali.*

3. Ad n. 8. Nimis generalis mihi videtur quod initio huius paragraphi dicitur: « Fratrum separatorum animum cognoscere oportet ». Utinam omnes essent, sine periculo, capaces hanc cognitionem acquirendi; sed quam pauci sunt qui vere periti dici possint et ad pondus rationum attendentes, et non solum sua convenientia ducti seligentes sectam quae magis suis quam Christi voluntati faveat. Doctrinam ergo primae partis paragraphi compleri debet, si ponatur non ut exemplum *quod multum iuvare potest* (et quod ideo facile aliis modis minus fortasse aptis posset substitui); sed ut unicum medium ad cognitionem animorum fratrum nostrum separatorum et quidem cum cautelis de quibus in articulo, ut sic vitetur quaedam futura pullulatio mediorum, praeter allatum, in quibus privatim et inconsulto christifideles non sine fidei periculo incidere possunt.

Votum ergo est: 1. Causa praecipua ut omnes ad unitatem christianorum properandam cooperemur est ipsa voluntas Christi « ut fiat unum ovile et unus Pastor ».

2. Ut omnes invitentur ad orationem, in conventibus oecumenicis et aliis pene paribus, sed unusquisque in suo templo vel domi, in coetu familiae — si placeat — sed non in communi loco, speciatim si sacro.

3. Ut conventus ad fratrum mutuam cognitionem solummodo fiant de speciali licentia Ordinarii, quae dabitur, si opportunum existimetur, viris vere peritis.

20

Rev.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Plurimorum Patrum nomine alloqui audeo ad cap. II schematis *de Oecumenismo* quod attinet. Isto in capite, quamvis multa bona inveniantur, plura tamen sunt corrigenda et quaedam adiungenda. Ad rem!

1. *Nonnullae inveniuntur* — ut in tractatione tota — *ambagies* ex non bene tradita notione Ecclesiae, et *difficultates necnon contradictiones.*

Conferte, v. g., quae asseruntur de unitate et unicitate Ecclesiae in primo numero primi capitis et quae invenietis in n. 7 ubi christifideles hortantur ad orationem pro unitate Ecclesiae!

2. *Complures repetitiones pariter inveniuntur* et textus evadit onerosus et parum perspicuus. Videte, e. g., n. 10:

a) ad lin. 21 legimus: « integre et lucide exponatur »; ad lin. 31 legimus: « profunde et recte et perspicue exponamus »;

b) ad lin. 26 legimus: « qua intelligi possit etiam a fratribus separatis »; ad lin. 33 legimus: « ... qui ab omnibus possit vere comprehendi ». Et quae bis asseruntur in hoc numero, passim inveniantur ceteris in numeris.

3. *Ordo materiae non placet* quia multoties non videtur ordo!

Id quod affirmo patet ex dictis hucusque et ex simplici adnotatione successionis idearum expositarum in cap. II.

4. *De B. Virgine Maria aliquid dicendum est*; sed alii iam locuti sunt de hac re, ergo sufficit tantummodo defectum memorare!

5. *Usus verborum nec semper placet* quia confusionem parit vel parere potest.

Videte, v. g., quae leguntur in prima linea introductionis ad pag. 15: « Ad omnium christifidelium *munus officiumque* pertinet »; interrogo, a quo vel a quibus munus et officium receperunt? Munus et officium non est aliquid sacerdotale et quidem hierarchicum?...

Pariter, meo humili iudicio, non satis illustrantur verba sequentia: *a*) « spiritualitas matrimonii » (pag. 15, lin. 16); *b*) « conversio cordis » (pag. 15, lin. 20); *c*) « propensio fraterna in alios » (pag. 15, lin. 23) etc.

6. *Citationes scripturisticae nec semper sunt ad rem.* Sic, v. g., citatio pulcherrima S. Pauli (*Eph.* 4, 1-3) quae in n. 5 invenitur loquitur de unitate ad intra non de unitate ad extra, scil. de unitate fidelium in unica Ecclesia, non vero de unitate plurium Ecclesiarum, uti oecumenismus expostulat.

Pariter *citationes faciendae sunt ad litteram,* non ergo quomodo invenimus in novissima linea pag. 15 (*Mt.* 20, 28).

7. *Ad unitatem Ecclesiarum fovendam,* plus quam mala nostra confiteri uti multi Patres voluerunt, meo humili iudicio, multum conferret recognoscere bona et vera quae apud separatos inveniuntur.

Haec elementa sunt veluti bases, ut ita dicam, ut pons aliquis ponatur inter nos et illos et dialogus reapse fiat.

8. Et si separati certo habent aliquid boni et veri, et illis competit « ius et officium » illud bonum diffundendi; ratio est quia bonum est diffusivum sui!

Unde in sano oecumenismo, laudandi sunt separati in suo conatu missionario sed monendi quia suprema Bonitas et fons omnium bonitatis in tota sua plenitudine se communicavit tantummodo Ecclesiae catholicae; unde habent obligationem, et quidem gravem, ex ipsa natura rerum, veritatem totalem amplectendi.

21

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS MATTHAEUS HANNAN
Episcopus Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis

In nomine 61 episcoporum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, veniam loquendi reverenter postulo de necessitate claram faciendi distinctionem inter sacerdotalia et ea quae apud nos « regalia » nuncupan-

tur, i. e., insignia regia in quantum eis in quibusdam vestimentis atque consuetudinibus in Ecclesia utimur. Haec vero distinctio semper ad curam melius praebenda commemoranda est sed in praesenti disceptatione fortius exprimenda est ad oecumenismum magis fovendum. Principium igitur huius distinctionis breviter ad finem capitis primi exponi posset vel in cap. II « De Oecumenismi exercitio » applicari posset.

Ut Oecumenismum faveamus, humaniter suggerere velim ut episcopis cuiusvis regionis, forsan per Conferentiam Nationalem, permittatur ut quaedam vestimenta ecclesiastica deponant necnon quasdam consuetudines omittant. Cappa magna, e. g., caligae, udones et calcei variorum colorum deponantur oportet; basiatio anuli extra functiones sacras et ecclesiasticas omittatur et aboleantur throni alti qui plus thronus huius mundi regios sapiunt quam Sedem Apostolicam; porro, episcopus apud altare neve in throno se vestimentis ad Missam Pontificalem celebrandum induat.

Quae omnia suggero ut clare ostendatur omnibus, sive catholicis sive acatholicis, distinctio inter sacerdotalia et ea quae regalia nuncupantur. Maximi enim momenti est fratres seiunctos intelligere episcopum, qui est primus pastor in propria dioecesi et qui Christum neque alium quam Christum repraesentat, sollicitum esse tantum quae Christi sunt, non quae sunt mundi.

Omnino patet qua ratione res ita se habet. In quibusdam enim regionibus, continuatio illarum consuetudinum, quae ex moribus institutisque monarchicis derivantur necnon ex temporibus proveniunt in quibus episcopi erant etiam domini feudis investiti, impedimento est ad unitatem fovendam christianam. Quae vero cum dicam, minime volo iudicium ferre de istis consuetudinibus servandis in quibusdam regionibus ubi causae Ecclesiae tam bene inservierunt et adhuc inserviunt.

Regula a Concilio Hierosolymitano imposita servanda est, videlicet, « nihil ultra ... oneris quam ... necessaria » (*Acta Ap.* 15, 28). Ea quae ex hoc decreto Concilii Hierosolymitano in bonum Ecclesiae provenerunt nobis persuadeant oportet ut hanc regulam iterum sequamur.

Die 17 novembris 1963, 61 ex 120 episcopis ex hierarchia episcopatus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis adunatis approbaverunt interventionem S. E. Philippi Hannan faciendam de capite secundo de schemate oecumenismi in aula Concilii.

✠ Thomas A. Boland
Praeses coetus conciliaris episcoporum Americae Septemtrionalis
✠ Floyd L. Begin
Praeses comitatus de oecumenismo

22

EXC.MUS P. D. IOSEPH HASLER

Episcopus S. Galli

Helvetiae episcoporum nomine aliquas animadversiones super cap. II submisse proponere mihi liceat, venerabiles Patres, et quidem circa quatuor.

1. Relator super caput nostrum, in sua relatione p. 13, dicit optime: Fideles huius nomine digni et simul Mater Ecclesia omnia media ad oecumenismum exercendum adhibere debent. Cap. II huius schematis tantummodo loquitur de oecumenismo fidelium et nihil dicit de oecumenismo exercendo relate ad Matrem Ecclesiam. Valde placent ea quae enumerantur ad renovationem cordium fidelium. Sed nobis videtur aliquem numerum specialem conficiendum esse, saltem brevem, in quo dicatur, quomodo Mater Ecclesia ut est societas humana oecumenismum exercere potest et debet. Omnes sciunt Ecclesiam habere elementa divina et humana. Oportet ut Ecclesia structuram suam non quidem divinam sed humanam sic dictam ecclesiasticam renovet secundum temporum et circumstantiarum necessitates. Oportet ut Ecclesia in praxim reducat illud « aggiornamento » de quo Ioannes XXIII felicis memoriae loquebatur et propter quod Concilium convocavit. Interior renovatio Ecclesiae non solum est renovatio personarum, sed ipsius Ecclesiae in suis elementis humanis, ut iam factum est e. g. in campo liturgiae.

2. Aliquis specialis numerus conficiendus etiam videtur ad oecumenismum exercendum, in quo explicatur quomodo claritas, quam Filio dedit Pater, ut omnes unum sint, divisionibus nostris obscuratur ita ut mundus ad Christum non veniet, vel difficilius veniet. Oecumenismus exerceri incipit, dum nos omnes christifideles incipiunt poenitere dissensionibus nostris, quidquid sit de nostris culpis. Non exercetur oecumenismus sine poenitentia, ut ita dicam, oecumenica.

3. Pag. 18, in fine n. 11, aliquid profundius nobis videtur addendum esse. Necessaria et optima est cooperatio omnium christifidelium in rebus temporalibus, sed maior cooperatio inter nos et fratres nostros disiunctos instaurari potest. Valde enim optandum est ut omnes, qui in Christum credunt, Christi mandata in vita familiari, sociali et civili vindicent, et quidem ut omnes simul, Deum verum et vivum et Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum confiteantur.

4. Denique erit novus numerus in hoc capite conficiendus circa libertatem religiosam si cap. V in nostro schemate non remaneret.

23

EXC.MUS P. D. IOANNES FARMER HEALY
Episcopus Gibraltariensis

Placent mihi quae in par. 6 proponuntur de unione christianorum fovenda per sanctitatem vitae. Dicitur « Meminerint omnes christifideles se christianorum unionem eo melius promovere quo puriorem et magis evangelicam vitam degere student. Quo enim altiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu uniuntur, eo intimius mutuam fraternitatem augere valent ». At, insimul, placita huius paragraphi legens, mente mecumipso reputo ac sciscitor an propositio ita generalis sufficiens haberi possit. Nonne, potius, oportet ut haec Synodus rationes efficaciores magisque practicas provideat quae christifideles memores esse constringant obligationis qua tenentur animae lucrandi eorum bonae vitae exemplo?

Aliunde probanda mihi non videntur quae in paragrapho septima dicuntur de oratione publice facienda cum acatholicis. Magno enim timore sum ne talis publica communicatio in oratione a plurimis, saltem in Ecclesia occidentali, intelligatur uti publica expressio unitatis in fide, sicque multi, etiam catholici, ad omnes religiones aequiparandas inducantur.

Praeterea, uti mihi videtur, talis actuosa participatio in oratione publica cum acatholicis, speciem quamdam induit simulationis et mendacii. Etenim prae oculis habere oportet difficultatem dignoscendi quid plures eorum fratrum, qui christiano ornantur nomine, de facto credant. Eorum enim alii Augustam Dei Trinitatem profitentur, alii vero reiiciunt; alii Divinitatem Domini Iesu Christi agnoscunt, dum alii denegant et ita porro. Si verba orationum non sunt mera signa externa nullam relationem cum interna mentis conditione dicentia, quomodo dici poterit mentes communiter ad Deum elevari quando iam, ab initio, non solum directione sed et quoad fidei fundamenta ita dissociantur. Nonne verba nostra nostraque operatio unionem mentis exprimerent quae, reapse, non datur?

Ex alia parte nullum est mihi dubium quin oporteat urgere necessitatem orandi pro unitate. Haec necessitas magis magisque mihi suadetur ex eo quod innovationes in schemate « de Liturgia », praesertim quoad Divini Officii recitationem, probatae, inducent ut opinor diminutionem vitae orationis in Ecclesia.

Esto quod « vitae hodiernae conditiones in quibus versantur praesertim ii quibus operibus apostolicis incumbunt » exigant ut orationi parcatur, nemo tamen negabit necessitatem divini adiutorii quo egemus in promovenda unitate pariter exigere ut, sicut Magister noster, Christus, faciebat, et nos etiam mentes nostras frequenter ad Patrem caelestem dirigamus — ut omnes unum sint.

Vos, venerabiles Fratres, qui pastorali officio sedulo incumbitis, scitis quomodo, teste experientia, satis non erit nos meram spem aut consilium

exprimere ut orationes pro unitate dicantur. Necesse est ut hae supplicationes obligatione imponantur. Forsitan imprudens iudicabitur talem obligationem laicis imponere; vobis, tamen, enixe rogo ut consideretur possibilitas imponendi specialem obligationem clericis aliisque religiosis ad quotidianam aliquam orationem « pro unitate » recitandam, cui addatur sollicita invitatio, omnibus christifidelibus facta, ut his orationibus consocientur.

Hae breves preces consistere poterunt ex invocatione Sanctissimae Trinitatis cui addenda erit quaedam brevis oratio iaculatoria ad impetrandam unitatem.

Determinata hora diei dicenda erit haec oratio e. g. immediate ante prandium vespertinum — ad commemorandam coenam Domini.

Lingua latina utantur tam clerici quam laici — ad unionem cum Supremo Pastore recognoscendam et significandam.

Si omnes catholici, per orbem terrarum, tam orientales quam occidentales, in unione intima cum Beatissimo nostro Papa, sic in oratione possent consociari, forsan acatholici nostrum sequentur exemplum; illae Christi oves discerent unitatem exoptare eamque in oratione quaerere.

Haec mea propositio forsan aliquibus ingenua et inanis videbitur, at homo satis ingenuus et simplex sum ut haec Sacrae Synodo proponere audeam, cum Deus sciat ex humillimis primordiis magna aedificare. Nonne hoc potest esse granum sinapis, cui simile est regnum caelorum?

24

Exc.mus P. D. IOSEPH HILTL

Episcopus tit. Constantiniensis, aux. Ratisboniensis

Optime exarato cap. II « de Oecumenismi exercitio » liceat mihi breviter paucas animadversiones proferre et quidem: 1. de quibusdam *periculi* condicionibus; 2. de principiis adhibendis.

Ad primum: de *periculi* condicionibus.

a) Cum decretum de oecumenismo non solum ad *theologos* et in doctrina catholica *optime peritos* sed etiam ad fideles *minus doctos* et in vita christiana *nondum plene probatos* tendat, facile *oriri* possunt apud hos minus instructos *dubia* fidei, opinantes, nunc Ecclesia catholica cum communitatibus inde a saeculo decimo sexto exortis, toto orbe *dispersis* (et iterum *divisis* in multas sectas) quasi *conventionem* intendere ad instar conventionum in rebus *politicis,* quae dicuntur germanice « *Kompromiss* ». Interrogabunt: « Numquid etiam nostra *Ecclesia catholica,* fundata in Petro, in tali " conventione " *aliquid ex deposito fidei prodere* urgebitur? » (Ideo multi fideles *vacillare* incipient).

b) Periculum *indifferentismi* in rebus fidei orituri. Inter fideles catholicos non desunt, qui *ineundo matrimonio mixtae religionis* disceptare debent, utrum infantes ex hoc matrimonio orituri in *fide catholica* educen-

tur *an non? Non pauci,* in catholica fide non satis firmati, decident *negative* et conscientiam suam *permulcere* conabuntur dicendo: « Hodie *non iam differentia* inter religionem catholicam et aliarum communitatum christianarum viget — nos omnes habemus *unum Deum* ».

En fatalis et damnosus error!

c) Periculum *discordiae* inter familiares et sodales catholicos et non catholicos.

Schema de oecumenismo in *art. 10* monet: « Intentos nos esse oportet, ut fidem nostram *profunde* et *recte* et *perspicue* exponamus ».

In *art. 24 commendatur « dialogus inter christianos »*. Attamen, si inter *catholicos* et *non catholicos* non bene instructos et animo non *moderatos* dialogus habetur, facile *periculum discordiae* et *animositatis infensae* oriri et oecumenismi finis honestus ad irritum redigi potest, quia in hisce disputationibus non raro etiam falsae propositiones proferuntur.

Secundo: de *principiis* adhibendis.

a) In exercendo Oecumenismo *stabit primum* principium fixum et immutabile: In *conversatione et dialogo* cum erranti debemus *parcere* erranti et eiusdem « bonam fidem » admodum *aestimare, errorem* tamen, si firmiter et clare ut talis cognoscitur, stricte nos *abnuere* sine aliqua exceptione *oportet.*

b) Caritas fraterna et aestimatio sincera bonae fidei erga fratres seiunctos nos *non impedire* debet, erroneas opiniones *antiquitus detentas* repudiare et veritatem catholicam defendere: *Veneratio* Sanctorum *non* est *adoratio* Sanctorum, *cultus hyperduliae* erga B. M. V. non est cultus *divinus, Missae sacrificium* est *vere* sacrificium incruentum et repraesentatio mystica sacrificii Crucis, etc.

c) Valde utile in *exercitio* oecumenismi erit *cooperatio* nostra cum fratribus seiunctis in *re sociali* et in operibus *caritatis* iuxta art. 11 schematis. Accedit *unanimis repulsionis animus* ferocissimi inimici fidei christiani, nempe *communismi atheistici* cum omni patientia et doctrina.

Cum S. Paulo dicere valeamus: « Ostium mihi magnum apertum est et evidens ... adversarii autem multi ».

25

REV.MUS P. D. IOANNES HOECK
Praeses Congr. Bavaricae O.S.B.

Certe omnino laudandi, fovendi et exercendi sunt omnes isti modi Oecumenismi, qui in hoc decreto monstrantur et commendantur. Tamen sufficere non videntur ad obtinendam tandem aliquando veram unionem in fide, sacramentis et regimine. Nulla enim Ecclesia christiana qua talis umquam concedere poterit se non esse Ecclesiam veram et unicam vel saltem pertinere ad eam, quin ipso facto cesset esse christiana, cum Christum unam tantum fundavisse et proinde voluisse constet. Talis ergo concessio

non solum logice et psychologice, sed etiam dogmatice impossibilis est; ad impossibile vero, uti notum est, nemo tenetur. Quid ergo? De unione ecclesiarum omnino desperandum et orationem Domini, ut omnes unum sint, numquam impletum iri? Absit! Vel solummodo Deo relinquendum, quod nobis impossibile videtur? At non sunt exspectanda miracula, donec nos non omnia fecerimus, quod in nobis est! Quod si vero media ordinaria non sufficiunt, quaerenda et probanda sunt etiam extraordinaria et inconsueta.

Talis via in eo mihi consistere videtur, ut nihil aliud postuletur tamquam fundamentum, saltem praevium, unionis nisi quae revera necessaria sunt necessitate salutis. Nonne exemplum ipsius Christi nos hoc monet, qui pharisaeos et scribas reprehendit, quod « onera gravia et importabilia imponerent in humeros hominum » (*Mt.* 23, 4) et qui ipse nihil aliud postulabat nisi fidem et sinceram bonam voluntatem. Et nonne etiam exemplum Apostolorum hoc docet, qui in illo concilio Hierosolymitano item « nihil ultra imponere oneris volebant quam necessaria » (*Act.* 15, 28)?

Quam pauca vero sunt revera necessaria necessitate salutis in fide, in iure, in disciplina! Beata tempora, quando eunuchus ille Candacis reginae post brevem catechesim in curru potuit quaerere: « Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? » et Philippus potuit respondere: « Si credis ex toto corde, licet » (*Act.* 8, 26 s.)!

Sed quid sibi vult haec « fides ex toto corde »? Certe credere sincere et integre eas omnes veritates, quas Deus revelavit et quas homo modo captui suo adaequato ut tales actu cognoscere potest. At ne confundamus depositum fidei cum theologia! Potestne dici esse necessarium necessitate salutis, ut unusquisque fidelis credat fide aequo modo explicita omnes et singulas veritates, quas theologi et magisterium Ecclesiae decursu temporum ex hoc deposito explicaverunt? Et potestne postulari, ut Ecclesiae a nobis per tot saecula seiunctae, qua tales uno saltu transiliant totam evolutionem doctrinae et explicationem fidei, quae his saeculis in nostra Ecclesia et in suis diversimode evenerunt? Sed quomodo hanc evolutionem cognoscere poterunt, si remanent separatae a nobis? Nonne attendenda et fovenda est quam arctissima unio cum eis, etsi non iam plena et perfecta, dummodo omnia credant, quae ante separationem nobiscum crediderunt, et parati sint ad sincere et humiliter investigandum et probandum ea quae Ecclesia nostra interim censuit esse definienda et credenda?

Idem dicendum de iure et de disciplina. Cum fideles harum Ecclesiarum non ipsi ab Ecclesia nostra discesserint, sed nati sint et bona fide vivant in suis, cur in iure canonico habentur et tractantur uti haeretici vel schismatici? Cur sunt excommunicati, cur sunt infames? (c. 2314). Cur est vetitum, eis sacramenta nostra ministrare etiamsi bona et recta fide ea petant? (c. 731 § 2). Nonne omnes isti canones C.I.C., qui haereticos et schismaticos respiciunt (e. g. cc. 1325 § 2, 2314, 1240, 1241, 731 § 2, 1238, 2316) in reformatione codicis nisi omnino tollendi, saltem, restringendi essent ad eos, qui post acceptum *in Ecclesia catholica* baptismum scite et voluntarie

a fide aberrant vel auctoritati Ecclesiae subesse recusant? Nonne absonum et indignum, immo iniustum et scandalosum eos excludere e nostra communione, quos Deus includit in suam, cum in statu gratiae sint, si bona fide sunt e vivunt, dum econtra multos ut membra Ecclesiae consideramus, qui nihil credunt aut de fide curant, solummodo quia non externe et expresse eam negant. Cui hic non in mentem veniunt illa terribilia Vae Domini nostri contra pharisaeos et scribas (*Mt.* 23, 1-36) vel illud: « Dico autem vobis, quod multi venient ab oriente et occidente et recumbent ... in regno caelorum, filii autem regni eicientur » (*Mt.* 8, 11)? Et cum fides, quam in eis desideramus, sit gratia, quae datur et nutritur et roboratur per sacramenta, cur eos non admittimus ad ea, saltem ad remissionem peccatorum et mysterium fidei, si ea rite petunt, ut et in eorum mente quidquid vitiosum est ipsorum medicationis dono curetur, quod his diebus in postcommunione petimus?

Et quid de primatu? Certe non agnoscent eum uti hodie exercetur. Sed estne hic *modus* exercitii regiminis iuris divini et de necessitate salutis? Nonne per saecula omnino aliter exercebatur? et nonne pro unitate Ecclesiae hoc sufficeret?

Sed et multa alia non sunt de necessitate salutis, quae hic solummodo tangi possunt. Neminem fugit, quantopere impediatur unio recentioribus definitionibus dogmaticis (Immaculatae Conceptionis, infallibilitatis et primatus, Assumptionis B. M. V.), non quia fratres seiuncti revelationem respuant, sed quia videre non possunt, quomodo haec dogmata revelata sint. Cur ergo non abstinetur a novis semper inveniendis vel potius extorquendis definitionibus, quae etsi possibiles tamen necessariae non sunt? Et cur non vitamus tot defectus doctrinae et vitae nostrae, quos item aliis esse obstacula et scandala neminem nostrum latet, uti sunt infelix quaedam tendentia et inclinatio ad praeferendum et superaccentuandum (sit venia verbi!) res periphaericas, secundarias, extraordinarias, miraculosas, non raro paene superstitiosas et magicas, quae saepe magis aestimantur et coluntur quam ipse Deus. Erit enim tempus ... (*2 Tim.* 4).

Ita possent adhuc multa quaeri huiusmodi. Sed forsan iam nimis quaesivi et forsan etiam quaedam minus recte, minus reverenter, minus prudenter. Parcite mihi: Est inquietudo cordis, quae timet, ne nobis idem accidat ac Summis Sacerdotibus populi electi, qui non cognoverunt diem visitationis suae, ne praetermittamus et nos sive ex nimia anxietate sive ex pertinacia et rigiditate diem et horam, sicut tam saepe iam accidit in historia Ecclesiae. Est denique caritas, quae urget, illa nempe caritas, de qua dicit S. Paulus: « Et si ... noverim mysteria omnia et omnem scientiam et si habuero *omnem fidem* ... caritatem autem non habuero nihil sum » (*1 Cor.* 13, 2).

Ergo in necessariis (in vere necessariis) unitas, in dubiis libertas, in omnibus autem et super omnia caritas!

26

EXC.MUS P. D. GEORGIUS LAYEK
Archiepiscopus Aleppensis Armenorum

Fas sit mihi exponere duas difficultates quae obstant genuino Oecumenismo et duo pericula quae sequuntur ex exercitio falsi Oecumenismi.

I[a] difficultas provenit ex confusione conceptuum « Oecumenismi » et « Dialogi oecumenici » in mente christifidelium.

Oecumenismus respicit *omnes* fideles et complectitur omnes dispositiones animi et actus aptos ad unionem christianorum fovendam, scil. sanctitatem vitae, caritatem et benevolentiam in mutua cognitione et aestimatione, orationem unanimem, (pro orientalibus) cultum eucharisticum et devotionem erga Deiparam Matrem Ecclesiae, cooperationem cum fratribus seiunctis in campo sociali, culturali et caritativo. Oecumenismus ita intellectus partem constituit pastoralis sollicitudinis nostrae, et in christifidelibus effectus est vitae gratiae et vividae conscientiae insertionis suae in unitate Corporis Christi qui omnes vult « ut sint unum ».

Dialogus oecumenicus e contra, cum fratribus seiunctis, est ulterior gressus in ordine doctrinali et stricte reservari debet viris ab episcopo ad hoc designatis, vere idoneis ratione « scientiae theologicae et firmae suae adhaesionis ad principia et normas ab Ecclesia statutas ».

Ideo ad vitandas multas difficultates in exercitio oecumenismi vel in expositione eius, salvo meliori iudicio, humiliter propono ut in schemate sedulo et clare distinguatur inter Oecumenismum simpliciter et dialogum oecumenicum.

II[a] difficultas quae videtur obstare exercitio genuini Oecumenismi est silentium schematis (quod tamen a Secretariatu pro fovenda unione inter christianos, comparatum fuit), circa optatam mitigationem praescriptionum de Communicatione in Sacris, quae eo magis vehementer expectabatur a nobis orientalibus, quod ipsa commissio de Doctrina Fidei et Morum iam in priore schemate *de Ecclesia,* debita cautela admiserat, exceptiones quasdam introducendo (cf. *ibid.* pp. 84-85).

Videtur quod Secretariatus pro Unione, prae oculis habuit tantum difficultates quae forsan orirentur ex hoc agendi modo relate ad fratres protestantes.

Certe minime consideramus Communicationem in Sacris ut medium universaliter adhibendum ad unitatem omnium christianorum in una Ecclesia restituendam; sed revera putamus in determinatis adiunctis Ecclesiam huiusmodi mitigatione magnam ostendere caritatem ac sollicitudinem pastoralem erga fratres orientales separatos qui ecclesias nostras frequenter celebrant et aliquando sanctitatis vitae vehementi desiderio permoti, profunda et sincera fide sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae a nobis expostulant.

Enixe petimus ne nimis urgeatur natura Sacrificii Eucharistici, utpote signum unitatis Ecclesiae Corporis Christi mystici. Nonne et ipsi fratres

separati, per Baptismum in Christo fundati aliquomodo membra Christi sunt et revera indigent, ad vitam gratiae restaurandam et augendam, sacramento Paenitentiae; item ad eandem vitam augendam et contra peccati inclinationes roborandam indigent sacramento Eucharistiae?

Addendum est quod S. S. C. Sancti Officii anno 1957 decretum ediderat de Sacramentis sub determinatis conditionibus dandis alumnis, filiis « orthodoxorum » in scholis catholicis. Ita ut per hanc sapientem praxim plurimi alumni inde ab illo tempore magnum solatium et emolumentum spirituale capiunt.

Quod ad Sacramentalia vero attinet, ut utar ipsis verbis prioris schematis *de Ecclesia* a commissione de doctrina exaratum, scil. « preces, loca sacra, funera et alia huiusmodi (attinet), in quibus ipsa doctrina unitatis Ecclesiae prohibitionem Communicationis de se non exigit, Ecclesia ea praescribit quae pro animarum utilitate, tum catholicorum tum christianorum dissidentium, secundum circumstantias loci et temporis rogantur » (*ibid.* pag. 85).

Propterea, ad sternendam viam libero exercitio genuini Oecumenismi, humiliter rogo: ut disciplina de Communicatione in Sacris mitigetur relate ad fratres orientales separatos, sacramenta sincero animo postulantes et ad catholicos sacramentalia cum orthodoxis participantes, ad mentem commissionis de doctrina in schemate citato, cum revera patet nullam ex hoc oriri difficultatem in ordine dogmatico.

Nihil dicam de alia gravi difficultate quae serium obstaculum constituit exercitio Oecumenismi, sc. de disciplina necessitatis formae pro orientalibus ad validitatem matrimonii, cum hoc iam ab aliis tractatum fuit.

Quoad pericula Oecumenismi liceat mihi duo indicare:

1. In cap. II, pag. 17, lin. 29, dicitur: « Modus ac ratio fidem nostram exprimendi nullatenus obstaculum fieri debet dialogo cum fratribus ». Cum iam supra optavimus secundum instructionem Sancti Officii de motione oecumenica, ut dialogum sit exclusive opus peritorum, attendendum est ne per illa verba schematis, omnino excludatur et in discrimen adducatur *Apologetica.*

Etenim expositio integra et lucida fidei nostrae nunquam haberi potest sine respectu ad obiectiones et contrarias sententias aliarum Confessionum necnon ad errores in futuro possibiles, sc. sine Apologetica, instructione fidelium, praesertim in illis regionibus sicut (apud nos) in Medio Oriente, communitates christianae seiunctae ex reformatione proselytismo sectantes, adeptos quaerunt in sinu Ecclesiae. Ideoque Oecumenismi exercitium componi debet non tantum cum integra et perspicua expositione sed etiam cum defensione fidei.

2. Aliud periculum quod ex falso et radicali oecumenismo oritur, et quod, proh dolor, in nostris regionibus iam evasit luctuosa realitas, est tendentia apud quosdam, extendendi oecumenismum novum doctrinalem etiam ad pueros per Catechismum sic dictum interconfessionalem, auctori-

tate Gubernii Civilis impositum alumnis christianis omnium scholarum privatarum et publicarum, cum violatione iurium Ecclesiae et maximo detrimento fidei iuventutis nostrae (etiamsi dicatur quod lacunas vel errores et deficientias libri corrigeret magister catholicus durante lectione).

Propter ista gravissima pericula, quis non videt omnem oecumenismum incipere debere a principiis dogmaticis clare enuntiatis, ita ut in tuto ponatur non tantum fides sed ipsa sors oecumenismi.

[*Subscripserunt etiam*] Mesrop Habozian, arch. tit. Camaco, abb. gen.; Paulus Kiredjian, arch. Istanbul Turquie; (rev.mus) Ioseph Khantzian, ord. armenus Graeciae; R. Bayan, ep. Alexandrinus Armenorum in Aegypto; Mesrob Terzian, ep. tit. Comanae Armenorum.

27

Exc.mus P. D. IOSEPH LECUONA LABANDIBAR

Episcopus tit. Vagadensis

Quae dicturus sum *praesertim* pro locis Missionum et Ecclesiis nondum solide constabilitis valere censeo.

1. In primis, omnibus qui operi missionario incumbunt, et non solis « viris missionalibus », ut dicitur pag. 17, lin. 16, commendari oportet ut et ipsi solido spiritu oecumenico efformentur et eundem spiritum prudenter ac efficaciter diffundant.

2. Auctores huius schematis laudabiliter conati sunt praeparare decretum habens, inter alia, *characterem pastoralem,* ut constat ex relatione nobis facta ab exc.mo D. Ioseph Maria Martin (pag. 12). Intenditur, nempe, « instructio fidelium, qua illi melius cognoscere possint obiectum, mentem et opportunitatem providentialem oecumenicae motionis ». Talis vero instructio fidelium non facile et subito potest obtineri; sed gradatim et decursu temporis non exigui. Dum autem fideles efformantur doctrina et in exercitio oecumenismi catholici, et nondum ad maturiorem huius motionis spiritum pervenerunt, facilius turbari possunt et scandalum pati ex dialogo oecumenico et cooperatione cum fratribus separatis.

In nostro schemate solum per transennam et indirecte sermo fit in pag. 17, lin. 14 et sequenti de « institutione ac formatione spirituali fidelium », utique ad oecumenismum ordinata.

Desideratur certe in hoc capite de exercitio oecumenismi clara applicatio principii pastoralis « Salus animarum, suprema lex », non sensu restricto et unilaterali, sed in tota sua amplitudine et vigore: ratio nempe habenda est num exercitium oecumenismi faveat vel potius noceat fidelibus catholicis in determinatis circumstantiis. Non sufficit ergo procurare in dialogo oecumenico fidem nostram integre et lucide exponere; nec eo modo exponere, quo possit intelligi a fratribus separatis, habita ratione eorum institutionis

theologicae, culturae, historiae et psychologiae ». Adhuc deest quid necessarium in ordinata actione oecumenica, ut vere pastoralis sit. Neque in cooperatione cum fratribus separatis in re sociali sufficit bona voluntas omnium concurrendi ad communem operam. Attente consideranda sunt adiuncta, praecipue, gradus formationis christianae et oecumenicae fidelium catholicorum, ne, dum aliquid boni affertur ad unionem christianorum, simul damnum inferatur animis catholicorum, eos ad indifferentismum vel relativismum religiosum alliciendo. Hoc accidere potest si vel dialogus vel cooperatio « indoctam plebem » aut « ignaros cereosque adulescentium animos » — de quibus Ioannes XXIII in Encyclica *Ad Petri cathedram* — ad conscientiae deformationem inducerent. Ipsi apostoli Paulus et Ioannes, de quorum caritate et spiritu oecumenico dubitare non possumus, monent fideles ut a docentibus Evangelio contraria sedulo caveant. Ita Paulus, e. g.: « Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissentiones et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis » (*Rom.* 16, 17). Et apostolus Ioannes: « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis » (*2 Io.,* 10). Non est putandum haec verba S. Scripturae vim suam pastoralem iam amisisse; potius sollicitudine apostolica docentur pastores omnium temporum quomodo debeant christianas communitates novas et adhuc debiles in fide speciali cura a periculis eiusdem fidei munire.

Solemniter utique affirmatur motionem oecumenicam « nec procedere ex indifferentismo nec per se tendere ad indifferentismum » (Relatio, pag. 15); sed haec veritas proponenda est indoctae plebi et adulescentibus non solum verbis sed etiam factis et agendi ratione eorum captui accommodata. Nonne, venerabiles Patres, si veritatem proponere debemus modo accommodato fratrum separatorum culturae et psychologiae, eadem norma practica applicanda est quoque in veritate proponenda plebi et adolescentibus?

In Relatione (pag. 15) annuntiatur Directorium generale, quod a coetibus regionalibus episcoporum magis determinandum erit attentis problematibus locorum. Optandum est Directorium generale relinquat sufficientem libertatem illis coetibus episcoporum ut necessitatibus regionalibus efficaciter subvenire valeant.

Unde propono: 1. Emendationem, *ad pag. 17, lin. 16*: loco verborum « missionales viri », dicatur modo generaliori: « missionarii », vel etiam « quicumque missionario operi incumbunt ».

2. Addatur paragraphus in fine huius cap. II, his verbis vel similibus: « In exercendo oecumenismo catholico, tam per dialogum quam per cooperationem cum fratribus separatis in re sociali, sicut etiam cum aliarum religionum cultoribus, pastores animarum habeant quoque rationem suorum fidelium catholicorum, ita ut, dum eos gradatim efformare conantur in vero spiritu oecumenico, mediis opportunis consulant ne oves, praesertim indoctae et iuniores, damnum spirituale patiantur, sicut apostolos novimus fecisse (*Rom.* 16, 17; *2 Io.* 10) ».

28

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 16, art. 6. Haec saltem quoad substantiam, dicta sunt in pag. 9, a lin. 17 ad 30.

Pag. 16, art. 7, linn. 22-34. Timendum esse videtur ne plura mala quam bona ex eiusmodi coniunctione in oratione proveniant.

Pag. 16, art. 8. Agit de cognitione fratrum separatorum animi, doctrinae, morum.

Animus separatorum, qui bona fide operantur, itemque boni mores, qui in eis reperiuntur, laude digna habenda sunt.

Ipsorum doctrinae et morum cognitio, cum caritate, sed etiam cum veritate tenenda est.

Quot eorum haereses, errores ... in scholis catholicis refutantur!

Quoad mores attinet, sine dubio multa bona in fratribus separatis inveniuntur.

Sed, proh dolor!, iuxta statisticas, quanta deploranda in matrimonio, divortio ... in assistentia ad cultum dominicalem etc.! Certe, status in Ecclesiis separatis longe peius quam in vera Christi Ecclesia.

29

EXC.MUS P. D. SANCTES MORO BRIZ
Episcopus Abulensis

Qua par est reverentia, innuere audeo sequentem animadversionem, indolis mere pastoralis, circa numerum quartum, qui inscribitur « De interiore Ecclesiae *renovatione* ».

Scite schematis auctores, inter media ad sanum Oecumenismum promovendum, *Ecclesiae renovationi* primum locum assignant.

De facto « morum renovatio in populo christiano », teste Ioanne XXIII, una fuit ex causis quae ipsum persuaserunt ut hoc Concilium convocaret: quam Ecclesiae *renovationem,* morum in specie, vehementer ipse inhiabat et persaepe, etiam in solemnibus documentis, commendavit.

Merito igitur, Ecclesiae renovatio, id est, « venustam eius perfectionem et sanctimoniam augere », tanti momenti Summo nostro Pontifici Pauli VI apparet, ut in allocutione vere « programmatica » diei 29 septembris (in hac aula saepius merito laudata), inter quattuor primarios Concilii fines, enumeret Ecclesiae *renovationem,* et septies saltem, in praefato sermone, *renovationis* vocabulum adhibeat.

Profecto nemo non videt urgentissimam necessitatem *renovationis,* et partialis « rechristianizationis », orbis catholici.

Id in primis honor Dei expostulat (quem tamen aspectum nunc praetermitto). Id praeterea sanctae Matris Ecclesiae decus:

Et revera:

a) Inter ceteras Ecclesiae notas et proprietates dinumeranda est sanctitas, non modo *ontologica,* ut aiunt, sed *moralis* quoque seu *membrorum.* Quod quidem non implicat singulorum membrorum sanctitatem, quia semper peccatores existent.

Attamen animos contrahit cordaque demittit ea ingens peccatorum seges, illecebraeque peccati, quae ubique homines omnibus modis in ipsa familia, in viis, in spectaculis ad corruptionem allicit.

b) Perspicuum nobis est quantum obsit haec morum corruptio non modo infidelium conversioni, sed optatae quoque unioni cum fratribus disiunctis!

Et sane, nos, qui sincero mentis affectu confitemur ex una parte ineffabilem Dei Providentiam circa homines atque voluntatem eius salvificam, et « ab eius nutu corda omnium pendere, ita ut propitius nostras etiam rebelles voluntates compellere valeat »...; ex alia vero parte firmiter etiam credimus Sanctorum Communionem, et flagrantissimam Christi Domini caritatem, qua Ecclesiam, pretioso suo sanguine acquisitam, prosequitur ..., facile colligimus Deum et Patrem nostrum, precibus Ecclesiae suae benignissime annuentem, murum separationis inter nos et fratres seiunctos eversurum esse, si tam ingens non esset numerus hominum qui in peccato letali vivunt, nimirum: si, e contrario, maior catholicorum pars — uti decet —, sanctitate ordinaria fulgeret, si insuper legio accresceret eorum, qui sanctitate perfecta, immo et heroica decorarentur.

c) Ceterum, veri nominis catholici, qui « sensum Christi et Ecclesiae » habent, hoc vel maxime a sacro Concilio avide exspectant: ut protinus vexillum renovationis, et « rechristianizationis », atque nisus ad sanctitatem prodeat; ut, in specie, Patres conciliares *hodiernam morum depravationem* et « neopaganismum » tot catholicorum solemniter et vehementissime reprobantes, bellum adversus ea serio et intensissime indicemus, videlicet: toto mentis ardore, collatis viribus, cuncta media licita adhibendo, *in nomine Domini* alacriter usque ad victoriam procedamus.

Nisi enim hanc interiorem fidelium *renovationem* impensissime intendat Concilium, plurimi bonae notae fideles quasi fraudati censebuntur; et, proh dolor!, magna ex parte labores nostri et omnis generis sacrificia inania et sterilia erunt.

d) Quod si obiiciatur hunc aspectum *renovationis* Ecclesiae aliis potius schematibus sit adiiciendum, id non negarem; at « repetita iuvant ». Hic sane, in cap. II, deceret brevis saltem, at explicita sacri Concilii declaratio, denuntians « materialismum vitae ac morum depravationem inter fideles catholicos », quasi *primarium obicem,* qui optatissimam *unionem* cum fratribus disiunctis impedit et sine die protrahit.

Conclusio. Optime quidem in hoc capite, nn. 4, 5, 6 comiter et suaviter

hortantur fideles catholici ad interiorem *renovationem,* cordis conversionem, vitae sanctitatem.

At, salvo meliore iudicio, quo duplex ille primarius Concilii finis, quem Summus Pontifex, feliciter regnans, secundo et tertio loco commemoravit, efficacius attingatur, scilicet « Ecclesiae *renovatio* et *unitatis* redintegratio inter christianos universos », humiliter propono:

1. Ut praesenti schemati inserantur, saltem summatim, pulcherrimi illi conceptus memoratae Romani Pontificis Allocutionis, qui *unionem* cum fratribus disiunctis spectant.

2. Praestaret ut Sacra Synodus, breviter saltem sed instanter, Dei nomine *doleat,* de tristissimo *statu peccati* in quo tot Ecclesiae filii misere degunt, eosque paterna gravissimaque hortatione *urgeat,* ut in beatissima Dei Gratia et amicitia iugiter vivere satagant. Reliquis autem omnibus, qui catholico nomine decorantur, vitae quoque *renovationem* et nisum ad sanctitatem instanter, immo instantissime, commendet.

Et hoc quidem ut praestans et viarum omnium efficacissima ad optatam christianorum unionem nanciscendam!

30

Exc.mus P. D. ANTONIUS GOGO NWEDO
Episcopus Umuahiaensis

Nomine viginti duorum episcoporum, totius hierarchiae Nigeriae in Africa Occidentali, brevissima haec proponere velim.

Schematis *de Oecumenismo* caput secundum ubi tractatur de eius exercitio generaliter nobis placet.

Gravis tamen quaestio in locis Missionum agitur de habitudine sacerdotum necnon fidelium catholicorum ad fratres nostros seiunctos. Non enim soli pagani, ad Christi scientiam et amorem a nobis adducendi sunt; sed etiam innumeros homines, qui alicui communitati christianae adscripti, religionem minus perfectam confitentur, in Ecclesiam a nobis adducendos esse credimus.

Quanquam igitur schema nobis placet, non possumus sub silentio praeterire exercitium Oecumenismi in missionibus varia pericula prae se ferre quae nec talia nec tanta, in regionibus inveniuntur quo religio christiana a pristinis iam temporibus inducta est.

Nemini enim fugit christianos harum regionum in fide novissimos esse quorum consortium quoddam familiare ad modum amicorum cum christianis acatholicis interdum sane periculis non vacet. Quippe qui Ecclesiam veram ut ducem solertem et magistram quae falli nequit iam habuerant, fide sensim infirmata, sine sensu in unaquaque religione — catholica non excepta — cum non paucis bonis, etiam plura mala inveniri credant.

His christianis illi in primis saeculis viventes aequiparandi sunt qui hi-

storia teste — fidem suam crebro cum haereticis consortio non confirmari putabant, sed separatione ab eis potius eam contutabantur.

Ulterius, fratres seiuncti plurimi, quos in missionibus invenimus, saepe saepius nomine tantum christiani sunt, cum nec Baptismi sacramentum, nec Trinitatis mysterium aut Christi divinitatem amplius credant. Non pauci enim sectis adscripti sunt quae ipsae recenter ab antiquioribus communitatibus recesserunt, vel traditionibus christianis prorsus reiectis, novas communitates instituerunt.

« Dialogus » cuiusvis naturae cum istis institui vix possibile est cum nihil, aut perpauca tantum, nobis eisque communia sunt. Eos plus quam paganos docere debemus, qui aliquam — sed tamen perversam — veritatis notitiam possident quae difficilius quam mera ignorantia curatur.

His de causis nobis persuasum est nonnulla quae in hoc capitulo ad oecumenismum exercendum proponuntur, in detrimentum animarum potius iri, quam in adiutorium.

Hinc orationes communiter factae — ut in paragrapho septima suadetur — fidelium bene instructorum mirationem circa sacerdotum sinceritatem excitabunt, dum minus instructis scandali causae erunt quos in indifferentismum adducent.

Ex altera parte, ex parte nempe ipsorum fratres seiunctorum, communicatio nostra in sacris eorum, tanquam confessio quaedam habebitur quasi posset religio christiana apud eos eadem plenitudine inveniri quam apud nos; nec esset ullo modo necessarium ut et ipsi in Ecclesiam catholicam recipiantur.

Quoad instructionem oecumenicam quae in seminariis facienda sub numero 9 commendatur, quamquam paucae immediatae utilitatis nobis videtur, omitti tamen non deberet.

Denique de collaboratione quam sub paragrapho undecima fieri urgetur dicendum nobis videtur eam in paucissimis circumstantiis et cum aliquibus sectis tantum possibile esse eo quod multae earum Ecclesiae catholicae odio prosequi non cessent.

Credimus tamen in missionum locis praesertim ea quae in paragraphis quarta, quinta et sexta dicuntur, alicuius veri momenti esse.

Seiunctos fratres ad Christum viciniores faciemus exemplo vitae plene christianae potius quam actionibus nostris eos suadendo ipsos iam esse veri nominis christianos.

Si enim vita nostra vere christiana desiderium in corda eorum excitabimus ut fiant sicut et nos, eos eo ipso ad unitatem Ecclesiae adduxerimus; dum e contra frequenti nostro cum eis consortio, vita religiosa in nobismetipsis vilesceret dum in eis convictio falsa in diem cresceret se a nobis iam ut membra Christi mystici Corporis haberi.

Tandem prae oculis habendum est schema de Oecumenismo aliquando promulgatum ad aures ubique terrarum omnium perventurum esse. Unde si exercitia « oecumenica » particularia minutiose ut omnibus concessa de-

scribuntur, ordinariis in locis missionum ubi exercitia similia saltem prudenter commendari non possunt, incommoda multa parabuntur.

Humiliter ergo petere audemus ut de oecumenismo exercendo generales solummodo proponentur in hoc capite instructiones; spiritualis ipsorum catholicorum renovatio praesertim praedicetur cum necessitate ampliandi spiritum caritatis quae urgeat nos ad inducendos multos homines per vias iustas tutasque ad verae Ecclesiae unitatem.

31

EXC.MUS P. D. GODEFRIDUS OKOYE
Episcopus Portus Harcurtensis

Caput hoc II de exercitio Oecumenismi dum in genere placet in nonnullis tamen corrigendum videtur. Permulta enim habet in quo laudandum est. Quaestionem circa habitudinem nostram ad fratres seiunctos modo nostris temporibus optime accommodato tractandam suscepit. Quae in hoc capite dicuntur illam accusationem saepe et iniuste adversus Ecclesiam factam, quasi sine causa fratres seiunctos a se reiecerit amovere adiuvabunt. Si principia in eo enunciata in praxim deducentur tum catholici tum fratres eorum seiuncti non solum se invicem maiori « tolerantia » prosequentur, sed fraterna in Christo caritate mutua se diligent. Nam illa quae a saeculis iam fovent praeiudicia et falsas notitias circa alterutros sensim relinquentur et veritatem invenient qualis est.

Nihilominus concedendum est isti oecumenismi motui multa inesse pericula.

1. Arma enim periculosa praebet iis catholicis qui nimio ardore forse vellent agere (et tales etiam inter episcopos inveniuntur). Desiderio sese fratribus seiunctis commodandi fines ipsius motus oecumenici excedunt, ita ut nomine praxeos oecumenismi communicationem in sacris aliosque actus illicitos admittere non timent.

2. Ex parte fratrum nostrum seiunctorum oecumenismus totius fidei veritatis inquirendae et verae ecclesiae inter eas quae se christianas dicunt desiderium minuit, ita ut ad indifferentismum religiosum deveniatur: quaecumque ecclesia valet aliam quamcumque. Sic, quae sit vera ecclesia anxia anima quaerendum amplius non est. Quod ex eo probatur quod ubi oecumenismus praticatur ibi numerus conversionum decrescit. Ipse catholicorum zelus seiunctos ecclesiae inducendi minuitur; et mox incipient cultui acatholicorum interesse et ministris acatholicis adsistentibus in eorum templis matrimonium contrahere.

In locis missionum periculum istud vel maius est quia iuvenes illae communitates catholicae indigent ut earum fides contutetur atque protegatur, quippe qui sicut in pristinis Ecclesiae saeculis facile in errorem inducerentur. Pagani et illi ancipites unamquamque Ecclesiam alii cuicumque aequiparari credent et se unicuique earum adscribi posse concludent.

Ulterius memorandum est nonnullas quidem — non tamen omnes — communitates aut sectas fratrum nostrorum separatorum valida baptismum et sacramenta retinuisse. Nostris etiam diebus viros mulieresque videmus qui ab Ecclesia discedunt novamque ecclesiam suam instituunt, quod saepius ea tantum sola causa fit quod decalogum observare nequeant. Hae tamen « ecclesiae » se christianas proclamant, quod maximam confusionem causat. In aliquibus praesertim missionum locis in talibus ecclesiis christianismus cum paganismo et omnis generis superstitiosis praxibus permixtus invenitur. Tamen sese christianas dicunt et primi sunt in motu oecumenismi.

Omnes isti « christiani » eloquia huius Sacri Concilii audire desiderant. Evidens tamen est eos Concilii decisiones non intellecturos et falsas interpretationes facturos. In aliquibus missionum locis iam orationes et cultus omnibus ecclesiis communes protestantes instituerunt. Catholici, cum se ab his abstinent, intolerantiae accusantur. Nunc vero orationem communem in hoc capite commendatam in suum sensum trahent, Concilium contra episcopos istarum missionum inducent et Ordinariis multas difficultates parabunt.

Humiliter ergo propono ut haec Sacra Synodus spinosas has quaestiones de motu oecumenico prudentissime agat, dum concedo eas agendas esse nostro hoc tempore. Verbis tamen caute selectis, expressionibus assertisque prudentissimis, hoc facere debemus ne ansam praebeamus sive catholicis zelosioribus sive fratribus separatis ulterius quam fas est progrediendi, indifferentismum confitendi, communicationem in sacris exercendi et ceterorum. Non nova lue sananda antiqua lues est.

Caput hoc videtur de solis fratribus seiunctis agere qui validum Baptismum retinuerunt: sed semper in memoria teneamus et alios esse qui dum christianos se dicunt validum Baptismum tamen non habent. Aliqui eorum recentissime venerunt, ac nostris etiam temporibus aliqui veniunt: omnes tamen christiani nomine vocantur atque quidquid de fratribus seiunctis dicimus de se dictum opinantur.

Propono igitur ut haec Sacra Synodus non nisi generalia enunciet principia nec particularia (prout esset communis cum fratribus seiunctis oratio) discernat. Quidquid in particulari ad exercitium motus oecumenici se refert prudenti iudicio uniuscuiusque regionis episcopalis conferentiae relinquatur.

32

Exc.mus P. D. IOSEPH POGAČNIK

Episcopus tit. Irenopolitanus in Isauria, adm. ap. Labacensis

Oecumenismi exercitium, de quo in cap. II sermo est, non solum est res laudabilis, sed prorsus necessaria et valde urgens, eodem modo urgens sicuti exc.mus D. De Smedt in sua relatione de libertate religiosa affirmaverat. Caput hoc II perpulchre et serio nos monet, ut optatam unionem cum fratribus seiunctis nullo modo retardemus, sed interiori et exteriori renovatione nostrimetipsius et Ecclesiae nostrae omni nisu promoveamus.

Ad unionis rectam viam sternendam, praeter ea quae in capite dicta sunt, adhuc duo melius in lucem ponenda esse mihi videntur, ideoque expressius in textu indicanda, scil.: 1. officium nostrum morale non solum ignoscendi, sed etiam veniam petendi de omni culpa ex parte nostra, et 2. testimonium vitae christianae in operibus caritatis indiscriminatim, praesertim in territoriis mixtis, non solum inter catholicos, sed aequali benevolentia inter fratres seiunctos exercendae.

Ad 1. Ante omnia oportet impedimenta unionis praeparandae sincero et humili corde removere. Inter quae non sunt tantum praeiudicia quomodocumque orta, sed illud « ressentiment », aversio saepe magis psychologica quam rationalis, orta ex viva quadam collectiva recordatione et sensu iniuriae ab altera parte sibi illatae et perpetratae. Dolores quidem non sunt renovandi, neque debemus plagas iterum aperire, ut S. P. Paulus VI edixerat (Allocutio ad Observatores habita, die 17 octobris 1963), at ad colloquium in caritate, quae sola aedificat, cum fructu suscipiendum, reparatio quaedam ad praeterita necessaria est, nempe veniae petitio et condonatio. Tacita quidem iam in toto schemate evidenter praesupponitur. Attamen, ut id efficacius fiat, exprimatur verbis explicitis, fiat expresse sub n. 5 huius II capitis. Veniam petere debemus non tantum pro offensis et iniuriis, quae locum habuerunt saeculis anteactis, sed etiam hoc nostro saeculo, proh dolor, ut multi ex propria experientia nostis. Itemque eas omnes, sive antea sive recenter, nobis illatas, sincero animo condonare debemus. Optimum erit verba S. P. regnantis, in sermone inaugurali huius sessionis, saltem quoad substantiam, in textum schematis incorporare: « Si quae culpa ob huiusmodi separationem in nos admittenda sit, veniam humili rogatu a Deo petimus, ab ipsisque fratribus veniam petimus, si iniurias a nobis se accepisse putent. Ad nos quod attinet, animo parati sumus ad condonandum iniurias catholicae Ecclesiae illatas ... ».

Meminisse iuvat, fratres seiunctos quod attinet, totam christianitatem occidentalem illis etiam gratitudinis profunda obligatione devinciri: illi enim per multa saecula impugnationibus Turcarum obstiterunt ex amore Christi et ex christiana fideli conscientia, eodem modo ac nosmetipsi; inauditis sacrificiis vitae et populi libertatis illi quoque multum contulerunt ad salvandam totius Occidentis culturam christianam, tunc in summo rerum discrimine positam. Nullatenus oblivisci debemus, nos hodie quoque vivere et percipere partim ex fructibus passionum et sacrificiorum, quae illi pro re communi perpessi sunt.

Ad 2. Cum vita vere christiana invincibile sit veritatis testimonium et cum ex operibus caritatis dignoscendus sit verus Christi discipulus, patet, quantum ad unionem fovendam aestimanda sint opera caritatis et misericordiae, cum corporalis tum spiritualis, praesertim in iis regionibus, ubi catholici cum fratribus seiunctis in communi societate civili degunt. Est enim hoc genuinum vitae christianae et communionis christianae testimonium. Idque non solum pauci electi, sed omnes omnino praebere et possunt

et debent. Experientia etiam constat, quantum valeat ad animorum unitatem efficiendam eiusmodi caritatis testimonium a sororibus caritatis exhibitum in publicis nosocomiis sine ulla distinctione non catholicis orthodoxis nomine Christi ministrantibus.

Ideo sub n. 6, post lin. 9, inseratur propositio haec vel huic similis: « Qui cum fratribus seiunctis simul degunt, operibus caritatis et misericordiae, cum corporalis tum spiritualis, se generose sine distinctione dedicent ».

Oecumenismi exercitium, fratres, urget nos. Condiciones sperandae unionis hodiedum maiori cum spe et optimismo considerandae sunt, quam non tempore Concilii Lugdunensis II et Concilii Florentini. Tunc nulla fere habebatur populi praeparatio spiritualis ad unionem, quae est conditio sine qua non et praesuppositum absolute necessarium; immo potius aliqua aversio in populo aderat. Populus non sufficienter participabat in unionis praeparatione et conatibus. Haec una ex praecipuis causis est, quare unio tunc conclusa non erat neque poterat esse duratura. Hodie autem animi mentesque iam quadamtenus praeparati sunt, sive in parte catholica sive in illa non catholica. Hodie in multis regionibus cum populus seiunctus tum ipsi sacerdotes in Oriente unionem ardenter exoptant et expectant. Vere hic « Vox temporis vox Dei est », ut verbis Papae Ioannis XXIII utar, prout ipse hoc anno, mense maio, paulo antequam animam suam beatam Deo reddidit, scripserat in Epistola ad Slavorum Nationum Antistites. In qua Epistola etiam haec verba momentosa habet: « Praeter modum maiora ea sunt, quae utrimque iungunt, quam ea, quae seiungunt in hac nobilissima et utilissima causa restaurandi in illibatae unitate fideli concordiae nexus, e quo procul dubio christiano orbi novus nasceretur felicitatis ordo » (Epistola *Magnifici eventus,* ad Slavorum Nationum Antistites, *A.A.S.,* 55, 1963, p. 437).

Officium nostrum pastorale est, haec iusta et sancta desideria populi christiani, et catholici et non catholici, et augere et dirigere et, Deo favente, gradatim ad effectum deducere. Pastores enim sumus secundum exemplar illius summi boni Pastoris, qui semetipsum dedit in mortem, « ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum » (*Io.* 11, 52).

33

Exc.mus P. D. PASCHALIS QUAREMBA

Episcopus Gallipolitanus

Ad cap. II, pag. 15, schematis *de Oecumenismo,* ubi indicantur media quaedam ad oecumenismi exercitium, animadvertisse iuvat primarium subsidium desiderari: « *Devotio nempe erga Beatam Virginem Mariam* ».

Si mater deest, a quo filii congregabuntur? Tantum Beata Virgo Maria cunctas haereses interimit et omnes filios congregat.

Rogo igitur ut huic capiti hoc efficacissimum addatur adiumentum.

34

EXC.MUS P. D. IOSEPH CALASANCTIUS ROSENHAMMER
Episcopus tit. Amporensis, vic. ap. Chiquitosensis

Nomine proprio loquar et eorum qui subscribunt — ni fallor — uti interpres multorum episcoporum qui etiam in America Latina laborant.

Schema *de Oecumenismo* quoad divisiones ex Reformatione saec. XVI et ex Schismate orientali exortas, mihi placet, nam sollicitudinem Ecclesiae catholicae quam maximam manifestat, ut omnibus mediis naturalibus et supernaturalibus vulnera divisionum curentur et unio fidelium obtineatur.

Sed aspectus *Oecumenismi* valde alius est in America Latina quae tertiam partem catholicorum continet et usque adhuc fere totaliter dono incommensurabili unitatis religionis gaudebat.

Haec unio in gravissimum periculum versum est per invasionem sectarum ex America Septemtrionali, secundo bello mundiali elapso, quae omnes conventione facta publice declaraverunt: Americam Latinam pro illis vere terram missionis esse. Et de facto in labore suo ita procedunt.

Hoc factum non solum a catholicis sed etiam protestantibus et aliis personis non catholicis valde deploratum est v. g. a Withe, auctore libri qui in linguam hispanicam versus titulum portat: *Vallas a la buena vecindad.*

Si in hoc Concilio omnes qui christiano nomine gloriantur, ad unionem faciendam vocantur — pro America Latina secundum meum humile iudicium primum et maximum principium oecumenicum hoc esse debet: *Ne unitas religionis destruatur!* Quare omnibus viribus et mediis studendum est ut unitas religionis conservetur et divisio impediatur, quia malum maximum et perdifficilis curationis est — uti experientia docet.

Ad hanc unionem fovendam omnia quae in schemate de renovatione in Ecclesia catholica dicuntur — valde necessaria sunt.

Sed non sufficit: Omnes catholici clare instrui debent, ut Concilium nullo modo cum schemate *de Oecumenismo* cartam magnam ad proselytismum libere faciendum promulgare vult, sed clarissime patere debet, ut omnis labor in defensione unitatis religionis in Continente Latino-Americano adimplendus est.

Ad hoc obtinendum duas propositiones — ut melius dicam — duas petitiones facere audeo:

Prima petitio ad fratres separatos, qui in America Latina laborant, dirigitur: Fratres carissimi, perspectum habete quantum scandalum nomini christiano ortum est ob divisiones in Oriente et Occidente factas. Quare ergo, tunicam inconsutilem Religionis catholicae in America Latina dividere vultis? Sileant arma. Pacem faciamus. Nos, catholici, in America Latina in restauratione vitae fidelium catholicorum prosequemur ita ut periculis materialismi fortiter resistant. Vos, fratres carissimi, in domo vestra i. e. continente vestro eumdem laborem exequamini. Et nobis et vobis campus quam maximus patet in instruendis et baptizandis omnibus qui nomen

Christi ignorant aut indifferentismo moderno opprimuntur. Parcite mihi ob hanc claritatem — sed dialogus oecumenicus semper sincerus et amore pacis et unionis plenus esse debet.

Secunda petitio characterem collegialem habet et ad fratres nostros in Episcopatu dirigitur: Ecclesia Americae Latinae est Ecclesia paupertatis — ob penuriam sacerdotum et in multis regionibus ob conditiones sociales. Episcopi huius continentis gratias quamplurimas facere debemus omnibus fratribus in episcopatu et dioecesibus pro auxiliis sive in re pastorali per sacerdotes et personas religiosas nec non per auxiliares laicos sive in re oeconomica factis. Haec auxilia characterem oecumenicum lucent quia ita fieri potuit ut divisio religionis usque adhuc non profundius progressa est. Hoc auxilium, haec est petitio nostra, ne deficiat, sed, si possibile fuisset, in augmentum progrediatur — ita de parte Ecclesiae divisio praeveniri poterit.

Duae conclusiones:

1. Ne schema de Oecumenismo ab iis qui vero spiritu oecumenico careant, false et in detrimentum religionis applicetur neque fideles quoad defensionem fidei in praxim erroneam abducantur — explicite in schemate dicatur quod principia de Oecumenismo ad exercitium sic dicti proselytismi invocari nequeant.

2. Ne abscondamus fratribus nostris separatis amorem nostrum erga Matrem Dei et Matrem Ecclesiae quae amore materno in America Latina filiis suis adlaboravit ut fidem catholicam conservent — quare proponere audeo ut adagium hoc vere biblicum (ob protoevangelium), pastorale et missionale etiam in Oecumenismo agendo valeat — adagium nempe: *Mundus Christo - Matre duce.*

[*Subscripserunt etiam*] José Clemente Maurer, arch. Sucrensis; José Alfonso Tscherrig, vic. ap. de Reyes; Juan Nicolai, ep. Tarijensis; Giacinto Eccher o.f.m.; Aloisius Rodriguez, ep. S. Crucis; Juan T. Senner, ep. Cochabambensis.

35

Exc.mus P. D. MAURITIUS ROY
Archiepiscopus Quebecensis

Cap. II huius schematis multa et optima continet quibus dictis iam omnibus compertum erit exercitium oecumenismi non amplius relinqui illis personis seu coetibus quae sponte sua decurrentibus annis operam ei dederunt, sed ab ipsa Ecclesia catholica agnosci, quae, ut Mater et Magistra, munus proprium oecumenicum plene assumere intendit. Puto tamen quaedam adhuc desiderari ad hoc ut, qua par est brevitate, sed nihilominus sat complete, mens Ecclesiae lucide et opportune proponatur.

1. Descriptio quaedam motus oecumenici in hoc capite datur, sed non sufficienter determinantur elementa quasi essentialia seu principium adaequatum actionis oecumenicae.

Optime enumerantur dispositiones individuales illis omnibus necessariae qui actioni oecumenicae vere concurrere intendunt; attamen, fere nihil dicitur de puncto quodam magni momenti seu de principio adaequato actionis in hoc campo, quod est: exercitium oecumenismi non fieri tantummodo inter individuas personas vel inter Ecclesiam catholicam et fratres nostros seiunctos separatim sumptos, sed principaliter inter Ecclesiam nostram et alias Ecclesias seu communitates.

Certissime nullum obstaculum ponere volumus in via eorum qui singillatim ad unitatem devenire parati sunt; dicimus tamen ipsum oecumenismi motum in hoc maxime sistere quod coetus in coetum agit, eo fine ut Ecclesiae quae nunc ab invicem separatae existunt, mutuo se adiuvent ut tandem in ea sancta unitate simul vivant, ad quam Christus discipulos suos vocavit. Nolumus in irenismum incidere, nec dicere falsum verum, vel malum bonum; sed libenter agnoscimus, ut quid omnino verum et valde pretiosum, non in individuis tantum, sed in ipsis Ecclesiis seu coetibus, omnia illa quae de communi haereditate christiana, de fide, de cultu, de moribus pro animo servata sunt.

Ideoque, ut adaequate principium exercitii oecumenismi proponatur, necesse est loqui de actione quae procedit de una societate in aliam quamdam societatem, eo tendens ut ipsae communitates nunc ab invicem separatae libere cooperentur ad « pleroma » Ecclesiae Dei, in plena unitate fidei et caritatis.

2. Ad Concilium certe non pertinet ad ima descendere et Directorium oecumenicum completum conficere; attamen, principia quaedam pastoralia, quasi fundamentum totius motus oecumenici, fidelibus proponi debent; in hoc schemate, haec principia sane non omittuntur, sed non satis exponuntur secundum ea quae sunt oecumenismo propria.

Quoad dispositiones generales quae omnibus catholicis recte commendantur, oporteret mentionem fieri non tantum de illis quae sunt omnino communes et remotae, sed etiam de elementis quae proxime hanc materiam determinant et quasi specifice ad oecumenismum pertinent. Ita dici posset et conveniret actionem oecumenicam nullomodo coercitione vel importuno zelo uti, sed fraterna conversatione et illuminatione; non tam ex individuali proselytismo perfici quam ex cooperatione coetuum ad communionem in vera unitate; non sistere in superba expectatione reditus aliorum, sed in pleniori conversione mentis et cordis nostri et humili cum omnibus fratribus collaboratione ad extensionem regni Dei; non satisfieri materiali fidelitate litterae documentorum ecclesiasticorum, sed iterum atque iterum fidei depositum scrutari et doctrinam Evangelii meditare ut plenius ei testimonium reddi possit qui nobis est Via, Veritas et Vita.

36

EXC.MUS P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

8. Quoad n. 8, *de mutua fratrum cognitione,* pp. 16-17. Media cognitionis mutuae hic descripta videntur versari quasi exclusive in ordine cognitionum intellectualium, quae certe sunt omnino necessariae et valde insufficientes.

Equidem citantur conventus inter peritos utriusque communionis, at hi conventus non permittunt longam assiduitatem vitae quae permittit intimiorem cognitionem.

Alludendo experientiae quae, duce em.mo ac rev.mo card. Liénart, per saltem quindecim annos protracta est, ac in qua per 9 annos particeps fui, vellem dicere conclusiones quasdam de mutua cognitione fratrum separatorum, speciatim orthodoxorum, cum haec experientia versatur tantummodo circa fratres orthodoxos Ecclesiae graecae.

Intimior cognitio non potest haberi nisi in continuo convivio. Hospites fuerunt in communitate professorum seminarii cuius praeses fui, unoquoque fere anno duo theologi graeci, sacerdotes vel laici qui, cursu completo in Facultate theologica orthodoxa, duos annos in Facultate catholica expenderunt, ad melius cognoscendam theologiam catholicam. Haec formula mihi videtur magni interesse, sequentibus conditionibus:

a) Mutuus et clarus consensus duarum Ecclesiarum in seligendis candidatis in sua Ecclesia bene insertis et suae Ecclesiae profuturis in ministerio.

b) Fidelitas, ex parte catholica, in voluntate servitii gratuiti fratrum orthodoxorum eorumque Ecclesiae.

c) Servitium, ut patet ex desideriis hospitum quos cognovi, non debet esse mere intellectuale, seu theologicum (sensu technico), sed pastorale. Maximi momenti fuerunt contactus ad cognoscendos nisus Ecclesiae catholicae in apostolatu, speciatim in Catechetica et in Actione Catholica, nisus ad informandum de quaestionibus positis in campo sociali et responsionibus Doctrinae socialis Ecclesiae.

d) Reciprocitas servitii ne adsit periculum cuiusdam subtilis paternalismi ex parte catholicorum. Optandum est ut sacerdotes complures, periti in re theologica et formati in re oecumenica aliquamdiu commorentur apud fratres separatos, ut intimius et profundius cognoscatur Ecclesia orthodoxa.

e) Aequa aestimatio tum rerum et veritatum communium, tum diversarum. Et inter has ultimas non minoris momenti sunt diversae formae pietatis ac disciplinae: e. g. ieiunia severiora, differentia in usu Scripturae et symbolismi etc., quae sunt quasi quotidiana. Difficultas maxima ex impossibilitate communionis in convivio quotidiano.

f) Ex his multis annis fraterni commercii persuasum habeo nos catholicos maiorem debere exhibere aestimationem Ecclesiae orientalis, suorum

Patrum et Sanctorum, suae liturgiae, suarum traditionum. Cur v. g. nulla adest mentio Sanctorum Patrum Graecorum in magna prece Litaniae Sanctorum?

Ad memorandum in textu schematis aliquid earum rerum quae dixi, propono sequentem brevem emendationem, pag. 17, lin. 6, post verba « periti sint »: Multum etiam iuvat convivium sacerdotum utriusque Ecclesiae apud alteram, dummodo sint periti in re theologica et oecumenica, et adsit mutuus consensus Ecclesiarum ac superiorum ecclesiasticorum missio, ad penitus et intimius cognoscendum theologiam, disciplinam, traditiones, pietatem uniuscuiusque Ecclesiae.

9. *De oecumenica instructione.* Multa remanent facienda in instructione clericorum et sacerdotum qui forma fiunt populi sibi commissi. Nec sufficit aliquas praelectiones addere de Oecumenismo in ratione studiorum nostrorum seminariorum. Sensus oecumenicus necesse est ut adsit in omnibus disciplinis tradendis. At hoc in nisu magna adhuc restat via.

Quaedam speciatim dicenda sunt de tradendo in nostris seminariis et universitatibus tractatu de Ecclesia. Potius, ne ingrediar in campum schematis de seminariis, dicere vellem quomodo mihi videatur parandus magister ille Ecclesiologiae postconciliaris et oecumenicae: homo sani iudicii, bonae doctrinae, devoti Ecclesiae Sanctae ut Corpus mysticum, experti in re ac theologia pastorali qui post expletam suam formationem in facultate catholica aliquod tempus tereret studio incumbens ecclesiologiae orthodoxae apud orthodoxos ipsos. Quae dixi de oecumenismo relate ad orthodoxos dicenda essent, mutatis mutandis, de relatione ad fratres Communitatum Reformatorum. Sed hic mihi deest experientia in qua innixus quasdam anticipationes fas est facere.

Ad memorandum in textu schematis aliquid earum rerum quae dixi, haec proponerem: pag. 17, lin. 11 a, post verba « veritati respondeat »: Quae faciliora evadent si omnes seminariorum et universitatum professores, suam quisque propriam disciplinam didicerit in sensu oecumenico, speciatim tamen magister ille cui magnum incumbit officium docendi ecclesiologiam. Multum enim interest etc. ...

37

EXC.MUS P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN

Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Kotabaruensis

Vere laudandum est hoc caput. Mirum autem videtur mentionem ne quidem fieri de problemate maximi momenti, nempe de proselytismo. Verus sensus oecumenicus — volens nolens — evocat hanc quaestionem. Pertinet ad generale nostrae conscientiae examen, ad quod nos omnes in hanc Synodum convenimus.

Oecumenismus et proselytismus. Est problema characteris vere univer-

salis. Nam ubicumque ecclesiae christianae in dolenda separatione convivunt, tam in regionibus ubi christianismus iam diu implantatus est, quam in regionibus novellarum ecclesiarum, quaestio haec ponitur. Acerrimum problema est in relatione ad ecclesias orientales, a nobis separatas. Sed et erga ecclesias ex reformatione problema hoc negari minime potest.

Quaenam est nostra positio? Ex una parte Ecclesia catholica evangelium in sua plenitudine omnibus hominibus et ubique terrarum praedicare debet, nominatim quod attinet ad doctrinam unicae et verae Ecclesiae Christi. Omnes pulsantes ad ostium Ecclesiae cum gaudio suscipiendi sunt. Sed ex alia parte abstinendum est ab omni forma proselytismi, sensu peiorativo huius vocis.

Perdifficile autem est claram definitionem dare huius proselytismi. Saepe magis hic attendendum est ad mentalitatem ex qua actio procedit, ad modum quo agitur, quam ad ipsam aliquam actionem. Proselytismus circumscribi forsan potest ut mentalitas et actio quae directe aut indirecte dirigitur ad hoc ut personae individuales aut coetus personarum devocentur et eliciantur e suis ecclesiis vel communitatibus, maxime si agitur de personis inermibus et minoris cognitionis. Aliis verbis: proselytismus male sonans adest, quando vim patiuntur dignitas personae humanae, libertas actus fidei et respectus aliis ecclesiis vel communitatibus christianis debitus. Proselytismus iste indignus est Ecclesiae catholicae et omni ecclesiae christianae.

Oecumenismus et proselytismus. Synodus nostra, mea humili opinione, non potest alto silentio praeterire hanc quaestionem. Nova nostra orientatio oecumenica erga ecclesias a nobis separatas ducit ad consequentias etiam practicas, etsi nunc nondum omnes perspici possunt. Schema loquitur de *ecclesiis* a nobis separatis. Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, locutus est de venerabilibus communitatibus inde a saec. XVI exortis. Non sunt verba urbanitatis tantum causa, sed sunt expressiones realitatis fidei. Non possumus ita loqui et simul silere omnino de proselytismo, quasi non existeret ex nostra parte. Dialogus oecumenicus in omni sinceritate et veritate faciendus est. Ideo ex toto corde sustineo ea, quae Frater noster Iacobus Flores, episcopus in Hispania (die 21 novembris) dixit de evitanda omni forma proselytismi.

Prima die disceptationis de oecumenismo dictum est proselytismum ex parte protestantica vehementer augeri. Concilium monere deberet fratres separatos — sic dictum est — sese abstinere ab omni proselytismo erga catholicos. Revera notum est varias sectas saepe modo valde molesto proselytismum agere. Quando verum est hoc non tantum fieri a sectis, sed etiam ab ecclesiis ex reformatione ortis — distinguendum nempe ecclesiam inter et sectam etsi delineatio non facilis — haec certe dolendum est.

Speramus fore ut fratres separati vocem huius Synodi audiant, sed etiam nosmetipsos interrogare et monere debemus.

Vobis, Fratres venerabiles, et etiam Secretariatui ad unitatem christianorum fovendam quaestionem propono utrum in hoc schemate quaestio de oecumenismo et proselytismo assumi possit et debeat.

38

EXC.MUS P. D. IOANNES E. TAYLOR
Episcopus Holmiae

Quoad exercitium oecumenismi liceat mihi quasdam succinctas reflexiones hic proferre. Est enim punctum, quod ad pietatem ultimo spectat ideoque pro Concilii huius indole pastorali non est inane, quod tamen in schemate secus egregie exarato debita claritate et optanda auctoritate in lucem nondum ductum esse mihi videtur.

Quod ut explicem, a scandalo quodam incipio inter acatholicos satis fuso. Dura enim saepe videtur esse illa firmitas, qua stamus in nostra fide. Vituperare nos solent etiam christiani quidam a nobis separati, quod veram fidem nos habere, ceteros autem in errore versari praetendamus. Caritate genuina despoliati esse ab eis accusamur. Nam veritati praesumptae fratres sacrificare dicimur, rem quasi mortuam praeferre personis respectu dignis et vivis.

Quod scandalum non raro etiam catholicos suo modo inquietat et in tentationem inducit, praesertim eos, qui cum acatholicis usum habent cotidianum. Quibus enim fraterno amore uniti sunt, ab eis fide se sentiunt alienos. Ut exemplum concretum afferam: qui in matrimonium duxit acatholicam, in sollicitudinem deicitur. Mulieri enim adhaeret, et simul se ligatum novit ad fidem. Inclinatione cordis ad coniugem trahitur, convictione autem mentis in veritate tenetur. Discissum ergo se experitur. Unde tentatus est, ut aut propter fidem coniugem negligat aut propter mulierem in fide debilitetur. Dolore affectus est.

Iis vero, qui in restauranda christianorum unitate laborant, tentatio aequalis saepe impendet. Quo magis fratres separatos cognoscunt, eo maioris eos — saltem aliquos — aestimant. Divisi itaque quodammodo sunt inter fratres dilectos et veritatem fidei. Ideo aliqui eorum in partem veritatis ita inclinant, ut quaeratur, utrum fratres satis diligant. Aliqui e contra diligere proximum eousque desiderant, ut veritatem nisi penitus negare, parvipendere tamen paene parati esse videntur.

Ad quae duo commenta proferam, quorum alterum remote, alterum proxime ad exercitium pertinet oecumenismi.

Primum commentum. Fidei veritas, qua obligamur, non modo res est cui assensum debemus intellectus, sed communionem personalem complectitur. Fide nostra non solum confitemur quaedam esse vera, sed potius uniti sumus Domino nostro Iesu Christo Filio Dei vivo. Ipsa fides dilectionem quandam comprehendit. Formata est caritate, quae maior est quam omnes amores humani, intimior et firmior quam omnis caritas qua ligati esse possumus ad fratres vel amantissimos. Qua de causa non possumus ullo modo parvipendere fidei veritatem. Si iota unum vel apicem traderemus articulorum fidei, statim vinculum quo uniti sumus Domino, despiceremus, Salvatorem nostrum pro-

deremus. Quod tamen dolores secumfert eo profundiores, quo maiore amore cum fratribus separatis sumus coniuncti.

Quibus fundamentum positum est ad commentum meum secundum:

In labore sic dicto oecumenico divisi sumus non solum inter caritatem humanam et veritatem — ut ita dicam — abstractam. Sed quasi scissi sumus inter duas caritates, quarum altera magis nos vincit, altera tamen nullatenus non est viva. Dominum diligimus et fratres separatos. In duas partes rapimur, quae inter se non conveniunt.

Quos dolores ut patienter subeamus, exercitii oecumenismi punctum summe intimum mihi esse videtur et minime negligendum. Summula id est totius exercitii oecumenici et indoles pietatis oecumenicae maxime propria. Ad cor convertamus, peccatorum nostrorum nos paeniteat, sancte vivamus: quorum omnium in schemate fit mentio. Sed haec omnia non sufficere mihi videntur. Cordis ergo dolorem illum libenter patiamur, qui oritur ex eo quod — fratribus separatis sincere coniuncti — firmo tamen Domino vincti sumus.

Ad conclusionem progrediens propono, ut in numero schematis *de Oecumenismo* 7 (pag. 16) post primam alineam haec vel similia quaedam inserantur: Libenter dolorem sentiant et sustineant ex eo orientem, quod fratribus separatis sincera caritate coniuncti ad Dominum tamen vincti sunt eiusque veritatem caritate firmiore et summa.

39

Exc.mus P. D. ANTONIUS TEDDE

Episcopus Uxellensis et Terralbensis

Cap. II schematis *de Oecumenismo* in genere placet. Perspicuius autem aliqua dicenda sunt, imprimis ne ambiguitas perniciosa de recta mente Patrum in posterum oriatur sed praesertim ut plane pateat mens Patrum Concilii Oecumenici Vaticani II.

In nostro schemate *de Oecumenismo,* quasi stella matutina ad fervidas operas alliciens, spes reditus omnium christianorum fratrum separatorum orientalium et occidentalium in sinum S. Matris Ecclesiae ad caritatem magnanimam nos trahit.

Nos etenim non fugit fratres nostros separatos paratos esse non tantum ad Ecclesiam docentem audiendam sed potius ad catholicam Ecclesiam vivam alloquendam, vehementer scil. perplurimi exoptant vitam intimam Ecclesiae catholicae intueri, cognoscere, perpendere (ac velut in iudicium singulos et communitatem deducere).

Cum tanta spes nobis arrideat atque eam ad actum deducere velimus, oportet ut amabilissimam ac purissimam imaginem verae Ecclesiae Christi, idest Ecclesiae catholicae praebeamus.

Neminem latet, hac in universali crisi hodiernae humanae societatis, qua toto orbe terrarum homines laborant, acerrimam contentionem plurimarum multitudinum pauperum contra detentores quos putant divitiarum constituere condicionem rationis socialis.

Reapse maxima pars hominum in paupertate versatur; magna pars in deterrima inopia degit, ac fame perit nec tantum in Africa et in Asia.

Etiam in regionibus catholicis paupertas est quotidiana amica maximae partis nostrorum fidelium, et ob inopiam perplures ubique deficiunt. Christum Redemptorem evangelizare pauperibus missum confidenter scimus et fidentes profitemur.

Merito Ecclesia Christi Ecclesia pauperum nominatur ac est.

Si nostram fidem in oecumenismo catholico, id est in oecumenismo qui fratres separatos in sinum Ecclesiae catholicae exoptat, solido fundamento inniti velimus, necesse est ut paupertatem honoremus, necesse est ut clerus utriusque coetus cultum paupertatis sibi vindicet in vita privata et in exercitio ministerii pastoralis.

A pluribus catholicorum et acatholicorum clerus dives et divitum amicum tenetur nec pauperum misericors; qua re ad alios « redemptores » seu ardaliones adeunt.

Exemplo ac doctrina Christi Redemptoris innixi, ad supernaturalia desideria ac ad aeternas gratiae supernaturalis divitias homines adducamus.

His praemissis, aliqua emendamenta audeo proponere.

1. In pag. 15, lin. 23, post verba « ... in alios propensionis » his verbis concludatur periodus: « ... et sinceri paupertatis cultus, qui omnibus amabilem " Ecclesiae pauperum " — idest verae Ecclesiae Christi — imaginem patefaciat et ad colloquium in caritate et veritate confidenter invitet ». *Ratio*: supra dixi. Historia Ecclesiae catholicae docet testimonium amoris et cultus sinceri paupertatis per sanctos eorumque innumeros discipulos exhibitum semper causam fuisse ferventis renovationis religiosae et moralis populorum christianorum et plurimis errantibus extra Ecclesiam causam fuisse reditus ad Christi ovile.

2. In eadem pag. 15, post lin. 32, haec adiungantur: « Quae missio Christi in sacerdotali ministerio perspicuior evincit cum in administratione Sacramentorum sicut et in omnibus actionibus liturgicis, nulla personarum acceptione habita, sacri ministri paterno vultu quae sibi a liberalitate fidelium apponuntur grati accipiant ».

Abnegantes semetipsos, Christo hominum mentem et cor sacerdotes — Evangelii, gratia Dei, praecones facti — caritatis vinculo vincient.

3. In pag. 16, lin. 7, post verba « vitam degere student » sic concludatur: « prae oculis habito exemplo Sacrae Familiae, quae in humili civitate Nazarethana, humilibus laboribus dedita ac paupertate gaudens, omnibus hominibus reformationis familiaris et socialis viam praebuit ».

4. In eadem pag. 16, lin. 14, post verba: « sese frui asseverant » haec periodus adiungatur: « Consecratio mundi in uno Christi ovili, Deo ad-

iuvante et Beata Maria Virgine intercedente, per christifideles audacter suae vitae renovandae incumbentes, reapse eveniet ».

5. In pag. 18, lin. 10, post verba « non aequa distributio » haec periodus adiungatur: « Doctrina socialis ac socialis actuositas Ecclesiae catholicae in dies funditus exploratae hominum expectationi respondent atque omnium problematum etiam in difficillimis rerum adiunctis aequae solutionis rationem praebent ». Et sic prosequatur: « Ope, igitur, eiusmodi cooperationis etc. ... ».

Denique, aliis animadversionibus praetermissis, quoad habitudinem catholicorum ad fratres separatos — orientales et occidentales — attinet, consentio cum iis qui cavendum censent ne in decreto *de Oecumenismo* omnium errorum qui ad infaustam secessionem adduxerunt catholici tantum causa fuisse videantur.

Utraque ex parte multi peccaverunt. Utraque ex parte ad caritatem et quidem supernaturalem suavissime disponantur, suaviter, tamen, sed clare lucescente veritate. Haec agendi ratio motionem oecumenicam iuvabit.

40

Exc.mus P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT

Episcopus Inongoensis

Comme il a été dit dans les remarques que nous avons présentées plus haut (chap. I) concernant la composition des chapitres de ce schéma, il nous semble que:

1. Le n. 3 du chapitre I, *de Oecumenismo,* devrait être transféré au chapitre II et fusionné avec lui de manière à éviter des redites.

2. Cette fusion devrait s'opérer comme suit: Chap. I, n. 3, p. 9, l. 4-16 et 22-30 devrait former une sorte d'introduction avec chap. II, p. 15, l. 1-5. N. 3, l. 17-21 et 31-37 avec chap. II, n. 4, p. 15, l. 6-19. N. 3, l. 22-30 avec n. 6, p. 17, l. 5-14. N.3, p. 9, l. 38-40 et p. 10, l. 1-8 avec p. 16, l. 35-38 et p. 17, l. 1-7. P. 10, l. 21-24 avec p. 16, n. 7, l. 15-34.

Dans le texte actuel, n. 7, p. 16, l. 26-27, il convient de supprimer les mots « remota quavis communicatione in cultu officiali », dans un texte qui ne fait pas de distinction entre les Eglises orientales et les communautés ecclésiales occidentales séparées de la communion avec le St. Siège. Or, cette distinction s'impose, étant donné que le « culte officiel » des Eglises orientales, orthodoxes en particulier, ne diffère pas du culte officiel oriental des Eglises Unies et que donc il s'agit là d'un culte catholique même s'il est célébré par des célébrants appartenant à une Eglise non unie. Une telle interdiction est contraire à un usage constant et immémorial, en particulier là où il s'agit de la participation des orthodoxes au culte oriental catholique.

De même il convient de laisser tomber les lignes p. 16, l. 32-34, parce que là où il s'agit des Eglises orientales orthodoxes, il semble qu'une législation particulière s'impose, existe ou est en voie de préparation.

41

Rev.mus P. D. ATHANASIUS WELYKYJ

Superior generalis Ordinis Basiliani S. Iosaphat

Praeter ea quae optime dicuntur et proponuntur de exercitio oecumenismi, liceat mihi quaedam adiungere quae eiusdem oecumenismi efficacitati inservire possint.

1. Prout temporibus praeteritis, etiam hodie in hac materia non semper fuit nec est unanimis sententia de agibilibus et de modis agendi. Abundant opiniones singulorum, multiplices dantur actiones oecumenicae et unionisticae, quae etsi in ultimo fine forsan concordant, in mediis ad finem adhibendis discrepant. Necessaria proinde est quaedam institutio coordinatrix, quae posset consilio et auxilio adesse hisce inceptis. Reintroducatur proinde in schema propositio de constituenda quadam Congregatione vel Consilio Supremo « de unitate Ecclesiae », cuius erit materiam hanc et actionem sub immediata auctoritate Summi Pontificis, et adhibitis opportune peritis ex toto orbe terrarum, moderari et coordinare. In antepraeparatoria haec propositio facta est ab Universitate Lateranensi, quam Commissio de Ecclesiis Orientalibus iam antea in hac aula disceptandam proposuit. Nec dicatur: adest iam Secretariatus pro unione christianorum fovenda, quia Secretariatus est tantummodo Conciliaris et ad finem proprium praeparationis et celebrationis Concilii Oecumenici selectus et constitutus. Concilio absoluto, eius mandatum expirabit, nisi novum mandatum obtineat a competenti Auctoritate, quod speramus. Negotium ecclesiasticae unitatis est negotium maius si non maximum Ecclesiae, quod proinde negotium meretur ut habeat tale Consilium Supremum, et quidem auctoritate Concilii institutum, si revera volumus ut motus hic salutiferus sit « actio ordinata ad illam unionem quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus ».

Omnes enim nos homines mortales sumus, actio autem pro ecclesiastica unitate cum nobis finire non debet; nos homines sumus, et difficultatibus etiam possumus obrui; voluntas proinde Concilii nos sustinebit et nova incitamenta suppeditabit. Constitutio huiusmodi Supremi Consilii et quidem auctoritate conciliari, testimonium erit et obligatio perennis totius Ecclesiae et non solum huius vel illius personae, prout saepe obiiciebatur Ecclesiae catholicae.

2. Exercitium oecumenismi in secundo capite examinanti, patet, acsi ageretur tantummodo de quodam motu spontaneo, et non de actione ordinata, prout dicitur in primo capite. Actio enim ordinata requirit quoddam caput, unde venit motio et ordo. Mihi videtur, in secundo capite, de exercitio oecumenismi, omnino siletur de partibus Hierarchiae in hac motione, de eius responsabilitate, de eius vigilantia, de eius cura. Utique, adsunt hodie homines competentes, qui de hac re curam habent. Desideratur tamen ut

haec cura stabilis fiat. Proinde clare affirmentur partes Hierarchiae in motione oecumenica. Nobismetipsis nostrisque successoribus conciliariter obligationem voluntarie imponamus de hac re curandi totis viribus et omnibus quibusque et optimis mediis et methodis. Proinde clare dicatur de obligatione et partibus Hierarchiae, cleri et associationum negotium hoc curandi, resumendo, si placet ea, quae iam proposita fuerunt in hac aula dum agebatur de schemate « de unitate Ecclesiae — ut omnes unum sint », in prima sessione Concilii.

3. Quod spectat « Directorium » quoddam conficiendum, nihil dici possumus antequam textus habeatur prae manibus. Unum tantum notandum venit, idest ne praecipitanter agamus in hac re, et omnes et variae experientiae conligantur in hac materia. Nostra opinione hoc Directorium conficiendum, esset materia et negotium illius Consilii Supremi, de quo in prima nostra adnotatione agimus. Convenit enim ut hoc Directorium fiat post Concilium et visis omnibus decretis Concilii, nec non experientia conciliari praehabita.

42

Exc.mus P. D. PAULUS DALMAIS

Archiepiscopus Arcis Lamy

Sub n. 7, pag. 16, lin. 25, tractatur « de Communibus precationibus habendis ». Dicitur « Communes precationes in eiusmodis adiunctis, remota quavis communicatione in cultu officiali, habendae sunt ... ». Propono ut simpliciter supprimentur verba « *remota quavis communicatione in cultu officiali* ». *Primo*: quia expressio « cultus officialis » nihil significat. Omnis cultus est actus officialis Ecclesiae. Non sunt duplicia genera cultus, altera privata, et altera officialia. *Secundo*: quia quaestio difficilior *Communicationis in Sacris,* sic non potest furtim absolvi ab ista parenthesi. Est quaestio quidem gravissima, et neminem fugit praeteritis saeculis (in XVII et XVIII saec. in Oriente) disciplinam Ecclesiae aliam esse ac tempore hodierno. Etiam nunc in peculiaribus casibus Sancta Sedes permittit aliquam fieri communicationem in sacris, ita ut prudenter alumni non catholici nostrarum scholarum possint sacram communionem recipere in nostris sacellis... Si textus propositus cum hac parenthesi a Concilio simpliciter retineretur, viam feliciter apertam sic clauderetur et hoc proh dolor. Censeo melius esse de hac quaestione, si non est sat matura, nihil in praesenti schemate tractare et rem ad competentes congregationes vel ad Secretariatum pro Unitate remittere. Quod ad me attinet, mallem rem in Concilio tractari cum prudentia et debita amplitudine et non per parenthesim.

[*Subscripserunt etiam*] Louis Gaumain, év. de Moundou; M. Bernard, arch. Brazzaville; I. B. Fauret, év. de Pointe-Noire; I. I. Adam, ep. Liberopol.; I. Wolff, arch. Diego-Suarez; Henri Véniat.

CONGREGATIO GENERALIS LXXVIII
29 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXXVIII
29 novembris 1963

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Audiant omnes! Summus Pontifex statuit in sessione publica III, diei 4 decembris proximi, agendum esse de constitutione *de sacra Liturgia* et de decreto *de instrumentis communicationis socialis*; quae constitutio, quod decretum, iam a Patribus in congregatione generali approbata fuerunt.

Quoad intentionem in suffragatione facienda — nam res est multi ponderis et multae gravitatis — velint Patres ad haec attendere.

Ratione habita, tum moris conciliaris, tum finis peculiaris huius Concilii, qui est principaliter pastoralis, haec Sacra Synodus ea tantum de fide vel de moribus, ab universa Ecclesia tenenda, definit modo infallibili, quae uti talia ipsa Synodus aperte indicaverit.

Ideo cetera de quibus Concilium hoc aperte non declarat, non sunt ab ipsa infallibiliter definita, sed authentico magisterio exposita tamquam Ecclesiae doctrina. Quapropter, in casu alicuius definitionis de fide, Patres conciliares praemonendi sunt et praemonebuntur atque in textu expressiones adhibendae erunt, quae explicite ostendant voluntatem aliquid sic definiendi.

Porro constitutio et decretum, de quibus in proxima sessione publica, agunt tantum de re disciplinari. Attamen Summus Pontifex vehementer cupit ut omnes Patres ea quae in illis documentis continentur attente cum meditatione considerent, atque super omnia orent, ut Spiritus Dei revera lumen suum infundat et suggerat quid sit ad maiorem Dei gloriam, et animarum salutem.

Quod attinet ad tertiam periodum huius Concilii, termini illius periodi communicabuntur officialiter Patribus tempore opportuno. Attamen iam dici potest, ita ut Patres possint res suas disponere, praevideri initium illius periodi die 14 mensis septembris proximi, in festo Exaltationis Sanctae Crucis, et terminum die 20 mensis novembris. Attamen, uti dixi, periodus officialiter communicabitur Patribus, cum Summus Pontifex opportunum duxerit.

Quod spectat laborem faciendum inter has duas periodos, aliquid communicabitur feria II proxima, quia hodie multa alia sunt communicanda.

Moderabitur hanc disceptationem circa cap. III *de Oecumenismo,* in 78 congregatione generali, em.mus ac rev.mus D. card. Leo-Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Hodie distribuentur Patribus, imprimis textus constitutionis *de sacra Liturgia.* Feria II proxima, distribuetur textus decreti « De instrumentis communicationis socialis ».

Distribuetur pariter Patribus aliquis *Nuntius.* Cum permissione Summi Pontificis, proponitur Patribus nuntius mittendus ad universos Ecclesiae catholicae sacerdotes. Hic nuntius est adhortatio pastoralis. Velint Patres illum attente considerare, et si quod habeant animadvertendum, quod vere grave sit, dicant scripto nostrae secretariae, intra horam 14 proximi diei, nempe sabbati. Feria autem II proxima, hic textus proponetur Patribus pro approbatione. Ideo, usque ad feriam II, textus manebit prae manibus singulorum Patrum — secreto servandus, secus nuntius habebitur antequam nuntius mittatur!

Antequam legam nomina eorum, qui loqui postulaverunt super cap. III, communico Patribus exitus electionum heri factarum. Ut videtis, tempus evolvitur, et nos cum tempore...

Schedae porrectae assignatoribus locorum et nostrae secretariae fuerunt 2.227, quarum 9 inventae sunt nullae.

Pro commissione de doctrina fidei et morum electi fuerunt, per maioritatem requisitam, scil. relativam, exc.mi PP. DD. Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis (cum suffragiis 1.491); Christophorus Butler, sup. gen. congr. Anglicae O.S.B. (cum suffragiis 1.448); Ioseph Heuschen, ep. aux. Leodiensis (cum suffragiis 1.160); Aloisius Henriquez Jimenez, ep. aux. Caracensis (cum suffragiis 831).

In commissione de episcopis et dioecesium regimine, exc.mi PP. DD. Iacobus Carroll, ep. aux. Sydneyensis (cum suffragiis 1.738); Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis (cum suffragiis 1.457); Alfredus Viola, ep. Saltensis in Uruguay (cum suffragiis 1.173); Osvaldus McCann, arch. Civitatis Capitis (cum suffragiis 960).

In commissione de ecclesiis orientalibus (tres tantum), exc.mi PP. DD. Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii (cum suffragiis 1.684); Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum (cum suffragiis 1.677); Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia (cum suffragiis 1.323).

In commissione de sacramentorum disciplina, exc.mi PP. DD. Ioannes Hervás y Benet, ep. prael. null. Cluniensis (cum suffragiis 1.470); Ioannes Taylor, ep. Holmiae (cum suffragiis 1.463); Petrus Moors, ep. Ruremondensis (cum suffragiis 1.257); Ioannes De Reeper, praef. ap. de Ngong (cum suffragiis 1.178).

In commissione de disciplina cleri et populi christiani, exc.mi PP.

DD. Bernardinus Gantin, arch. Cotonuensis (cum suffragiis 1.587); Paulus Rusch, ep. tit. Meloënsis in Isauria (cum suffragiis 1.510); Iulius Rosales, arch. Caebuanus (cum suffragiis 1.426); Villelmus Conway, arch. Armachanus (cum suffragiis 1.371).

In commissione de religiosis, exc.mi PP. DD. Gerardus McDevitt, ep. aux. Philadelphiensis Latinorum (cum suffragiis 1.543); Bernardus Stein, ep. aux. Trevirensis (cum suffragiis 1.454); Aloisius Borromeo, ep. Pisaurensis (cum suffragiis 1.240); Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensis (cum suffragiis 1.222).

In commissione de missionibus, exc.mi PP. DD. Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D. (cum suffragiis 1.645); Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis (cum suffragiis 1.417); Ioannes Comber, ep. tit. Foratianensis (cum suffragiis 1.063); Ignatius Doggett, vic. ap. Aitapensis (cum suffragiis 833).

In commissione de seminariis, de studiis et de educatione catholica: exc.mi PP. DD. Franciscus Jachym, arch. tit., coad. Vindobonensis (cum suffragiis 1.674); Loras Thomas Lane, ep. Rockfordiensis (cum suffragiis 1.581); Bernardus Wall, ep. Brentvoodensis (cum suffragiis 1.150); Ioseph Maurer, arch. Sucrensis (cum suffragiis 1.050).

In commissione de fidelium apostolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis, exc.mi PP. DD. Ioseph Da Silva, ep. aux. Lisbonensis (cum suffragiis 1.632); Emmanuel Fernandez-Conde, ep. Cordubensis (cum suffragiis 1.491); Allen Iacobus Babcock, ep. Grandormensis (cum suffragiis 1.387); Helder Pessôa Câmara, arch. tit., aux. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii (cum suffragiis 1.100).

In secretariatu ad unitatem christianorum promovendam seu fovendam: exc.mi PP. DD. Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis (cum suffragiis 1.641); Carolus Helmsing, ep. Kansanopolitanus S. Ioseph (cum suffragiis 1.406); Villelmus Gran Nicolaysen, ep. coad. Osloënsis (cum suffragiis 1.351); Petrus Cantero Cuadrado, ep. Huelvensis (cum suffragiis 1.148); Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis (cum suffragiis 1.127); Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus (cum suffragiis 952); Gilbertus Ramanantoanina, arch. Fianarantsoaënsis (cum suffragiis 947); Daniel Lamont, ep. Umtaliensis (cum suffragiis 911). Et satis.

Nunc legamus nomina eorum, qui orationem facere postulaverunt circa cap. III *de Oecumenismo*: em.mus D. card. Ferdinandus Quiroga, arch. Compostellanus in Hispania; exc.mi DD. Lancilottus Goody, ep. Bumburiensis in Australia, Carolus Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Ioseph in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Ioseph Souto, ep. Palentinus in Hispania, Franciscus Franić, ep. Spalatensis in

Iugoslavia, Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco, Petrus Dib, ep. Cahirensis in Aegypto, Elias Zoghby, arch. vic. patr. Melchitarum pro Aegypto, Athanasius Hage, sup. gen. Ord. Basiliani in Libano, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus in Aegypto, Ernestus Green, ep. Portus Elizabeth in Africa Orientali, Thomas Muldoon, ep. aux. Sydneyensis in Australia, Gregorius Thangalathil, arch. Trivandrensis in India, Victorius Maria Costantini, ep. Suessanus in Italia, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada, Ioannes Baptista da Mota e Albuquerque, arch. Victoriensis in Brasilia, Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis in Iugoslavia, Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum, Christophorus Butler, sup. gen. Congr. Angliae O.S.B., Benedictus Printesis, arch. Athenarum in Graecia, Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum in Libano.

Alia duo debeo communicare, et postea finis. Commissiones erunt completae quando Sanctissimus Dominus suos sodales communicaverit.

Etiam communicatur superioribus generalibus, qui sunt Patres huius Concilii, Ss.mum Dominum eos coram Se admissurum crastina die sabbati, hora pomeridiana 19. Igitur: superiores generales tantummodo qui Patres sunt Sacri Concilii. Et gratias, venerabiles Patres, pro auditu.

1

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Prima pars ...[1] cap. III *schematis de Oecumenismo,*[2] quae Ecclesias orientales ab Ecclesia catholica seiunctas respicit, quaeque ad rectum laborem oecumenicum circa fratres separatos viam parare intendit, « non solum nostrum favorem — ut verbis utar eius Relatoris, venerabilis fratris nostri arch. Mocisseni — sed etiam nostram plenam ac sinceram approbationem meretur ». Sine intermissione etenim urgent nos illa instantissima verba S. Pauli apostoli ad Corinthios quae in praxim reducere cuncti christifideles officio tenemur: « Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini Nostri Iesu Christi ut idipsum dicatis omnes ...[3], *et ut sitis*[4] perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia »...[5]

Verumtamen, ut laudata pars omnibus numeris sit absoluta, mihi videtur triplicem additionem esse faciendam.

Atque *prima haec est*: ut in aliqua paragrapho, ea nempe quae

magis conveniens censeatur, brevis allusio fiat ad fratrum orientalium catholicorum *merita,* quippe qui pro viribus propriam mentem propriasque traditiones liturgicas, spirituales, disciplinares et theologicas, *absque unitatis Ecclesiae iactura* et in ornatum eiusdem Ecclesiae, sapienter ac laboriose retinuerunt.

Veterum haec traditionum conservatio, quas Sacra Synodus Vaticana II libenter agnoscit, veneratur atque promovere intendit, *veluti testimonium et arrhae* sunt sensuum quos Ecclesia catholica, erga fratrum quoque orientalium separatorum legitima instituta, experitur ac fovet. Neque alius fuit animus huius Ecclesiae quando nostris diebus pro catholicorum orientalium disciplina Codicem Iuris Orientalis a Codice Iuris Canonici latino diversum redigendum curavit; aut quando inter commissiones huius S. Synodi, commissionem de « Ecclesiis orientalibus » instituit, quae maxima *ex*[6] parte, ut omnes nostis, ex membris constat ad orientalem Ecclesiae plagam pertinentium.

Altera additio refertur ad ea quae iam in hac aula nonnulli venerabiles Patres proposuerunt, scil.: ut in fundamentalibus dogmatibus enumerandis quae fratres separati nobiscum profitentur, tum Sacrae hierarchiae apostolica successio, tum potissimum Eucharistia, unitatis et amoris sacramentum, aperte exprimantur.

Tertia denique additio in eo est ut ad calcem huius partis instans exhortatio fiat ad omnes fratres orientales ab Ecclesia catholica seiunctos, ut nobiscum velint sedulo laborare ad discidium ita longum superandum et ad mutuam inter eiusdem Matris, B.mae Virginis Mariae, filios reconciliationem quamprimum perficiendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] huius. [2] deest. [3] et non sint in vobis schismata. [4] sitis autem. [5] (*1 Cor.* 1, 10). [6] deest.

2

EXC.MUS P. D. LANCILOTTUS IOANNES GOODY
Episcopus Bumburiensis

Em.me Moderator, venerabiles Patres,

Delegatus ab episcopis Australiae et Novae Zelandiae loquor.

Fundamenta socialia in Australia et Nova Zelandia ex magna parte sunt inspirationis protestanticae. Minoritas etenim catholica, etiamsi his ultimis annis augmentum notabile habuit, vix magnum influxum sive socialem sive religiosum in vitam gentis hucusque habuit.

Magna maioritas tamen populorum Australiae et Novae Zelandiae hodierna die nullam fere religionem practice colit.

Indifferentismus hic, ut mihi videtur, praebet rationem praecipuam cur spiritus tolerantiae religiosae fere ubique virescit. Iste indifferentismus ultra *demonstravit* [1] urgentiorem necessitatem ut omnes in Christo credentes, sive catholici sive acatholici sibi invicem uniantur ut moenia tuta contra principia materialistica et saecularismum totius societatis se praebeant. Exstat itaque inter multos christianos, praesertim clericos et ministros, desiderium evidens unitatis.

Paucos dies antequam e domo Romam profectus sum, episcopus anglicanus parvae nostrae civitatis obviam mihi venit et donum pecuniae ex parte sua et dioecesis suae expensas itineris allevaturas protulit, affirmans se suosque multa bona ex exitu Concilii speraturos.

Ter temporibus praecedentibus ex voto eiusdem episcopi clero anglicano conferentias habui de rebus Concilii Oecumenici et de Ecclesiae unitate. Ipsi sacerdotes anglicani multum quaesti sunt num forsitan in Ecclesia catholica mutationes in doctrina et praxi fierent ut accessus acatholicorum et praesertim anglicanorum facilitaretur.

Haec quae retuli non casus peculiares esse pro certo habeo et clare primas difficultates motus oecumenici iam superatas esse demonstrant. Quod nunc requiritur, mea opinione, non est suavis mera enumeratio illarum veritatum quae omnibus adhuc communes sunt, ut, v. g., Baptismum et amor Sacrarum Scripturarum, quae utique socialem accessum initialem explanant, sed ut, iam facies ad faciem cum simus, eis uti amicis clare indicare debemus quae forsitan sunt minoris momenti et concedi possent et quae doctrinae, ab eis non admissae, ex alia parte, omnino fundamentales et essentiales sunt ita ut quaevis reunio seiunctorum cum Ecclesia catholica reapse sine illis fieri non posset.

E. g., permulti presbyteri anglicani (qui sese veri sacerdotes sensu catholico reputant et Missam quotidie ritu romano sed lingua anglica celebrant), permulti, inquam, decretum contra validitatem ordinum anglicanorum a Papa Leone XIII promulgatum, propter exigentias politicas illius temporis prolatum esse autumant et ideo decretum illum faciliter abrogari posse opinant.

Consequenter, expositio explicita essentialium doctrinarum fidei catholicae plus quam antea necessaria est ut Oecumenismus catholicus progressum faciat et spes unionis valescat.

Hae sunt rationes cur, mea opinione, secunda sectio huius cap. III « de Ecclesiis et communitatibus a Reformatione Protestantica exortis » est nimis ieiuna in quantum, pro magna parte, tantum ea quae communia sunt nobis et illis adnotat.

Sicut iam dicebam, verum est quod in initio dialogi, ut bonis relationibus socialibus fundamentum ponatur, non est aptum sublineare, ut ita dicam, diversitates et difficultates, sed cum tandem aliquando circa mensam amici illi et nos *sedemus* [2] tum videtur omnino optandum ut ea quae illis desunt de doctrina et praxi Ecclesiae catholicae non tantum de iis mentio fiat sed clare in luce necessitatis ponantur. Ex his requisitis certe essent, v. g., validum sacerdotium hierarchicum sensu catholico; acceptatio veri Primatus tum iurisdictionis tum dogmatici Sedis Romanae; vita sacramentalis integra omnium septem sacramentorum a Christo Domino nobis data; et cultus officialis B. Mariae Virginis Matris Dei.

Dictum est *iam* [3] in Concilio decretum *de Oecumenismo* potius ad catholicos dirigi ut magis cognoscant et aestiment pulchritudines non paucas Ecclesiarum separatarum. Sed certe decretum avide legetur a permultis fratribus seiunctis et si laudes tantum vident, si tantum mutuas doctrinas concordantes inter nos et illos notatas vident, nonne legitime putare possent optatam unionem Ecclesiarum esse iam in ianuis cum haec impossibilis erit usquedum de doctrinis disputatis a fratribus nostris adaequata tractatio non fit?

Polemica tractatio de his rebus utique est omnino vitanda. Ex alia parte tamen tacere vel non sufficienter insistere in his doctrinis ansam christianis seiunctis praebet credendi nos easdem doctrinas minores facturos vel etiam, ad pacem habendam, de eis omnino silere nos paratos esse ...[4]. Unica via tuta, ut opinor, ad unionem inter christianos parandam est praebere illis omnibus visionem quam pulcherrimam omnium in uno ovili sub ductu unius pastoris, successoris Petri congregatorum, omnium recipientium et credentium totum fidei depositum a Salvatore nostro hominibus in haereditate datum et ad hanc metam consequendam totis viribus orare et laborare.

Denique, saltem in nostris regionibus, motus oecumenicus potius clericalis est dicendus quam popularis. Immo laici sive catholici sive non-catholici relative loquendo indifferentes dici possunt et magna ex parte in suis praeiudiciis traditionalibus manere. Ideo antequam optatus dialogus eis ad quos maxime spectat, extendi potest, illos omnino adiuvare debemus ut caritatem ampliorem exerceant et pro christiana unitate saepius et sincerius preces fundant. Hoc non erit eventurum nisi populum nostrum in principiis oecumenismi catholici, tam bene in prioribus capitibus huius schematis expositis, solide instituimus.

Ideo, ut concludam, vota mea sunt:

1. Quod praxis veri Oecumenismi facilitetur per claram exposi-

tionem fundamentalium doctrinarum quae, ut unio habeatur, ab omnibus accipiendae sunt.

2. Ut ubique, et praesertim in regionibus ubi catholici pauciores sunt, sacerdotes, iam in re ipsi persuasi, populum suum in principiis veri Oecumenismi instituant et omnes hortentur ut cum caritate loquantur et agant, instanter quoque orent ut fiat unum ovile ...[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] demonstrat. [2] sedimus. [3] deest. [4] (Et hoc ego ipse expertus scio). [5] et unus pastor.

3

Exc.mus P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

Carissimi Fratres,

In permultis laudamus cap. III, partem II, huius schematis atque cum eo concordamus. Rationes distinguendi et appellandi uti « ecclesias » communiones orientales, in quibus episcopatus valide consecratus et celebratio valida eucharistica certe habentur, libenter agnoscimus; sed comparatio invida inter Ecclesias orientales et alias sic dictas « communitates », si remaneret in textu, esset impedimentum grave dialogo cum Anglicanis et multis aliis Protestantibus. Simul cum em.mo card. Ritter rogamus appellationem « Ecclesiae » ad has alias communiones extendi. Speramus ergo fortiter, ut loco locutionis « communitates inde a saec. XVI exortae » verbum « Ecclesia » vel verba « aliae Ecclesiae christianae » inserantur, tum ob rationes practicas tum praesertim ob rationes theologicas. Ecce rationes:

1. Practice omnes vel in vita quotidiana vel in libris et ephemeridibus, scientificis et « vulgaritivis », catholicis et non-catholicis, verbo « Ecclesiae » utuntur. Praeterea, si verum et genuinum *dialogum* cum alteris christianis introire volumus, cum ipsi sese appellent Ecclesias, et nobis negantibus, offendantur, respectus cultus et christianus (anglice « ordinary decency and politeness ») nos urget Ecclesias eos nominare.

2. Observari debet verbum et notionem « Ecclesiae » nec univoce nec aequivoce sed analogice dici posse.

3. Maiori ratione instruimur ex Sacris Scripturis ubi discimus olim schisma *quoddam inter*[1] regnum populi Dei accidisse. Eo tempore Israelitae regni septemtrionalis, etiamsi in schismate erant a sede Da-

vidica subiecto privilegii Divinae Promissionis, adhuc pertinebant ad *populum Dei.* Tunc denique Spiritus Dei non cessavit apud eos spirare. Erexit prophetas — ne fugiat a memoriis nostris! — eos mandavit verbo corrigere abusus regni meridionalis; regni ipsius Divinae Promissionis. Uti tunc ita nunc. Non obstante dolorosa interruptione communionis ecclesiasticae cum sede Petrina, hae communitates christianae pertinent ad populum Dei, et servato omni iure Ecclesiae unicae et verae catholicae, etiam Ecclesiae dici debent.

4. Quamvis laudetur schema pro elaboratione positiva et honesta *elementorum salvificorum* apud eos non in communione perfecta cum sede Romana habitorum, tamen honeste attendere decet ut ista elementa non tantum individualiter sed ecclesialiter habita sunt. E. g. observantur:

a) Est ab aliqua confessione vel ab eo qui loquitur nomine confessionis quod audiunt *Verbum Dei.*

b) Est in coetu vel Ecclesia quadam quod profitentur Christum; a ministris ecclesiasticis baptizantur; et in contextu traditionis ecclesialis vita doni gratiae divinae fovetur.

c) Non ut individui sed ut *con-vocati* et *con-gregati* in unum sunt ad verbum Dei audiendum et ad Deum adorandum precibus publicis.

d) Est in functione communitatis ecclesialis quod persaepe charismatibus fruuntur, et « diakoniam » et « marturian » eorum exercent, signa praesentiae Spiritus Sancti iam a nobis recognita.

e) Possumusne eorum caritatem fraternam laudare, quin *admittamus*[2] eam illa mysteriosa et spirituali *communione,* « koinonia », « fellowship », quam experiuntur una cum aliis etiam fundari?

f) Licet plena realitate Eucharistiae careant, est inter istas communitates et plus quam communitates quod *signa Eucharistica* continuant praesentari cum genuina eorum intentione annuntiandi mortem Domini donec veniat ut *adumbrent mensam caelestem et liturgiam aeterni et unici sacerdotis nostri omnium christianorum Iesu Christi.*

Antequam dico meas gratias et secundum consuetudinem « dixi » postulo in nomine meo et in nomine multorum Patrum quid dicendum sit de *suffragatione*[3] super acceptatione cap. IV et V huius schematis quod omnes exspectant ante finem huius sessionis secundum nuntium secretarii generalis. Tale suffragium erit possibile hodie sine interruptione disceptationum huius schematis. Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] quaedam intra. [2] admittimus. [3] suffragio.

4

EXC.MUS P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO
Episcopus Palentinus

Venerabiles Patres conciliares,

Placet quidem doctrina tradita in hoc cap. III schematis *de Oecumenismo* circa Ecclesias orientales et circa communitates ecclesiales quae generali nomine *protestantes* appellantur. Et valde nobis gratulandum est, quia, tandem, Spiritu Sancto inspirante et movente, facta est *universalis* quaedam animorum angustia ob vividiorem apprehensionem multiplicis *vulneris* Corpori Christi mystico inflicti, in saeculorum decursu, ex lamentabili *divisione* [1] tot millionum christianorum a Sede Apostolica avulsorum, quosque fratres separatos vel disiunctos nominamus in Ecclesia catholica.

Pari autem intensione singulae confessiones christianae progrediente tempore in communem *adspirationem* convenerunt, per diversos contactus et foederationes, tendendi ad unitatis pristinae restaurationem, iuxta Domini Iesu incensum desiderium atque precationem ad Patrem « ut omnes discipuli suorum apostolorum unum sint, immo consummati in unum, ut credat mundus in eius divinam missionem et in dilectionem sanctificantem Patris erga credentes ».

Inde profecto exortus est motus qui oecumenismum audit, ope praecipue missionariorum apud infideles, quibus scandalum erat, et est adhuc, tanta *christianismi* divisio et diversitas in distinctis confessionibus. Ideo in praesenti saeculo celebrati sunt tot conventus seu congressus fratrum disiunctorum totque tentamina instituta fuerunt in ordine ad aliquam, saltem externam et dynamicam, unitatem *constituendam,* [2] quae omnia tamen usque ad nostra tempora nimis paucos tenuesque gressus assecuta sunt. Porro ex convocatione Concilii Oecumenici, motio illa reapse profecit adspectabilesque edidit fructus, in dies crescentes, ut patet ex maiori numero Ecclesiarum dissidentium in hac sessione secunda repraesentatarum, viginti nempe, et ex incremento observatorum, qui iam 63 numerantur.

Pars magna huius exitus debetur, absque dubio, Ss.mo Papae nostro Ioanni XXIII, piae memoriae, atque laboribus secretariatus pro unitate: ideo iure meritoque scribere potuit Pontifex die 6 ianuarii ad Patres conciliares: « Spiritus Domini replevit orbem terrarum ».

Iam vero [3] inter Ecclesias a Sede Romana separatas rite primus locus

adiudicatur in schemate Ecclesiis orientalibus ...[4], quoniam sunt catholicis propinquiores, utpote pluribus intimioribusque vinculis nobis coniunctae nempe: a) *deposito fidei,* paucis exceptis punctis, praesertim circa Primatum iurisdictionis et infallibilitatem Romani Pontificis; b) *vero Christi sacerdotio,* hierarchice organizato, secundum suam vetustissimam traditionem; c) *thesauro omnium sacramentorum* et sacrosancti Eucharistiae sacrificii solemniter et communitarie celebrati, ut vidimus in hac aula; d) *monachismo* antiquissimo, viridario unde sacri praesules seliguntur; e) *historico influxu* in fidei dogmatum elaborationem in primis Conciliis Oecumenicis et in doctrina eximiorum Patrum et Doctorum Ecclesiae orientalis; f) ferventi universalique devotione erga Virginem Deiparam eiusque imagines.

Aliud meritum *pariter*[5] iis Ecclesiis adscribendum est, in promovenda scil. motione oecumenica, iam a martyre S. Iosaphat, cuius spiritum participarunt eminentes viri, ut ...[6] Gregorius Sčuvalow, qui piam consociationem instituit *Constantinopoli*[7] ad preces fundendas pro unione ipseque ter in die vitam suam Deo offerre consuevit eadem intentione, itemque Antistes Papadopulos, qui multa in oriente passus est propter conamina unionis et a Patria extorris, Romae paucis abhinc annis sancto fine quievit. Ibi libenter acceptae sunt preces octavarii pro unione, et horum operum fructus conspicimus *laetanter*[8] in Patribus qui repraesentant hierarchiam 120 Praesulum cum Roma unitorum et 12 millionum christifidelium in eorum coetibus congregatorum.

Ad protestantes quod spectat, non omnes communitates aequaliter se habent relate ad unionem cum Ecclesia catholica, ex quibus proximiores exsistunt *Anglicani,* qui magis ad Romanam Ecclesiam accesserunt, sive in cultu eucharistico et mariano sive in accommodatione librorum ritualium ad normas Liturgiae catholicae sive etiam in gressibus ad unionem protendentibus.

Ibi enim ortus *est*[9] ille famosus motus, dictus ...[10] de Oxford, ducibus Newman, Pusey et Faber, vi cuius catholica Ecclesia magnum in Anglia suscepit incrementum; inde prodiit alius motus pro unione, nempe celebratio Octavarii mense ianuario, a Paulo Watson conditus et ubique terrarum diffusus; ibi crescit in dies cultus eucharisticus et devotio erga Virginem Mariam eiusque effigies et sanctuaria necnon organizatio vitae religiosae tam virorum quam feminarum.

Etiam in ceteris confessionibus, sive in Europa sive in America et in missionibus exteris, floret motio oecumenica et conamina perficiuntur ad collaborationem cum aliis communitatibus ecclesialibus, catholica non excepta, immo et ad plenam unitatem progressive instaurandam. Memorari liceat quod dicitur Foedus S. Winfridi in Germania,

tendens ad restaurationem fidei, liturgiae sacramentalis et sacrificialis ...[11]; primatus Romani Pontificis, quem recens pastor verbo et scripto defendit; pariter in memoriam revocandum est quod « Edictum Dresde » appellatur, ad perscrutandas, ope competentis commissionis, apparitiones mariales in Lourdes et Fatima; revisio doctrinae veterum protestantismi fautorum; motus biblicus cum validissimis investigationibus peractus; motus missionarius apud infideles populos; et vitae regularis instauratio, cuius exemplum gaudentes *contemplamus* [12] in carissimis fratribus de Taizé in hunc finem coadunatis ut suis orationibus, sacrificiis multiplicibusque navitatibus auspicatam Ecclesiarum unionem promoveant.

Denique, ut plures iam Patres dixerunt, animadvertere iuvat quam necesse est ut clare et definite *meta* in oecumenica motione intenta determinetur. Omnes quidem loquimur de unitate Ecclesiarum assequenda; sed aliter et aliter unitatem et unicitatem Ecclesiae intelligunt et proclamant catholici, orthodoxi et reformatores.

Prae oculis semper habenda sunt quae docuit Pius IX ad episcopos Angliae ...[13] de dicta theoria *trium ramorum*; quae circa Ecclesiae unitatem et unicitatem scripsit Leo XIII in Encyclica *Satis cognitum* ...[14], quaeque clarissime memoravit nobis exc.mus *Granados* [15]; simulque doctrina tradita a Pio XI in Litteris *Mortalium animos* ...[16], reprobando distinctionem inter capita fundamentalia et non fundamentalia, quantum ad obligationem fidei catholicae, et tandem monita Pii XII in Encyclica *Humani generis* ...[17], concorditer ad Instructionem S. Officii de Motione Oecumenica ...[18]

Ne quisquam dicat haec omnia obsoleta evasisse temporis progressu et mentalitatis, quae vocatur, evolutione; nam ipse Ioannes XXIII, eximius oecumenismi promotor, in suis Encyclicis *Mater et Magistra* et *Pacem in terris* sequentia verba conscripsit, *loquens de contactibus cum acatholicis* [19]: « Catholici maximopere prospiciant ...[20] ut sibimetipsis semper constent neve *ad ea media consilia* descendant, e quibus aut religionis aut morum integritas aliquid detrimenti capiat ... Si auctoritas Ecclesiae aliquid decreverit, huic sententiae palam est ab omnibus catholicis *proxime parendum*. Ecclesiae *enim* [21] non est tantum ius et officium tueri principia ad religionem et ad morum integritatem spectantia, sed etiam pro sua auctoritate sententiam suam pronuntiare, cum de principiis iisdem agitur ad effectum adducendis ».

Concludo. Faxit Deus, B.ma Virgine Maria intercedente, appellata a Leone XIII *vinculum unionis* inter fratres, ut proclamaverat *iam* [22] Gregorius Schuvalow et « Atonement », reconciliationis et unionis scil., vocata a Watson, ut in unitatem fidei occurramus omnes et in unum

ovile sub uno supremo pastore feliciter quantocius conveniamus. Fiat! Fiat! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] consequendam. [3] deest. [4] quae tamen non omnes evocantur, sicut alii Patres iam animadverterunt. [5] deest. [6] Vladimirus Solovief. [7] deest. [8] in aula. [9] deest. [10] nempe. [11] organisationis sacrae hierarchiae, marialis cultus et agnitionis. [12] conspicimus. [13] a. 1864. [14] a. 1896. [15] Añoveros. [16] a. 1928. [17] a. 1950. [18] praecedentis anni. [19] deest. [20] (loquens de contactibus cum acatholicis, in muneribus exsequendis). [21] deest. [22] deest.

5

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ
Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Venerabiles Fratres,

Ratio huius interventus est summum momentum colloquii inter catholicos et orthodoxos in Iugoslavia. Ob conditiones nempe vitae modernae, quae secumfert transmigrationes continuas populationis intra limites eiusdem Status, apud nos contingit, ut orthodoxi in regiones catholicas immigrent et viceversa. Proinde opere pretium est pro nobis puncta firma statuere pro isto colloquio, quod fit et fieri debet non solum inter theologos specialistas, sed etiam inter episcopos, sacerdotes et simplices fideles, qui ultimi hodie quandoque in eadem domo habitantes vel in eodem loco laborantes inveniuntur cum orthodoxis.

1. Imprimis valde placet quod pro colloquio oecumenico non tantummodo doctrina sub respectu dogmatico, sed etiam sub respectu artis tacticae in hoc capite et in genere in hoc schemate nobis praebetur. Fateor me primum intellexisse momentum artis tacticae apud marxistas, qui continuo quaerunt novas methodos ad fructuose colloquendum cum illis, qui extra eorum castra inveniuntur, e. g. etiam cum nostris fidelibus, cum nostris sacerdotibus, immo et cum episcopis.

Sicut Ecclesia catholica ergo instrumenta communicationis socialis technicae modernae accipit, ita etiam hoc instrumentum potentissimum artis tacticae seu propagandae modernae accipere debet, quia inservit ad nostras veritates propagandas extra nostra saepta.

Hoc est revera medium humanum et naturale pro nostra doctrina supernaturali divulganda et ideo nimis aestimandum non est, sed nec spernendum, nam gratia supponit naturam, sicut hodie bene demonstrat sociologia sic dicta religiosa.

Propterea caput hoc sicut et totum schema sub respectu artis tacticae est diiudicandum, non sub respectu purae doctrinae. Tunc multae difficultates cadent.

2. Sed differentia inter nostram artem tacticam et artem tacticam hominum huius mundi, e. g. variarum factionum, in eo est, quod illae artes tacticae mundane clausis ianuis exarantur et ideo quandoque sinceritate et quandoque *et*[1] veritate carent. Dum nos loquimur de nostris methodis tacticis coram universo mundo, sincere et aperte. Ideo totam et integram veritatem, sed apto modo, dicere debemus. Abscondere quasdam veritates revera dedeceret Verbum Dei. Attamen verum est quod permulti Patres dixerunt, nos non debere semper omnes veritates dicere, immo quandoque bonum est quasdam veritates extollere, quae profuturae esse videntur illis, quibuscum colloquium instituimus oecumenicum.

3. Ob has rationes laudanda sunt in hoc capite et in hoc schemate, quae aliunde laudanda non essent. E. g. quae dicuntur et modus quo dicuntur in art. 15, 16, 17, huius capitis fere quaedam adulatio videri possent orientalibus facta ad tranquilizandam eorum conscientiam apta. Sed hoc verum non est, quia iste modus loquendi humanissimus et christianissimus procedit ex amore erga fratres separatos et ex desiderio sincero eos ad Ecclesiam catholicam adducendi non vi vel mendacio, sed amore et veritate.

4. In specie ...[2] placet, quod dicitur de orthodoxis ecclesiis in art. 12, linn. 12-13. Nam revera in istis ecclesiis elementa communionis ecclesiasticae in multo maiori numero et gradu inveniuntur, quam apud protestantes. Ideo vehementer consentio illis patribus, qui petunt, ut de ecclesiis orientalibus in speciali capite agatur.

5. In art. 17, lin. 24, desidero, ut addantur verba, claritatis gratia, quae significent traditionem theologicam orientalium non solum in Sacra Scriptura, sed etiam in traditione divino-apostolica radicatam esse. Haec affirmatio non solum vera est, sed insuper placeret Ecclesiis orthodoxis, quia ipsae origine apostolica *i. e.*[3] independenti a Roma, gloriantur et illam traditionem divino-apostolicam tam aestimant, ut quandoque exaggerant, ut notum est.

6. Maxima tamen difficultas pro colloquio oecumenico inter nos et orthodoxos est sine dubio primatus iurisdictionis Romani Pontificis. Ideo caput, considerare intendens hoc problema sub respectu artis tacticae, dicit breviter officium Romanae Sedis esse « praesidere in caritate ».

Haec affirmatio laudanda videtur, quia indicat optimum modum psychologice loquendo pro colloquio cum orthodoxis incipiendo. Dico

« incipiendo », nam revera paulatim ex ista affirmatione, quam orthodoxi agnoscunt, deveniendum est ad pleniorem explicationem illius « praesidentiae » per affirmationem claram primatus iurisdictionis.

Sed quia orthodoxi iam sciunt istam nostram intentionem (nam non loquimur ianuis clausis) ideo nescio quantum de facto talis locutio *et talis tactica*[4] profutura sit.

7. Sed in hoc capite video, submisse loquendo, essentialem lacunam pro utili colloquio cum orthodoxis. Scil. indicandus est modus proponendi orthodoxis nostram doctrinam de episcopis, quam cum ipsis fere communem habemus.

Orthodoxi enim saepe saepius episcopos catholicos uti quosdam principes huius mundi considerant, uti videri potest e. g. apud celebrem scriptorem russicum Dostojewski. Nam apud orthodoxos episcopus, qui vota evangelica semper habet, est centrum totius vitae ecclesiasticae etiam quoad monachos. « In episcopo ecclesia est » verificatur in istis ecclesiis.

Ideo magni momenti est in hoc capite ostendere omnibus, qui cum orthodoxis colloqui volunt, modum aptum loquendi de episcopis. Scil. oportet extollere munera episcopalia in ecclesia: ostendere revera episcopum catholicum esse imprimis sanctificatorem, magnum sacerdotem, praedicatorem verbi Dei et dein etiam administratorem ecclesiasticum.

8. Maxime vero nos iuvare posset in colloquio oecumenico cum orthodoxis doctrina de collegio episcopali, quod collegium revera etiam in Ecclesia catholica constituit cum et sub Romano Pontifice supremam potestatem in Ecclesia. Immo summi momenti esset probare collegium episcopale habere supremam potestatem cum et sub Romano Pontifice in Ecclesia universa non solum quando sunt episcopi in Concilio ...[5], sed etiam *dispersi in orbem terrarum.*[6]

9. Attamen, quia palam coram toto mundo loquimur, nec quemquam decipere volumus, clare dicere debemus, episcopos tantummodo supremam potestatem in tota Ecclesia actu exercere cum a Romano Pontifice eorum potestas suprema in ecclesiam in actum reducitur. Quando etenim episcopi per orbem sunt dispersi, tunc ipsi moralibus vinculis caritatis sunt iuncti et insuper in potentia seu radicaliter habent supremam potestatem in universam Ecclesiam, quae tamen potentia actuatur a Papa quando et quomodo ipse libere vult ...[7]. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] mihi. [3] deest. [4] deest. [5] oecumenico congregati. [6] quando sunt extra Concilium per orbem terrarum dispersi. Revera haec doctrina maximum impulsum pravoslavis orthodoxis daret redeundi in Ecclesiam catholicam, si Deus dederit. Nam antequam ad nos epi-

scopi orthodoxi redeant, scire debent quid sit episcopus in Ecclesia, qualia sint eius munera qualisve eius dignitas. [7] Mihi vero valde momentosum esse videtur explicare orthodoxis istam habitualem et stabilem potentiam episcoporum gubernandi cum et sub papa in universa Ecclesia. Nam etsi ista suprema potestas episcoporum extra Concilium est tantummodo potentialis, est tamen aliquid, non est nihilum. Potentia enim dicit ordinationem ad actum, potentia iam aliquomodo continet actum et ad eum appellat. Propterea non esset bonum a limine reiicere doctrinam de collegio episcopali, etiam sub hoc respectu colloquii oecumenici cum orthodoxis. 10. Liceat in fine breviter addere meum consensum in additione cap. IV in schema *de Oecumenismo,* in quo tamen capite deberemus tractare de habitudine Ecclesiae et de nostra arte tactica erga omnes communitates religiosas non christianas, inclusis musulmanis, quorum numerus in Iugoslavia est circa bis decies centena millia, et illis magnis communitatibus religiosis in Extremo Oriente. Cui capiti deberet addi caput de atheis modernis et de regulis fructuose colloquium oecumenicum cum illis instituendi. Nam saepe hodie iudicamus de atheis secundum illud S. Scripturae: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Et concludimus nobis non esse curandum de insipientibus. Et tamen athei quoque nostri fratres sunt et debemus scire modum colloquendi cum ipsis. Quod problema est hodie tam grande, ut revera specialis secretariatus pro atheis necessarius sit, qui secretariatus cum secretariatibus de christianis et de religionibus non christianis quandam congregationem oecumenicam cum tribus secretariatibus aut sectionibus constituere possit. Item caput de libertate religiosa et humana, profunde tamen quoad structuram theoreticam reformandum, in schemate *de Oecumenismo* habere locum mihi videtur.

6

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO

Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Pauca animadvertam circa primam partem cap. III schematis decreti *de Oecumenismo,* i. e. « De Ecclesiarum orientalium peculiari consideratione ».

In n. 12 recte plane affirmatur: « Ecclesiae enim orientales a primaevis temporibus propriam sibi tenent mentem atque historiam et instituta, quae recte existimari debent ab illis qui in laborem oecumenicum incumbere volunt ».

Haec diversitas inter orientales Ecclesias et Ecclesiam latinam est factum quod totam vitam orientalium et occidentalis Ecclesiarum attingit, ritus scil. non tantum, sed et disciplinam, immo et theologiam ipsam quoad modum hanc ponendi et enucleandi. Est igitur factum, quod prae oculis semper habendum est ut sive historia sive vita Ecclesiarum orientalium intelligi possint et quaevis actio oecumenica relate ad orientales utiliter absolvi queat.

Ex alia parte oblivisci non possumus ex ditissimo Ecclesiarum orientalium patrimonio non pauca hodie totam Ecclesiam locupletare. Sufficiat Patres et monachismum in mentem revocare. Ceterum prima fundamentalia Concilia in oriente habita sunt.

Videtur tamen laborem oecumenicum relate ad orientales non exigere tantummodo ut haec omnia prae oculis habeantur, in quibus quidem schema immoratur, sed etiam ut diversitas accurato studio subiciatur ad fines legitimae diversitatis determinandos.

Nam diversitas, ut legitima sit, in unitate subsistere debet. Unitas vero unionem supponit, sed unionem transcendit et perficit.

De unitate quidem tractatum est in cap. I nostri schematis, quamvis non ita clare uti desideratur et necessarium est, at mihi videtur aliqua peculiaria hic de unitate esse dicenda. Si haec Sacrosancta Synodus « nihil (vult) ultra imponere oneris quam necessaria », tamen uti Concilium Florentinum, aperte dicat fratribus orientalibus quae de Ecclesia romana, catholicitatis centro, et de Romano Pontifice sentit et sentire debet catholica Ecclesia, quae neque occidentalis est neque orientalis sed catholica dumtaxat.

Si unitas Ecclesiae et in Ecclesia suum centrum Romae habet, hoc per factum dogmaticum-historicum evenit ob arcanam divinae Providentiae dispositionem, quod ideo nemini praeiudicium aut iniuriam affert.

In hac autem unitate affirmanda, sive in fide sive in regimine, secundum Florentinum et Vaticanum I, ratio necessario habenda est de dynamismo in vita Ecclesiae a tempore schismatis usque ad nos. Ecclesia scil., cuius unitas integra post schisma mansit, statica non fuit his decurrentibus saeculis. Non videtur igitur dici posse simpliciter: « Oportet intendere quae inter Ecclesias orientales et Sedem Romanam ante separationem vigebant ». Ratio enim habenda est, ut evidens est, de tota doctrina definita in Conciliis et extra Concilia a Summis Pontificibus; ratio habenda est quoque de tota vita Ecclesiae, quae mirabiliter crevit et in universum mundum diffusa est; ratio habenda est de multiplici Ecclesiae in mundo illuminatione et actione.

Quod autem opportunum sit haec omnia indicare desumitur ex illis, quae, sive in hac aula prolata in prima et secunda sessione huius Concilii sive typis impressa, aperte demonstrant quomodo, apud ipsos orientales unitos non paucos, unitas et Romani Pontificis Primatus, saltem quoad exercitium, intelligantur; quomodo orientale schisma sive theologice sive historice aestimetur.

Conclusio. Labor oecumenicus relate ad orientales seiunctos animo aperto, praeiudiciis immuni, comprehensione pleno est a nobis omnibus

absolvendus. Omnes enim nos bene scimus quam grave sit vulnus unicae Ecclesiae Christi per schisma inflictum. Intra parenthesim: Qui loquitur in sua dioecesi orientales habet sive seiunctos cum propria Ecclesia, sive unitos, pro quibus paroeciam personalem ritus byzantini sub titulo S. Ioannis Chrysostomi ipse instituit.

Sed firmiter speramus, et ad hunc finem enixas ad Deum preces fundimus Deipara intercedente, fratres nostros orientales, sive seiunctos sive unitos, animo pariter aperto et praeiudiciis immuni Ecclesiae unitatem esse aspecturos, cuius Romanus Pontifex, Successor Petri in Romana Sede et Christi Vicarius, perpetuum exstat principium et visibile fundamentum. Dixi.

7

Exc.mus P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

Cap. III vult laudabilia apud fratres seiunctos enumerare et extollere. De hoc nihil obiicio. Duo tamen dicere cupio:

1. Asserta etsi fundamento theologico non carent, tamen nucleum problematum non semper attingunt.

2. Optimismus, quem totus sapit textus, minuendus videtur.

Ad 1. Si de communitatibus inde a saec. XVI exortis sermo fit tria iterum ponenda videntur:

a) Nulla fit in textu mentio, *ni fallor,*[1] de devotione erga episcopatum quae multis in his communitatibus viget. Ecclesia anglicana e. g. perpulchram habet de episcopatu theologiam, tam classicam quam recentiorem. Mirum est quod in hoc Concilio ubi tam fuse et eloquenter (nimis eloquenter) de episcopatu dissertum est, nihil vel fere nihil de hac theologia dictum est. Timeo insuper ne his qui tam fervide episcopatum et apostolicam successionem extollunt, silentium nostrum de re tam opportuna causa fiat admirationis et amaritudinis.

b) Quod Protestantes nonnulli, duce Barth, viro doctissimo, transcendentiam, non revelationis, uti dicitur *in textu,*[2] sed Dei omnipotentis, magno cum fervore et clamitu extollunt, est elementum *maxime*[3] positivum. Fas est, in hoc casu, ab illis doceri cum nostris in Ecclesiis raro et insufficienter haec verba audiantur: « Mika-El »: « Quis ut Deus »?

Sed ipse transcendentalismus quem nuper laudavimus non semper eodem gradu apud Protestantes, fratres nostros dilectissimos, invenitur. Originem ducit in mystica Taulerii, Eckardt et Dionysii Areopagitae. Illud vero commune est fere omnibus protestantibus quod fortiter, clare

et haud sine zelo abyssum agnoscunt, quod inter Creatum et Increatum exstat. *Certe*[4] catholici, e contra, uno eodemque conspectu Divinum et Theandricum amplectuntur. Certe omnia revelata fide sunt tenenda, nec « unum iota nec unus apex a lege praeterire debet ». Attamen aliquis ordo, aliqua praecedentia in revelatis ab ipsa Scriptura suggeritur cum v. g. Dominus Noster de seipso dicit: « Pater maior me est ». Etiam hic a fratribus seiunctis doceri forsan possumus.

c) Bona spiritualia multa quae apud fratres nostros inveniuntur aliquam peculiarem providentiam supponunt ...[5]. Cogitemus verba Ioannis Henrici Newman, qui vigesimo post conversionem anno, haec *in Apologia ... (i. e. catholicus)*,[6] in « Apologia pro vita sua » scribere non dubitavit: « Quod per tria saecula, Ecclesia Anglicana tam multas animas sanctas peperit et nutrivit, hoc sine speciali Dei interventu impossibile videtur ».

Quod si haec de communitatibus inde a saec. XVI separatis valent, quid de dilectissimis Ecclesiis orientalibus dicam? Nonobstantibus persecutionibus innumeris quae *adhuc*[7] hodie perdurant, fides orthodoxorum semper eadem manet. Haec fides aliunde magis cum nostra coincidit quam ordinarie creditur, nam in Liturgiis orientalibus omnia fere inveniuntur quae tenemus, ea etiam quae per saecula controversiam nutriverunt latinos inter et graecos. Ipsa liturgia fratrum nostrorum orientalium omnino pura, sancta, immutabilis et inconcussa manet dum latini suam incessanter mutant, adaptant, perficiunt ut sit simul et magis moderna et magis antiqua iuxta haec quae in civitate prope quam natus sum, nempe Lutetiae Parisiorum, libenter dicuntur: « Il faut être à la mode », *quod latino sermone non dicitur*: « *iuxta modum* ».[8] Nonne fidelitas fratrum nostrorum orientalium ab ipso Spiritu Sancto procedit? Nonne ponendum est quod, ad instar Ecclesiae universalis, etiam Ecclesiae locales in Spiritu congregantur? B. Paulus in exordiis duarum epistularum dicit quod Ecclesia Thessalonicensium est in Deo Patre et Iesu Christo. Ecclesia localis in Trinitate congregatur, ergo in Spiritu.

His omnibus dictis, *ad secundum punctum* deveniendum est.

Si Deus extra Ecclesiam quam totam supra Petram ipse fundavit, tam mira patravit, hoc nullopere per argumenta explicari potest quibus Newman ante conversionem utebatur, nempe quod quemadmodum in Vetere Testamento Israël et Iuda, ab invicem separata, tamen unum populum Dei constituebant iisdem charismatibus honoratum, ita in Nova Lege Ecclesiae dissentientes et sese *mutuo*[9] excommunicantes unum tantum populum constituunt iisdem divinis privilegiis cumulatum. Contra haec asserta Scriptura protestat. Nam apud Ezechielem et Ioannem qui eum sequitur clarum apparet quod in Regno messianico Unus Pastor

et Unum Ovile constituuntur a Deo. Omnia quae Deus in coetibus christianis ab invicem separatis perficit ad hoc tendunt quod omnes in unum ovile conveniant. « Alias oves » habet Dominus, sed « illas oportet eum adducere ».

Caveamus ergo ne tolerantia Dei erga divisiones nostras *mox* [10] finem habeat dum hae divisiones minus excusabiles sunt quam praeteritis temporibus ubi vigebant defectus libertatis *civicae,*[11] distantia locorum et ignorantia reciproca invincibilis. Timeamus Deum praetereuntem nec regredientem.

Propterea humiliter, et finem faciens, duo in memoriam revocare audeo:

1. Concilia Lugdunense II, Florentinum et etiam Tridentinum (*in secunda sessione*) [12] instituerunt discussionem cum ipsis fratribus seiunctis, intra ipsum Concilium, ...[13] de viis ad unitatem restaurandam.

2. Pluria Concilia oecumenica non omnes episcopos comprehendebant sed delegatos tantum Provinciarum ecclesiasticarum *ab omnibus* [14] confratribus *honeste* selectos et unanimiter electos. Cur isti et non nos?

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] omnino. [4] deest. [5] quae super coetus christianos invigilat. Cogitemus tam multas paroecias protestanticas in Europa septemtrionali, in Helvetia et in aliis regionibus ubi fides in Christum et virtutes evangelicae sese tam pulchre manifestant. [6] deest. [7] etiam. [8] deest. [9] deest. [10] nunc. [11] deest. [12] deest. [13] non de obiecto fidei directe, sed inchoative tantum. [14] a.

8

EXC.MUS P. D. PETRUS DIB
Episcopus Cahirensis

Em.mi et venerabiles Patres,

Liceat mihi aliquam animadversionem circa cap. III schematis decreti *de Oecumenismo* excitare.

In hoc capite legimus quae sequuntur: « Quantum ad viam unitatis sternendam et ad integram communionem inter orientem et occidentem restituendam orientalium Patrum ... studium conferre possit, nemo est qui non videat ... Oportet ad naturam relationum intendere quae inter Ecclesias orientales et Sedem Romanam ante separationem vigebant, ex quibus officium Romanae Sedis, cuius est praesidere in caritate, insigniter elucebat ». *Haec sunt decreti verba.*[1]

Ad *unitatem assequendam,*[2] multum iuvat studium orientalis Ecclesiae Patrum, nec non aliorum orientis documentorum. Diligentia in eiusmodi studium obstacula unitatem seu unionem impedientia tollere potest. Exemplum: hoc dogma: « Spiritus Sanctus ex Patre Filioque procedit », aliter exprimitur a Patribus orientalibus qui dicunt: « *Spiritus Sanctus ex*[3] Patre per Filium procedit ». Revera idem est sensus, *non eadem formula, sed idem sensus. Hoc est exemplum inter multa alia.*[4]

Quod ad Sedem Romanam attinet, historicum de suprema Romani Pontificis auctoritate, nonnisi in hisce orientalibus scriptis seu monumentis tam abundanter reperitur, ac tam fecunde illustratur. Legantur v. g. opera S. Ephraemi, S. Ioannis Chrysostomi, S. Cyrilli Alexandrini. *Videatur etiam articulus « Primauté » in « Dictionnaire de Théologie Catholique ».*[5]

Argumentum de Patrum orientalium scriptis depromptum iure merito tangit ac movet nostros fratres orientales non catholicos: Haec quae dico, dico expertus. In celeberrima Argentinensi Theologiae Catholicae Facultate (in Gallia), ubi docebam ius canonicum latinum et orientale, multi erant auditores orientales non catholici, studiosi, intelligentes, exculti. Testimonia seu verba Patrum orientalium eorum exspectationem semper movebant. Itaque non praetermittebant facultatem locos indicatos visendi et recognoscendi et alios legendi. Et sic fines eorum eruditionis *in re theologica et Ecclesiae historia*[6] proferebant. Quamobrem fas nobis sit petere *atque orare*[7] ut *in omnibus seminariis ac Theologiae Facultatibus,*[8] praelectiones de theologia, *innixae non solum in Sacram Scripturam, sed etiam in Patres latinos simul ac orientales instituantur.*[9] Haec institutio, *mea humili sententia,*[10] valde *potest adiuvare*[11] ad dialogum cum fratribus non catholicis statuendum et ad iter reconciliationis sternendum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] id propositum assequendum. [3] a. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] praesertim circa Summi Pontificis auctoritatem, in Patres latinos et orientales innixae instituuntur in seminariis simul ac in theologiae facultatibus. [10] deest. [11] adiuvat.

9

EXC.MUS P. D. ELIAS ZOGHBY
Archiepiscopus tit. Nubiensis

Venerabiles Patres,

Cum, post novem saecula divisionis et evolutionis separatae, Ecclesiae tum latina tum orientales, sese ad invicem existiment substantialiter similes, utrum supponi potest quod, abhinc mille annis, rationes maiores habuerunt ut se separarent? Certo certius videtur quod non. Non haberetur divisio si in illo tempore utraque fractio eiusdem Ecclesiae moraliter secuta non fuisset contentionem in qua duo imperia se opponebant.

...[1] Schisma orientis, quod oecumenice melius nominaretur « maius schisma christianum », cum responsabilitates mutuae fuerint, evenit epocha in qua oriens ac occidens dialogum aequum et efficacem ducere non poterant. *Datur enim tempus acceptabile pro dialogo et tempus non acceptabile. Siquidem iam ad finem sessionis properamus tempus pro dialogo favorabile non est; propterea meum interventum in quattuor paragraphis sequentibus resumam*[2]:

1. Periti catholici hodierni in historia, ac non parvi meriti, hoc maius schisma interpretantur ut clades conatus centralizationis versus Ecclesias orientales quae solebant unitatem agnoscere in legitima diversitate. Cur *Ecclesiae orientales renuerunt centralizationem*[3]*?* Rationes politicae aut superbia, quandoque allatae, non sufficiunt. Orientales potius inclinant ad *alias rationes*[4]: Ecclesiae orientales enim regimen collegiale ac synodale per decem saecula adhibuerant sine ulla oppositione ex parte Romani Pontificis ...[5]

Proinde visum est orientalibus quod centralizatio nova ad uniformitatem tendebat ac in periculum ponebat patrimonium eorum legitimum proprium, a Patribus acceptum, vi successionis apostolicae certae...[6]

2. Fortasse ratio providentialis hoc permisit *schisma*[7] ne Primatus Petri, ad patrimonii christiani integritatem servandam ordinatus, exerceretur in detrimentum huius integritatis ...[8]. Quaevis unitas, in qua una vel altera traditio apostolica plus minusve obscuraretur, Ecclesiam ...[9] non divitem faceret sed inopem.

3. Unitas catholica ad quam oecumenismus tendit, amplior ac fecundior erit quam hodierna unitas. Unitas catholica hodierna, de facto loquor, quasi partialis ac potius latina videtur. In ea enim adunantur Ecclesiae latinae occidentis ac aliarum regionum quae ab Ecclesia la-

tina evangelizatae sunt, necnon parvae fractiones Ecclesiarum orientalium unitarum ac quoad modum latinizatarum praeter ritum liturgicum. Ecclesiae orthodoxae vero solae servarunt usque nunc, quamvis aliquando modo imperfecto, authenticam traditionem orientalem. Sola igitur unio aequalis inter illam latinitatem et istam orthodoxiam roborare poterit traditionem apostolicam integram ac unitatem catholicam perficere.

Agitur de unione in aequalitate, in eo sensu quod, tempore optato reconciliationis, orthodoxia tantum dabit quantum accipiet. Sub Primatu Petri, una cum Ecclesia latina, aequaliter participabit regimini Ecclesiae universalis ...[10]

4 *et ultimo.*[11] In ...[12] dialogo, qui Ecclesias latinam ac orthodoxas imprimis spectat, orientales catholici munus habebunt secundarium quidem sed necessarium testimonii. Oportet enim ut, minus latine viventes ac magis secundum traditionem suam orientalem sese renovantes, testimonium perhibeant orientis pro catholicis latinis ita ut ille dialogus expeditius ac efficacius procedat. In hodiernis adiunctis, talis videtur esse locus eorum in servitium Ecclesiae Iesu Christi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Datur enim tempus acceptabile pro dialogo et tempus non acceptabile. [2] Sic oppositiones minores quae antea unitati non nocebant, maiores factae sunt: Ecclesia latina putavit sororem suam Primatui Petri renuisse, dum Ecclesiae orientales suspicuerunt intentiones dominationis sub praetextu primatus servitii. Primatus enim Romani Pontificis, iam agnitus in oriente per traditionem antiquissimam ut vinculum unitatis, paulatim apparebat Ecclesiis orientalibus ut extensio cuiusdam Ecclesiae localis ad Ecclesiam universalem. Hoc est initium crisis quae ad separationem pervenit. [3] denique renuerunt uniformitatem? [4] aliam rationem. [5] Postea, quando mutatus fuerat modus exercitii Primatus Romani Pontificis, hierarchiae orientales frustra quaesiverunt in authentica traditione communi iustificationem religiosam huius mutationis. [6] Dialogus tunc factus fuisset necessarius, sicut facimus hodie in hac Sacra Synodo, circa naturam mysterii Ecclesiae, circa relationem internam primatus ac collegialitatis, et circa habitudines inter ius dioecesis localis Romae et ius primatus Romani Pontificis. Sed talis dialogus fieri non poterat, nec saec. XI nec in Concilio Florentino, quia rerum adiuncta, tum culturalia tum politica, non favebant. [7] deest. [8] Etenim illae duae traditiones authenticae ac apostolicae, distinctae quidem sed complementariae, sunt quasi duo dimidia patrimonii christiani ac simul unam sanctam traditionem Spiritus Sancti in Ecclesia constituunt, quae tota pollet promissione indefectibilitatis divinae usque ad consummationem saeculi. [9] non modo. [10] Maius schisma christianum vulneravit enim aequaliter utramque fractionem Ecclesiae: in occidente, perditum est membrum magis collegiale collegii episcoporum, centralizatio magis ac magis accelerata est, ac tandem divisiones saec. XVI evenire potuerunt. In oriente autem, perdita est communio cum fundamento visibili unitatis Ecclesiae,

quod est Petrus, disgregatio magis ac magis accelerata est, ac tandem inefficax evasit exercitium regulare collegialitatis episcoporum, quamvis ex altera parte, incolumes manserint ab uniformitate latina, quod est certe valde utile pro bono oecumenico omnium christianorum hodie. Hic dialogus in aequalitate, inter fractionem latinam et fractionem orientalem Ecclesiae, in nostris temporibus paulatim possibilis factus est. Immo necessarius est, in nostra societate quae unitatem suam quaerit per omnia genera coetuum internationalium ubi omnes nationes in aequalitate adsunt, sicut egregie notatur in relatione ab em.mo D. card. Cicognani prolata. Optatur nunc quod dialogum sequitur conatus decentralizationis ex parte Ecclesiae catholicae et iam ab hac sacra Synodo inceptus, simul ac centralizationis relativae ex parte Ecclesiarum orthodoxarum, ita ut collegialitatem traditionalem plene exerceant in communione successoris Petri. [11] deest. [12] hoc.

10

Rev.mus P. D. ATHANASIUS HAGE

Superior generalis Ord. Basiliani S. Ioannis B. Melchitarum

Em.mi, beat.mi ac rev.mi Patres, carissimi Fratres,

Cap. III ...[1] sectionem specialem pro orientalibus consecrando et in lucem earum conditionem peculiarem ponendo, optime fecit. Optime etiam de mente, historia, liturgia, traditione et disciplina eorum propria cum veneratione loquitur, commendando ut eximium hoc patrimonium a catholicis cognoscatur et accurate conservetur.

Attamen caput hoc in specie et schema in genere aliquid maximi momenti ad ...[2] unionem cum fratribus separatis assequendam omittit. Etenim inter efficaciora media quae conditio peculiaris orientalium ad hunc finem obtinendum requirit, mitigatio disciplinae communicationis in sacris omnino eminet et urget. Mirum est quod illa mitigatio, a plurimis antistitibus et operariis in orientalium plagis instanter sollicitata et in commissione orientali praeparatoria suffragata, nullum in schemate *de Oecumenismo* et specialiter in cap. III locum obtinet. Perutile immo necesse est ut aliqua paragraphus in prima sectione cap. III addatur in qua principium generale de mitiganda lege ecclesiastica in hac materia exponetur.

Ad hunc punctum illustrandum liceat mihi aliquas considerationes afferre:

I. *Consideratio historica.* Primis temporibus, ut documenta et Acta Sanctae Sedis ad prima exordia saec. XVIII testantur, catholicis, fidelibus et sacerdotibus ipsis ampla facultas cum acatholicis orientalibus in sacris communicandi data erat. Proinde missionarii et religiosi orientales catholici, annuentibus ipsis episcopis orthodoxis, in ecclesiis orthodo-

xorum litabant, praedicabant et sacramenta administrabant, ita ut populus spiritualiter renovatus sponte, *et generatim* [3] sine proselytismo ex parte catholicorum, ad unionem sese tradebant, et sic communitates orientales unitae sese efformabant et in dies crescebant.

Attamen ab anno 1729, datis violentis reactionibus, Sacra Congregatio de Propaganda Fide omnem communicationem in sacris cum orthodoxis prohibuit. Huic tamen rigidae legi aliquam temperantiam Sacra Congregatio Sancti Officii attulit annis praesertim 1864, 1898 et praesertim anno 1959 in favorem alumnorum acatholicorum qui scholas catholicas frequentabant. Quae temperantia demonstrat aliquas dispositiones disciplinae communicationis in sacris iuris esse ecclesiastici, quae secundum locorum et temporum condiciones mutari possunt et debent.

II. *Consideratio ecclesialis. a*) *Fideles* [4] orthodoxi, si aliqua pars excipitur, ab unitate catholica materialiter tantum separati sunt, non scil. quia illam separationem optaverunt aut illam nunc pertinaciter volunt, sed quia sic nati sunt et revera unionem ex toto corde desiderant.

b) Ceterum orthodoxi generatim quaestionem de Primatu et infallibilitate, de Immaculata Conceptione etc. numquam movent. Immo sicut quam plurimi catholici invincibiliter ...[5] naturam sive infallibilitatis sive Primatus sive Immaculatae Conceptionis omnino ignorant, et in aliquo sensu illa dogmata implicite admittunt.

c) Ex altera parte in ritibus precibusque Orthodoxorum nihil contra fidem catholicam invenitur. Proinde nihil timendum est pro catholicis qui in aliquibus circumstantiis ritibus orthodoxis adstare *tenentur*.[6]

III. *Consideratio theologica.* Regulariter non licet cum acatholicis in rebus sacris communicare. Huius prohibitionis ratio desumitur tum e lege naturali tum e lege ecclesiastica ...[7]

E iure divino naturali communicatio activa seu formalis, utpote adhaesionem falsae sententiae includens, per se illicita est. Communicatio autem passiva seu materialis quae non habet intentionem heterodoxam e lege ecclesiastica prohibetur ad praecavenda pericula perversionis vel scandali vel indifferentismi. Si illa pericula certe imminent, communicatio illa e lege ipsa naturali prohibetur. Attamen, cum effectus illi quandoque non ita imminent, Ecclesia potest ad magnum bonum assequendum permittere illam communicationem applicando principium theologicum duplicis effectus, scil.: « Licet, cum fine honesto, bonam aut indifferentem causam ponere, cuius duplex sit effectus, alter bonus, alter vero malus, dummodo bonum sequatur non mediante malo et adsit ratio proportionate gravis ». Vel etiam hoc in casu aliud princi-

pium applicari potest, nempe: « Inter duo mala minus eligendum est ». Etenim nonnullis in casibus communicatio in sacris minus malum esset quam denegatio eius *quae generatim rixas, dissensiones, animositates et fanatismum suscitant.*[8]

Ex altera parte, in communicatione materiali et praesertim passiva pericula supra memorata saepe et facile caveri possunt. Etenim:

1. Nullum fidei periculum timendum si quidem populus orthodoxus nullum errorem explicite et formaliter profitetur.

2. Nullum periculum scandali, siquidem catholici a longo tempore mixti cum acatholicis vivunt, et acatholici ecclesias *catholicas*[9] frequentare solent et sacramenta saepe saepius a sacerdotibus catholicis petunt, quin ex hoc modo agendi miratio aliqua habeatur. E contra rigorismus in hac materia indignationem apud catholicos movet et sive saluti animarum sive paci et unioni christianorum nocet.

3. Nullum periculum indifferentismi: hoc periculum immineret si communicatio in sacris totalis esset et inconditionata. Si tamen partialis esset et conditionata, nempe in aliquibus casibus et adhibitis cautelis necessariis, indifferentismi periculum facile removeri potest.

Denique prae oculis habendum est, quod consideratio scandali vel indifferentismi vel perversionis periculi in casibus nostris saepe imaginarii, cum positiva suprema ratio non sit, saluti animarum christianorum et bono Ecclesiae cedat oportet, quotiescumque vel ipsa salus animarum vel magnum bonum spirituale vel christianorum seiunctorum unio ad Ecclesiam id postulat.

IV. Denique *consideratio pastoralis.* Ecclesia condita est a Christo ad omnium hominum salutem procurandam. Proinde huius supremi officii conscia, Ecclesia non solum catholicis media salutis praebere tenetur sed etiam acatholicis, iis praesertim qui sacramento Baptismi filii eius manent et aliis sacramentis cum illa arcte coniunguntur, etiamsi extra eius saepta materialiter non formaliter vitam agant, ut sat clare innuit S. Basilius in Epistula ad Amphilochium ...[10], distinctionem statuendo inter illos qui aperte rebellant et illos qui simpliciter sunt separati, quos « adhuc ex Ecclesia exsistentes » affirmat.

Venerabiles Patres; In aliquibus regionibus orientalibus habemus factum, *proh dolor,*[11] sociologico-religiosum tragicum: clero orthodoxo deficiente, fideles *de die in diem*[12] dechristianizantur ...[13] sicut fit v. g. in Aegypto, ubi singulis annis plura millia *fidelium acatholicorum christianismo valedicunt et alienam religionem amplectuntur.*[14]

Quaeritur: nonne his in casibus oportet ut nostra de communicatione in sacris disciplina cedat, ita ut sacerdotes catholici, annuentibus hierarchis orthodoxis ...[15], clerum adiuvare orthodoxum vel illum sup-

plere possint *sive*[16] in praedicatione *sive*[17] in sacramentorum administratione, ut vita spiritualis in his regionibus suscitetur, roboretur et conservetur usque ad diem, gratia Dei adiuvante, unio perfecta christianorum orientalium *in Ecclesia*[18] adveniat?

Proinde erga orientales separatos, qui vix non omnes ...[19] in bona fide sunt, Ecclesia utatur oportet caritatis spiritu, eis peramanter porrigens illa omnia salutis media quibus ipsi egent ut *sunt*[20] Missae sacrificium, sacramenta praesertim poenitentiae et Eucharistiae, *praedicationes*[21] etc.

Conclusio. Optandum est igitur ut in hoc capite, in sectione prima de orientalibus tractante, aliqua paragraphus addatur in qua Concilium principium generale statueret de lege ecclesiastica communicationis in sacris mitiganda pro orientalibus, praesertim in casibus ab hierarchis locorum probatis, ut v. g. de admissione orthodoxorum ad sacramenta, de liceitate assistentiae catholicorum in aliquibus circumstantiis ad ritus orthodoxorum, de validitate matrimoniorum mixtorum coram sacerdotibus orthodoxis initorum, *etc. ...,*[22] et *hoc*[23] ad magnam Dei gloriam et animarum salutem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] schematis. [2] reconciliationem et. [3] deest. [4] populi. [5] et inculpabiliter. [6] coguntur. [7] (can. 1258). [8] deest. [9] deest. [10] can. I: *PG* 32, 668 A. [11] deest. [12] orthodoxi in dies. [13] et proh dolor! vel ad protestantismum aut ad alias sectas convolant vel islamismum amplectantur. [14] orientalium seiunctorum ad religionem musulmanam transeunt. [15] approbantibusque hierarchis catholicis respectivis. [16] deest. [17] et. [18] cum Ecclesia catholica. [19] (agitur de populo, non de hierarchis). [20] deest. [21] praedicationem. [22] deest. [23] haec.

11

EXC.MUS P. D. ALEXANDER SCANDAR
Episcopus Lycopolitanus

Venerabiles Fratres,

In hoc capite ubi sermo est de Ecclesiis orientalibus et de fovenda unione cum illis, media indicantur quae multum iuvant ad colloquium instituendum oecumenicum.

Vellem magis insistere in his, quae in n. 15 praesertim exponuntur circa orientalium liturgica et spirituali traditione. Optima sunt quae dicuntur sed sunt plane aliena a praxi actuali permultarum Ecclesiarum unitarum, quae saepe veram figuram Ecclesiae catholicae non reprae-

sentant eo quod paulo vel minus curant usus, liturgiam seu ritum proprium et traditiones proprias Ecclesiae.

Notandum est populum fidelem non habere scientiam theologorum et doctorum, sed fidem suam exprimit et corroborat mediantibus usibus et per vitam liturgicam, quae veritates theologicas exprimit et illustrat modo magis apto et accommodato captui et menti suae.

Sed Ecclesiae uniatorum sub influxu missionariorum latinorum qui magno cum zelo et labore apud nos praeclarum exemplum caritatis et abnegationis exhibuerunt, attamen traditiones et liturgias orientalium in honorem non habuerunt, proinde clerus ab ipsis formatus historiam, liturgiam, disciplinam propriam non curat. In seminariis enim nullus vel fere nullus habetur aspectus ad disciplinas orientales, ad theologiam orientalem, ad liturgiam orientalem, sed programmata ita disponuntur quasi non essent orientales. Vita liturgica in seminariis tam abest, ut festa proprii ritus *non* [1] celebrantur nec, quod pessimum est, agnoscantur. *Sunt* [2] qui missam in ritu eorum inservire ignorant *etiam* [3] in vigilia ordinationis sacerdotalis ...[4]

Ecclesiae catholicae orientales persaepe aedificantur in forma et stylo latinorum; altaria, decorationes etc., etc., nil habent orientale. Caeremoniae et devotiones latinorum in honore sunt, dum ritus proprius eiusque proprietates ignorant; *e. g. preces ad festum Nativitatis Christi, in honorem B. Mariae Virginis, non celebrant aut sciunt; nihil de hoc. Nihil de officio incensi.*[5] *Legem* [6] abstinentiae et ieiunii, *quae in ritu est,*[7] non observant, et sic fratres acatholicos scandalizant *et ab Ecclesia removent.*[8]

Propono ergo, ut *schemati* [9] aliquid addatur:

1. Circa praeparationem futurorum pastorum in seminariis praesertim orientalibus: programmata melius aptentur.

2. Ut suprema auctoritas in unaquaque Ecclesia orientali invigilet ad conservationem proprii ritus et ad exstirpanda elementa extranea.

3. Ut eadem auctoritas det normas practicas circa studia magis apta in seminariis et circa celebrationes liturgicas, ita ut vita liturgica in seminariis sit vere exemplaris pro fratribus non catholicis.

4. Cantus liturgicus servare debent magna cum vigilantia.

5. Leges abstinentiae et ieiunii observant etiam si difficultates exsistant. Sic nihil mutetur in his observantiis. « *Les Orientaux n'aiment pas la mode* ».[10]

Hoc modo et his mediis colloquium oecumenicum fructum affert, quando fratres nostri apud nos inveniunt responsum omnibus suis aspirationibus, et nos non erimus extranei pro ipsis, sed omnes fratres sunt in domo paterna.

« *Domine Deus, Amator generis humani, misericordiam tuam imploramus ut Ecclesia nostra in Aegypto, quae sub sanguine discipuli tui Marci et martyrum fundata est, lumine servorum tuorum Athanasii, Cyrilli fulget et vita monastica praeclara Antonii, Pauli et Pachomii elucescit, ad unitatem redeat, ut sanctitas prima in ea fulgeat. Nos cum fiducia te supplicamus pro una et unica catholica, apostolica Ecclesia, ut omnia membra in oriente sese congruant et in unitate vivant. Exaudi nos pro gloria nominis tui et salute animarum. A Te, Domine, humiliter petimus vitam patrum nostrorum: da nobis, ut in unitatem te proclamemus cum gaudio et amore. Christus vincit, Christus regnat* ».

In textu scripto tradito: [1] nec. [2] sicut. [3] attamen. [4] sunt. [5] deest. [6] Lex. [7] deest. [8] Hic modus agendi non fovet nec promovet unionem sed magis repugnat et creat difficultates. [9] in schemate. [10] deest.

Moderator: Loquetur nunc exc.mus secretarius et dabit quasdam communicationes.

Secretarius generalis: Ultima communicatio pro hac die: Dominica proxima, die 1 decembris, habebitur Beatificatio venerabilis Servi Dei Nuntii Sulpritii, iuvenis operarii. Mane fiet beatificatio et vespere Summus Pontifex accedet ad Basilicam veneraturus novum Beatum.

Moderator: Proxima congregatio erit feria secunda proxima, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXIX
2 decembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXXIX

2 decembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Audiant Patres venerabiles! Sancta Missa de Spiritu Sancto hodie celebrabitur ab exc.mo D. Petro Ngo-Dinh-Thuc, arch. Huéensi. Hic Missam offeret in suffragium suorum duorum fratrum qui tragice perierunt, quorum alter erat praeses Reipublicae Vietnamensis. Hodie recurrit dies trigesima mortis. Luctum exc.mi Patris et confratris religiose participemus atque preces offeramus.

[*Missae celebratio*].

Faveant audire Patres! Hodie erit ultima congregatio generalis huius secundae periodi Sacrosancti Concilii.

Crastina, habebitur solemnis celebratio IV centenarii Sacrosanctae Tridentinae Synodi, coram Summo Pontifice. Post celebrationem huius centenarii — in qua, post Missam celebratam ab em.mo D. cardinali a Publicis Ecclesiae Negotiis, habebitur commemoratio facta ab em.mo card. Ioanne Urbani, patr. Venetiarum — post hanc caeremoniam, ut dixi, communicabitur Patribus peculiare documentum Ss.mi D. Nostri Pauli, Divina Providentia Papae VI, in quo statuuntur peculiares facultates quae episcopis residentialibus et titularibus conceduntur. Documentum, quod refert diem 30 novembris, in festo S. Andreae, incipit his verbis *Pastorale munus*.

Patribus venerabilibus nunc communico quae facienda erunt in hac — ut dicitur — « intersessione »: commissiones, quae novis membris ditatae sunt et aliis quoque a Summo Pontifice ditabuntur, valde adlaborabunt, frequentibus sessionibus, ad studendum omnibus animadversionibus quae factae sunt a Patribus circa materias discussas in hac periodo. Patres qui volunt, possunt novas quoque animadversiones, tamen non ultra diem 31 ianuarii anni proximi, ad secretariam mittere, ita ut, incipiente nova periodo, habeantur novi textus cum emendationibus et ita ad finem, si Deus favebit, perducatur studium et investigatio.

Quoad alia argumenta, quae statuta erant in indice quem vos, Patres venerabiles, bene nostis, commissiones adlaborabunt ut tantum quaedam puncta, quae sint centrum et lumen totius quaestionis, ante oculos ponant, simul tamen exhibitis Patribus omnibus animadversionibus quae

sunt a Patribus factae. Etiam quoad haec alia schemata, quae scil. non sunt discussa in hac sessione, Patres, licet iam miserint suas animadversiones, possunt alias quoque mittere intra praedictum terminum.

Fructus huius laboris communicabitur Patribus tempore opportuno, cum instructionibus quae pertinent ad tertiam periodum Concilii. Labor ingens nos et commissiones exspectat, et Deus faveat ac B.ma Virgo Maria!

Moderabitur hanc congregationem generalem, septuagesimam nonam, in discussione cap. III schematis *de Oecumenismo,* em.mus ac rev.mus D. Petrus Gregorius Agagianian.

Durante hac congregatione, distribuetur Patribus imprimis pretiosus fasciculus qui continet epistolas scriptas durante prima periodo Concilii ab em.mo card. Ioanne Montini, nunc Papa Paulo VI. Eius titulus est: *Roma e il Concilio. Lettere dal Concilio.*

Pariter distribuetur fasciculus qui continet decretum *de instrumentis communicationis socialis,* de quo agetur in sessione publica diei 4 decembris proximi; et demum relatio quam, in conventu em.morum cardd. consilii praesidentiae, commissionis de negotiis Concilii coordinandis et moderatorum coram Ss.mo D. Nostro Paulo Papa VI in aedibus Vaticanis habito die 15 novembris 1963, legit em.mus card. Iacobus Lercaro, moderator. In ea describuntur labores illuc usque peracti.

Nunc audiant attente Patres! Feria sexta elapsa, distributum est Patribus schema aliquod nuntii mittendi ad universos catholicae Ecclesiae sacerdotes, et rogati sunt Patres ut suas animadversiones mitterent. Animadversiones plurimae fuerunt, et pervenerunt usque ad tardas horas sabbati et etiam heri die dominica. Secretaria generalis fecit quod potuit coram tam ingenti numero animadversionum, nempe commisit aliquibus peritis ut factas iam animadversiones attente examinarent. Fructus peractus die dominica — ita sanctificatus est dies! — ad haec contulit, quod factae sint ex animadversionibus missis tempore opportuno plus quam sexaginta emendationes ex quibus quaedam gravis quidem ponderis. Quibus visis, cum tempus prolongari nequeat, em.mi cardd. moderatores decreverunt rem esse profundius perpendendam et textum nuntii revera meliorem faciendum. Quapropter, ne displiceat vobis, venerabiles Patres, si transmissio nuntii ad aliud tempus remittatur, postquam nempe omnes animadversiones rite perpensae fuerint.

Tandem lego nomina eorum qui in hac ultima congregatione generali verbum facere petierunt: em.mus ac rev.mus D. card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; exc.mi DD. Ernestus Green, ep. Portus Elizabeth in Africa Orientali, Thomas Muldoon, ep. aux. Syd-

neyensis in Australia, Gregorius Thangalathil, arch. Trivandrensis in India, Victorius Maria Costantini, ep. Suessanus in Italia, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada, Franciscus Tomášek, ep. tit. Butiensis in Cecoslovachia, Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis in Iugoslavia, Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum, Christophorus Butler, sup. gen. Congr. Angliae O.S.B., Benedictus Printesis, arch. Athenarum in Graecia, Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum in Libano, Leo D'Mello, ep. Ajmer-Jaipurensis in India, Andreas Roborecki, ep. Saskatoonensis Ucrainorum.

1

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Doleo quia interdum vobis videor inquietus; cum, Deo favente, magna mentis et cordis tranquillitate gaudeam; huius speciei causa forsan provenit ex sermonis genere veteris magistri Sacrae Scripturae, quo inconsiderate et sine ulla industria ...[1] utor: velitis hoc mihi amabiliter ignoscere.

Momentum maximum Oecumenismi, vere catholici, eluxit quoque ex plurimis interventibus, qui de ipso egerunt. Manifestum est Oecumenismum, qua apostolatum ad fratres christianos seiunctos nobiscum coniungendos, respondere non solum flagranti desiderio Regnum Christi, secundum Dei voluntatem, extendendi, sed etiam hodiernae necessitati, quam Patres conciliares omnes in suis animis alte sentiunt.

Antequam vero haec producta et utilissima disceptatio de cap. III schematis claudatur, veneratissimi Patres, — vobis, ut spero, consentientibus — nonnulla existimo declaranda esse, quae quodammodo impediant quominus dilectissimi sacerdotes nostri et fideles, diariorum et ephemeridum commentariis insufficienter vel etiam perperam edocti, aut difficultatibus implicentur aut dubitationibus de rebus gravissimis, quae in Concilio pertractatae sunt, conturbentur.

1. Omnes pro certo habemus Iesum Christum unam condidisse Ecclesiam et hanc esse Ecclesiam catholicam apostolicam romanam; cuius fundamentum et caput, a Christo Domino constitutum, est Summus Pontifex. Ecclesia est infallibilis et indefectibilis, quamquam in ea, quae natura sua ipsa hisce in terris mutabilia sunt, pro tempore mutentur.

2. Si quae culpae in Ecclesia catholica apostolica romana fratribus multis, tum in oriente cum in occidente, ansam praebuerunt ad Sedem Apostolicam Romanam deserendam, illae imputari nequeunt ipsi Ecclesiae Romanae, sed aliquot Ecclesiae *Romanae* [2] filiis qui, doctrinam Ecclesiae non observantes vel male interpretantes, eiusdem monitionibus non obtemperarunt.

Ignorari alioquin non potest simul cum his paucis, velut in agro Domini zizania, numquam in Ecclesia catholica romana uberrimum triticum defuisse, nempe innumeros homines (viros et mulieres) sanctitate conspicuos, qui miris humilitatis et caritatis exemplis ubique fulserunt.

3. Ceterum si Ecclesiae romanae filii, haud multi sane, qui dissolutis moribus aut inconsulta agendi ratione plures fratres offenderunt, reprobandi sunt — et pro illis libenter veniam petimus precamurque — omnino innocentes censeri non licet eos qui, ob fratrum culpas, matrem Ecclesiam non sunt, aucta suorum morum probitate, consolati, sed misere dereliquerunt.

4. Nos, in unum congregati, vehementer exoptamus ut fratres, heu! adhuc a nobis seiunctos — quos oblivisci non possumus — Ecclesiam Apostolicam Romanam, cui addictissimi per plura saecula parentes eorum fuerunt, iterum amplectantur: vera Ecclesia Christi, pia ac clemens omnium Mater, eos cotidie anxie expectat.

5. Quae auspicatissima omnium, qui in Christum credunt, unio ut eveniat, valde probanda ac laudanda censeo cum fratribus seiunctis, sive Ecclesiarum orientalium sive communitatum christianorum quae inde a saec. XVI exortae dicuntur, definita colloquia vel peculiares dialogi, in quibus insint comitas multa et summa benevolentia.

Haec tamen colloquia vel dialogi, ut ad aptatum finem perducant, necesse est, ut pluries in aula audivimus, sapienter prudenterque instruantur secundum normas a Sancta Sede statutas, atque, peculiari Directorio, quod ipsa Sancta Sedes probaverit, diligenter servato, magnis cum precibus et salutaribus poenitentiis fidenter peragantur.

Venerabiles Patres, iam nunc instanter, instantius, instantissime misericordiarum Patrem — per B.mam Virginem Mariam, Dei Genitricem et omnium hominum, praesertim christianorum, Matrem — simul deprecemur ut quam primum dies felicissimus oriatur, in quo cuncti, qui de Christi nomine gloriantur, veniant ab oriente et ab occidente, unum ovile sub Romano Pontifice, Christi Vicario, uno Supremo Pastore, tandem nobiscum effecturi, eandem profitentes fidem in vinculo caritatis et pacis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] etiam nunc. [2] deest.

2

EXC.MUS P. D. ERNESTUS ARTURUS GREEN
Episcopus Portus Elizabethensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Dioecesis mea est Port-Elizabeth in Africa Meridionali, non in Africa Orientali.

Loquor ad partem secundam « de communitatibus inde a saec. XVI exortis ».[1]

Unam ex magnis difficultatibus[2] quibus dialogus cum fratribus separatis plectitur est quaestio de ordinationibus, saltem quando cum Anglicanis dialogum instituere *desideramus.*[3] Iam em.mus card. Bea proposuit formationem secretariatuum regionalium ad dialogum in unaquaque regione instituendum; et etiam exc.mus arch. *Ioannes Heenan*[4] dialogum inter communitates *qua tales*[5] propugnavit. Iamvero, in quavis communitate ecclesiastica, *vel religiosa,*[6] persona quae eminet, quacum *ergo*[7] dialogus per prius est instituendus, ille sane est qui communitati simul praeest et sacros ritus administrat. Quo fit ut statim ab initio, instituto dialogo per regiones vel inter communitates, ad problema de ordinationibus anglicanis nos attendamus oportet. Hoc enim unum problema maximum dialogi obstaculum constituit, nec ipsi fratres separati *ministri*[8] volunt ut nos illud effugamus vel taceamus *in Concilio, vel in schemate nostro.*[9]

Revera istud grave problema duplicem habet aspectum. *Nec unus vel alius*[10] aspectus solutionem habere potest in dialogo sic dicto regionali vel inter communitates, sed tantum in dialogo vere oecumenico, i. e. inter Ecclesiam *catholicam*[11] qua talem et Ecclesiam Anglicanam qua talem. Non enim est in potestate unius aliusve episcopi aut conferentiae episcopalis solutionem aequam, iustam, ac fidei catholicae et christianae caritati plene concordem, invenire. Quod patet consideranti duplicem problematis aspectum.

Primus est aspectus ipsius validitatis ordinationum anglicanarum. Dici poterit hoc problema, ad Ecclesiam romanam quod spectat, iam suam definitivam obtinuisse solutionem, negantem scil. *validitatem,*[12] ex Litteris *Apostolicae curae* ...[13]. Attamen ...[14] nova situatio oecumenismi hodierni *consideranda est,*[15] in qua dialogus nunc fieri potest sicut nunquam antea, ab Ecclesia ad Ecclesiam; in qua viri docti, *sinceri, sancti et periti,*[16] sive ex Ecclesia *nostra*[17] sive ex Anglicana, facile convenire possunt ad istam rem penitus excutiendam ...[18]

Secundus aspectus problematis est magis practicus, magis ut ita dicam ad vitam spectans cotidianam, et ideo saepe *saepius*[19] magis dolorosus. Quid a nobis *episcopis*[20] dicendum est iis qui, in Ecclesia Anglicana ordinati et matrimonio iuncti, *quando*[21] in Ecclesiam romanam, *Ecclesiam nostram,*[22] ingredi cupiunt? Sacerdotium suum minime abnuere volunt. Intime persuadentur se divinam habere vocationem ad sacerdotium; immo nec reordinari recusant *in Ecclesia nostra.*[23] At caelibatum *autem*[24] servare non possunt, immo, *ni fallor,*[25] nec debent, cum obligationibus erga mulierem et liberos, ex sacramento matrimonii validi contractis, obstringantur. In istis tam dolorosis rerum adiunctis, queruntur *viri isti ministri cur*[26] se non posse ad sacerdotii munera accedere propter legem mere ecclesiasticam, dum se sentiant a Deo ad ista munera obeunda vocari. Quid igitur faciendum? Nonne Concilii est solutionem ...[27] aequam quaerere et proponere? *vel saltem — saltem — hac de re ad unionem christianam fovendam loqui*[28]*?*

Unde quaeso, venerabiles Patres, hoc problema ...[29] sine timore, immo cum quadam christiana audacia, consideremus *in schemate.*[30] Omnes, nos et fratres nostri *carissimi separati ministri,*[31] bene scimus solutionem problematis facilem non esse. Eam nihilominus in caritate *et claritate,*[32] quantum in nobis est, ...[33] quaeramus; quod si faciamus, inveniemus, adiuvante Domino qui promisit: « quaerite, et invenietis », *et etiam oravit « ut omnes unum sint »*.[34] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Unum ex maximis problematibus. [3] volumus. [4] Westmonasteriensis. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] aut, falso irenismo ducti, ad ulteriorem discussionem remittamus. [10] Neuter autem. [11] romanam. [12] deest. [13] Leonis Papae XIII. [14] duo nova nunc consideranda sunt: primo. [15] deest. [16] deest. [17] romana. [18] secundo, ut videtur, nova facta historica et theologica haud negligenda, quae, si verificentur, novum lumen toti quaestioni ingerere valebunt, et quae ideo serio indaganda sunt. Nec dicatur internum assensum quo nos catholici erga Apostolicae Sedis decisiones astringimur, obstare quominus iterum hoc problema aggrediamur. Huiusmodi assensus, licet internus, non est irrevocabilis; nec decisio cui assensus praebetur, examen novorum factorum praecludere intendit, si haec detegantur; cum nullatenus Apostolicae Sedis decisio portam vero scientiae historicae et theologicae progressui claudere voluerit. [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] deest. [25] deest. [26] tales viri. [27] vere. [28] deest. [29] honeste et. [30] deest. [31] separati. [32] sed etiam. [33] « in iustitia et sanctitate veritatis ». [34] pulsate et aperietur vobis.

3

Exc.mus P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON
Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Venerabiles Patres,

Obsecro vos ut oculos convertatis ad pag. 23, linn. 14 ss., ubi habetur paragraphus quae sic legitur: « *Ante omnia* hae communitates transcendentiam revelationis Dei in Christo, quam homo tantum ex gratia Dei participare potest, extollere intendebant, hoc tamen principium *eo usque prementes, ut ad negationem mediationis essentialis Ecclesiae perventum sit* ».

Haec paragraphus, uti patet, genesim et exitum doctrinalem communitatum protestantium tam paucis verbis detegere praesumit; iudicium fert de re valde complicata.

Quid vultis, venerabiles Patres, pacem an bellum? Si pacem vultis, deleatur paragraphus; si vero bellum vultis, maneat paragraphus. Et explico. Ex una parte, analysis et iudicium in ista paragrapho prolata non valent de omnibus et singulis communitatibus protestantibus. E. g. Ecclesia Anglicana Ecclesiam catholicam statim increparet quod, re leviter considerata, tale iudicium superficiale proferre ausa sit. Et quidem iure meritoque, nam quae dicuntur in ista paragrapho non concordant neque cum 39 Articulis Ecclesiae Anglicanae, neque cum doctrina theologorum anglicanorum qui hodierna die de necessitate Ecclesiae ad salutem multa scribunt. *Cautissime* [1] igitur procedendum est.

Ex altera parte, considerate, quaeso, istas communitates protestantes de quibus analysis et iudicium praedicta vere valent. Meo iudicio, *non expedit* ut haec dicantur in aliquo decreto conciliari. Quidquid enim in contrarium dictum sit in hac aula, sive ab iis qui aliqualem tantum experientiam in hac re habent, sive ab iis qui aliquem Protestantem vix unquam viderunt, nos ipsos plane decipimus si cogitemus omnes Protestantes esse homines bonae voluntatis. Audiatis nos qui totam nostram vitam inter Protestantes agimus. Uti ex nostra amarissima experientia fere quotidiana bene scimus, permulti tanquam aquilae semper circumvolitant, parati ad apprehendendum quidquid contra Ecclesiam torquere possunt.

Porro, paragraphus citata sine ullo dubio magnis controversiis publicis ansam praebebit. Multi enim, sensum verborum detorquentes, et voce allata et in ephemeridibus Ecclesiam *catholicam* [2] criminabuntur quod coram toto mundo ipsum cor, *ipsum* [3] spiritum genuinum Prote-

stantismi perverse interpretata sit. Et sic novissima erunt peiora prioribus.

Praeterea, paragraphus citata nihil ad finem nostrum confert. Si igitur, *venerabiles Patres,*[4] pacem vultis, de medio tollatur *ista paragraphus.*[5]

Hanc occasionem libenter excipio ut aliam rem, multoties in hac aula agitatam — etiam relate ad hoc cap. III — breviter tangam.

Aliqui Patres dictitant nos omnes orbis catholici episcopos debere in genu procumbere, ut publice confiteamur peccata nostra et peccata patrum nostrorum, atque veniam ab omnibus acatholicis humiliter petamus. Non tantum, sed perperam citant verba Summi Pontificis, feliciter regnantis, nuperrime prolata. Verba Pontificis enim haec sunt: « Ab ipsis Fratribus veniam petimus, si — *si* — iniuriam a nobis se accepisse *putent* ». Nonne satis est *hoc*[6]?

Salva reverentia erga istos Patres qui cum tanta animi commotione locuti sunt, velim dicere quod animum valde taedet huiusmodi exaggeratae importunitatis. Propterea, hoc consilium istis Patribus, qui onus delicti tam acute sentiunt, dare audeo: ite ad aliquem bonum confessarium, sed parcite nobis! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] caute. [2] deest. [3] et. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

4

EXC.MUS P. D. GREGORIUS B. VARGHESE THANGALATHIL
Archiepiscopus Trivandrensis Syrorum Malankarensium

Venerabiles Patres,

Perpulchra dicit schema de patrimonio Ecclesiarum orientalium, de patrimonio quod est proprium non tantum in Liturgia et disciplina, sed etiam in mente, historia et in vita spirituali. Dicit insuper schema principium hoc diversitatis esse omnino servandum. Immo asserit quod ad reconciliationem christianorum perficiendam maxime interest eximium hoc patrimonium cognoscere, venerari, conservare, fovere.

His omnibus libentissime assentio. Duo tamen animadverto:

1. In Providentia divina, Oecumenismus hodie est tanti valoris pro populo christiano ut non debeamus aedificare eum super figmenta vel desideria, sed super solidum fundamentum veritatis. Quidam venerabilis Pater in hac aula dixit quod fratres nostri seiuncti et illi soli conservant patrimonium orientis christiani integrum. Mihi autem videtur

hic fieri transitum aliquantulum illegitimum de statu theoretico ad statum realem. Vere, omnes nos nihil optamus magis quam ut fratres seiuncti *nostri* [1] vivant secundum eximium hoc patrimonium.

Is qui nunc loquitur est natus et educatus in orthodoxia et adhuc plures habet parentes in orthodoxia quam in Ecclesia catholica. Omni cum humilitate et caritate dicere audeo, quod Ecclesiae orientales hoc patrimonio plene frui possunt, tantum in unitate quam voluit Christus et cuius principium visibile est Apostolica Sedes. Haec unitas cum Sede Apostolica non est quid mere utile vel aliquod ornamentum sed conditio omnino necessaria vitae *christianae* [2] normalis et progressus. Quanto longius abest aliqua communitas christiana a principio hoc unitatis, eo debilior est vita eius religiosa.

Ut de propria Ecclesia loquar, Ecclesia orthodoxa in India separata fuit a Sede Apostolica tria ante saecula. Per totum hoc tempus tristissimas habuerunt experientias maiores nostri, in vita religiosa, et continuo fiebat inter eos conatus ad communionem restaurandam cum Sede Romana et hoc quidem non per aliquem influxum externum vel sic dictum proselytismum, sed sponte sua et praesertim ad vitanda mala a separatione provenientia. Huius rei documenta plurima exstant hic in Urbe in archivo Vaticano. Motus hodiernus reunionis qui, Dei gratia, successum habuit, saltem inchoatum fuit ab hierarchia orthodoxa, *cuius actor fuit arch. Mar Ivanios.*[3] Etiam nunc, propter eadem motiva ut supra, plura millia fratrum seiunctorum quotannis revertunt ad unitatem Ecclesiae et humiliter dicere non dubito quod per vitam authentice christianam Ecclesiae Malankarensis et per praesentiam eius inter fratres seiunctos, eorum status religiosus saltem per aemulationem in melius mutatus est. Inde, cum loquimur de thesauris spiritualibus communitatum seiunctarum, ne obliviscamur oportet actualis status rerum, ne Oecumenismum aedificemus super arenam et ne iteremus exitum Concilii Florentini.

2. ...[4] Officium Ecclesiae catholicae est ut omni diligentia laboraret ad restaurandam unitatem inter christianos. Huic rei studens, schema in n. 16 dicit quod observantia principii diversitatis est conditio praevia et omnino requisita. Diversitas haec revera est secundum voluntatem Dei et est de ipsa natura Ecclesiae catholicae.

Quidam volunt uniformitatem ex eo quod propter diversitatem oriuntur quaedam difficultates. Respondendum est quod ubi est vita, ibi problemata naturaliter oriuntur. Haec problemata non per impositionem unius eiusdemque mentis vel disciplinae, sed alio modo solvi debent.

Admittit schema quod hoc principium non semper fuisse servatum. Sed dicendum mihi videtur quod hoc principium neque hodie bene ser-

vatur. Hoc principium primo servari debet erga domesticos fidei, *scil.*[5] erga catholicos orientales, et praesertim in regionibus orientalibus. Quoad Indiam, communitates orientales quae originem ducunt a tempore apostolico diversimode restringuntur, quin servitium suum proprium *bene*[6] exerceant in Ecclesia. Experiuntur ipsae multas angustias, praesertim quoad exercitium apostolatus. In India ubi minus quam duo per centum sunt catholici inter sextam partem totius humanitatis, et ubi apud orientales, Dei gratia, multi sunt operarii apostolici, parum possunt ipsi facere in actuali statu rerum in praedicando Evangelium. Ex eo fit etiam quod orientales seiuncti qui in tota India vivunt suam propriam vitam ecclesialem fidemque propagant, manifeste timent quod sua iura legitima in Ecclesia catholica tueri non posse.

Meo autem humili iudicio, venerabiles Patres, ad genuinum spiritum Oecumenismi spectat, omni privata praeoccupatione seposita, exquirere an insigne patrimonium orientis de quo hic loquimur, non sit magis congruens ingenio populi in oriente, qui nondum Evangelium recepit. Veritas sit nobis magis amica quam traditio qualiscumque particularis quamvis nobilis, quamvis venerabilis. Sic forsan sperare possumus quod Oecumenismus aliquando fiet revera praeparatio evangelica totius *orientis et*[7] mundi.

Inde sic concludo: Illud, quod schema dicit de cognoscendo, venerando, conservando, fovendo eximio patrimonio orientalium, non tantum remaneat verbis sed in praxim deducatur omni cum sinceritate et diligentia.

Quoad momentum cooperationis in campo sociali cum fratribus nostris seiunctis, adhaereo eis quae dicta sunt ab em.mo card. Gracias. Certissimum tamen est quod si non observatur principium hic stabilitum de diversitate, haec cooperatio erit inefficax ad unitatem fovendam christianorum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] Ut non dicam de aliis rationibus maximi momenti, etiam ut restituatur fratribus nostris seiunctis vita plene christiana et ordinata. [5] deest. [6] deest. [7] deest.

5

Exc.mus P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Em.mi Moderatores, venerabiles Fratres, dilectissimi Observatores et Auditores,

1. *Quaedam observationes*[1] quoad n. 12 *schematis de Oecumenismo.*[2] Optime quidem peculiarem considerationem schema nostrum habet de Ecclesiis separatis orientalibus. Nam tales Ecclesiae revera quandam etiam visibilem coniunctionem cum Ecclesia catholica servant quatenus rite sacramenta adhibent a Christo Domino instituta; hierarchiam Ordinis valide retinent, liturgicum cultum erga SS.mum Sacramentum, B.mam Virginem, Sanctos et Imagines et Reliquias adhuc habent. Maiora sunt quae in communi cum Ecclesia servaverunt, quam quae amiserunt; ideo, accedente bona voluntate, non difficile erit unitatem componere.

2. Attamen minime placent quae asseruntur in eodem n. 12, linn. 7-11. Non expedit paucis verbis implexam quaestionem historicam tangere, sed magis expedit seponere ...[3]

3. Insuper ob sanctum et laudabilem fervorem ad unitatem restituendam adlaborandi caveamus ne deprimatur vel doctrina, vel etiam merita Ecclesiae catholicae, velut si separationis causa ab ipsa quam maxime derivanda sit. Hoc enim et anti-dogmaticum, et anti-historicum et anti-oecumenicum et anti-pastorale est.

a) *Anti-dogmaticum.* Nam defectus membrorum quorumdam (nam semper cavendum oportet a sophismate generalizandi) nec ab oboedientia eximunt, nec legitimitatem alicuius institutionis adimunt, nec ad divinam Ecclesiae constitutionem spernendam, ius valent constituere. Quapropter, *obiective,* qui anteactis saeculis causa fuerunt separationis, numquam probari vel iustificari possunt, ut optime dixit *nuper*[4] em.mus card. Ruffini.

b) Item *anti-historicum* est. Etenim tempore quo divisiones factae sunt, certe non omnes sancti erant, *sed*[5] neque omnes daemones. Christus Dominus, nullo tempore, Ecclesiam suam sine sanctitate etiam heroica aliquorum membrorum reliquit. Proinde defectus nostros (hominum scil. qui in Ecclesia Dei sumus), recognoscere, confiteri ultro debemus, sinceritate et humilitate, *sed etiam veritate.* Cum vero et alios saltem aequales, si non maiores defectus habuisse compertum est, ideo bonum est id ipsi quoque recognoscant et *simul* misericordiam Dei de-

precemur, ob mala quae ex his communibus defectibus Ecclesiae obvenerunt dum et evangelicum nuntium obscuraverunt.

Attamen Ecclesiam semper extollamus quae peccatis membrorum, calamitatibus dissidentium, persecutionibus inimicorum, multimode oppressa, e. g. ipso *tempore reformationis,* tot sanctos et tam multas institutiones evangelicas protulit, quales forsan nec anteactis temporibus prodierunt. Sufficit inter tantos quaedam nomina revocare sanctorum saec. XVI: S. Ignatius ...[6], S. Theresia ...[7], S. Caietanus a Thiene, S. Petrus de Alcantara, S. Hieronymus Aemiliani, S. Ioannes de Deo, S. Ioannes a Cruce, S. Philippus Neri ...[8], etc., etc., etc., *quia sunt multi non legam omnes.*[9]

c) *Anti-oecumenicum*: nimis in luce ponere partes negativas, loco clarificandi bona omnia et doctrinae puritatem, conformitatemque cum authentico Evangelii nuntio, non favet oecumenicitati, sed novas potest polemicas excitare quae valde damnosae sunt in climate oecumenico.

d) *Anti-pastorale.* Nam si bene non distinguuntur vitia et peccata aliquorum membrorum, sed generalizatio fit, ita ut dicatur et nostram Ecclesiam culpam habuisse, tunc magna in christianorum parte, qui nec possibilitatem nec facilitatem habent res profundius investigandi, persuasio invalesceret quod vera non erant quae prius docebantur de schismatibus et haeresibus, ita ut magna perturbatio apud multos gigneretur ...[10]

4. *Quoad n. 15,* in pag. 21. Fratres orientales separati etiam ne morentur in recordatione difficultatum et incomprehensionum quae anteactis temporibus adfuerunt. Hodie, nostris defectibus non obstantibus, Spiritus Sancti gratia, lux nova, immo veluti nova Pentecoste, ut aiebat Papa Ioannes XXIII, *felicis recordationis,*[11] facta est in Ecclesia et inter christianos et, sine dubio, lux ista succrescit mediante Concilio Oecumenico ...[12]

5. *Media ad unionem* cum fratribus orientalibus inter multa iam proposita haec esse possunt:

a) Fratres orientales adiuvent communem laborem ad unitatem assequendam divulgando et illustrando doctrinam quam et ipsi communem habent cum Ecclesia catholica.

b) Commissio vel *Institutum* quoddam excitetur ad rerum orientalium divulgationem et ad eorum divitias doctrinales manifestandas.

c) Item vicissim *apparentur libri divulgationis theologiae Romanae Ecclesiae,* in linguis orientalibus. Habeantur symposia et coetus etiam inter laicos excultos ut religiosa problemata, una simul cum orientalibus examinentur et ad progressum totius humanitatis communi studio media inveniantur.

d) Pariter *curetur editio librorum liturgicorum* orientalium vel in linguis vernaculis translatorum, vel saltem in lingua latina, ita ut facile sit apud fideles ritus latini rituum orientalium notionem communicare ...[13]

7. *Ad n. 19.* Quae in n. 19 dicuntur expedit ut e textu expungantur, quia spinosam quaestionem ingrediuntur quae *disputationis*[14] causa esse potest et nihil prodesset ad viam unitatis sternendam.

Si volumus unitatem et proficuum *dialogum oecumenicum* instituere oportet ut initium sumamus a rerum actuali conditione, *consulto* excludendo quamlibet considerationem factorum praeteritorum.

Nec volumus nos excusare omnino, nec alios condemnare, nam nihil prodest scire si culpa fuerit ex una vel ex altera parte.

Dicamus sincere: omnes plus vel minus erravimus nos (non Ecclesia, quae, Spiritu Sancto duce, errare nequit); veniam ideo *vicissim* donemus. At *tristem realitatem consideramus,* amore Christi moti: vestis Christi scissa est, et proh dolor scissa manet. Ergo non fiat quaestio: quomodo scissa sit, sed ardens desiderium habeatur illam consuendi, quia hoc urgens est pro salute mundi ...[15]

8. *Nn. 20-24* nimis prolixi videntur, et quidem sine causa: magis formam sermonis habent, quam decreti etsi pastoralis.

Sufficere videtur adfirmare quod fratres separati (et « reformatores » ut aiunt, ceterique ecclesiales coetus, qui vel antea vel post ipsos ab Ecclesia separati sunt), in Christum Salvatorem credunt. Quapropter deposita asperitate vel lucta contra catholicam Ecclesiam (prouti in quibusdam nationibus adhuc remanet, dum aliis in regionibus tandem mutuum habetur obsequium) et ipsi propriam doctrinam profundius considerent, conferant sereno animo Sacram Scripturam et etiam antiquorum Patrum testimonia item et monumenta liturgica antiqua, nihil aliud quaerentes nisi Christum in veritate et caritate; et sic iam parata erit via ad unitatem obtinendam a Patre luminum.

Catholici item suam meditationem facient, nihil veritati detrahendo, sed praesentationem ipsius veritatis idoneis modis aptando, rem totam in luce oecumenica considerando ...[16]

9. *Ultimo,* sinatis me, submissa voce, grave problema innuere de quo non raro audivi in regionibus fratrum reformatorum ubi quamplurimi pastores Ecclesiam catholicam ad unitatem efformandam ingredi cupiunt. Quomodo conditioni istorum convenienter et humaniter provideri potest?

Utique responsum nequit in decreto conciliari dari quia multas tangit quaestiones. Censui tamen interrogationem hanc meditationi venerabilibus Patribus conciliaribus submitti, ut corde aperto, velint

res considerare et felicem invenire propositionem quam ego non audeo indicare. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Neque enim fas est, mente hodierna facta iudicare praeterita, quae aliis conditionibus vitae civilis et ecclesiasticae evenerunt, dum multae ideae quae hodie communes et naturales videntur, prius nec in civili societate nec in Ecclesia clarae erant. Enimvero et « fermentum » et « granum sinapis » quibus Evangelium comparatur a Domino, tempus sufficiens et aptas conditiones exigunt ut massa farinae moveatur et arbor vivide succrescat. [4] hodie. [5] at. [6] a Loyola. [7] ab Avila. [8] S. Carolus Borromaeo, S. Camillus, S. Franciscus Salesius, S. Franciscus Xaverius, S. Ioseph Calasanctius, S. Paschalis Baylon, S. Felix a Cantalicio, S. Aloisius Gonzaga, S. Stanislaus Kostka, S. Ludovicus Bertrandus, S. Benedictus a Philadelphia, S. Catharina de Riccis, S. Catharina Ianuensis, S. Petrus Canisius, S. Robertus Bellarmino. [9] deest. [10] Ergo in libris historiae ecclesiasiasticae et in divulgatione factorum, veritas semper integra referatur, at eodem tempore spiritus oecumenicus magnopere provocetur ut animorum dispositiones excitentur ad fratres separatos amandos et ad fervens desiderium aliquid faciendi ad unitatem componendam. [11] deest. [12] Quamvis etenim non raro disputationes acres sint, tamen perspectum est haberi unam et eandem anxietatem in omnibus Patribus, inveniendi scil. modos aptiores ad nuntium salutis in mundo propagandum, unitate composita cum omnibus qui christiano nomine gloriantur. [13] Id, pluribus in locis, facilem redderet interdum celebrationem alicuius Liturgiae orientalis in ecclesiis latinis. Ex alia parte idem inceptum relate ad ritos latinos apud orientales habeatur. 6. Ad n. 18, pag. 22-23. In praxi examinetur quid sit iste paries, et quaedam media ad eum auferendum practice proponenda sint. [14] disceptationis. [15] Tunc qualibet ecclesialis communitas, libenti animo et universali desiderio, dabit suam collaborationem: oratione, dialogo, communi studio, et super omnia exercitio mutuae dilectionis. Ideo, hoc principio pastorali revocato, auferantur quae in pag. 23, n. 19, linn. 14-18 in nostro schemate habentur. [16] ita ut omnes, Spiritu Christi ducti, in caritate imprimis ambulantes, occurramus fratribus nostris.

6

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK
Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Venerabiles Patres conciliares,

Caput hoc III, sicut et totum schema *de Oecumenismo,* quod revera aperit novam paginam in historia relationum Ecclesiae catholicae cum christianis separatis *et aliis religionibus, valde mihi placet in genere.*[1]

I. *Placet mihi imprimis quia notat valde clare proprietates quas-*

dam Ecclesiarum orientalium, ut propriam mentalitatem, historiam, liturgias, spiritualitatem, traditiones, disciplinam, non ut malum quoddam necessarium toleratum, sed ut portam large apertam ad Evangelium propagandum hodie apud multas nationes.

Secundo, placet caput mihi hoc, quia breviter sed clare praesentat statum [2] unionis in aliis christianis non catholicis cum Ecclesia catholica, cum speciali emphasi super baptismum, Scripturam Sacram, vivam fidem, opera caritatis.

II. Minus tamen placet mihi hoc capitulum eo quod facit hanc Sacrosanctam Synodum valde eloquenter exhortare omnes christifideles ad exercitium huius oecumenismi catholici, tam bene a se descripti, sed practice fere nihil facit, ut haec Sacrosancta Synodus ipsa prima det bonum exemplum talis oecumenismi per decisiones quasdam practicas, quae bono exemplo et practico incitamento pro omnibus esse possint. Quia, ut dicit proverbium latinum: verba volant, exempla trahunt.

Quapropter, considerationes quasdam, simul cum votis quibusdam practicis, circa n. 18, in pag. 22 et 23, proponere vellem, circa nempe *conditiones necessarias ad unionem feliciter restaurandam.*

In numero hoc maxime mihi placet *principium ipsum* in diiudicandis rebus, quae necessariae essent ad unionem restaurandam. Principium hoc in n. 18 exprimitur *verbis* [3]: « Quapropter, haec Sacrosancta Synodus in memoriam revocat id quod a Sacris praeteritis Conciliis nec non a Romanis Pontificibus declaratum est, nempe ad communionem et unitatem restaurandam opus esse " nihil ultra imponere oneris quam necessaria "...[4] ».

Principium hoc, tam solemniter admissum ab ipsis apostolis in primo Concilio Oecumenico, nempe in Concilio Hierosolymitano, revera est et semper, in similibus circumstantiis, esse debet, regula aurea agendi Ecclesiae, ubi agitur de unitate fidei in varietate legitimarum traditionum servanda.

Sed principium hoc, etsi clarum in se theoretice, aliquando difficile, et quidem difficillime, evadere possit in applicatione practica. Difficultas eius practica provenit ex eo, quod aliquando valde difficile est determinare, ex aequo et iusto, quid revera hic et nunc est *necessarium* onus, quod imponi deberet christianis ab Ecclesia catholica seiunctis ad istam unionem feliciter restaurandam, servata unitate fidei. Historia separationis praebet multa, et saepe lamentabilia exempla istius difficultatis. Ad illustrandam illam realitatem, sufficiat nobis in memoriam revocare exemplum luctae inter Patriarcham Constantinopolitanum Caerularium et Legatum Pontificium card. Humbertum, qui anno 1054, excommunicavit *cardinalis Legatus*[5] Patriarcham, *et Patriarcha Legatum cum amicis eius,*[6] etsi, ut

hodie clare probat historia, in quaestionibus agitatis inter illos revera nulla fuit veritas fidei, seu dogma, in dubium revocata. Et tamen, propter variam mentalitatem, varias ecclesiasticas traditiones et variam disciplinam, separatio fuit officialiter, et quidem, etsi erronee, declarata et consummata.

Postea, in decursu saeculorum, fuerunt et alii varii eventus, ubi haec magna difficultas in periculum posuit unitatem orientis christiani cum occidente.

Quapropter, cum hodie haec Sacrosancta Synodus tam clare recognoscit tam multas *legitimas* differentias, quoad mentalitatem, historiam, liturgias, spiritualitatem et disciplinam ...[7], duplex votum proponere *auderem*[8]:

1. In iudicio de onere *necessario* imponendo Ecclesiis orientalibus, perutile esset *semper audire vocem* illarum Ecclesiarum.

a) Pro Ecclesiis orientalibus *catholicis,* hoc optime posset fieri per praesentiam in collegio quodam apostolico regente, cum et sub Summo Pontifice, Ecclesiam universalem, omnium patriarcharum orientalium et, si necesse esset, episcoporum Ecclesiarum orientalium. Per eos, vox istius partis Ecclesiae Christi posset esse audita, interpretata et efficaciter in praxim deducta.

b) Pro Ecclesiis orientalibus *ab Ecclesia catholica separatis* — pro Ecclesiis orthodoxis —, hoc munus feliciter, nostro humili iudicio, perficere posset *quaedam commissio mixta theologorum, composita ex theologis catholicis et theologis orthodoxis,* qui simul, sine studio et ira, possent, imbuti spiritu illo oecumenico, videre et statuere, quid proprie refertur ad fidem, et quid, servata unitate fidei, deberet esse consideratum ut extra « onus quam necessaria », secundum expressionem Concilii Hierosolymitani.

Hodie, talis commissio videtur eo magis necessaria, quod schema nostrum *de Oecumenismo* proponit mutuum dialogum inter Ecclesiam catholicam et christianos separatos ut medium efficax, et, in praesentibus circumstantiis, practice necessarium ad unionem pristinam feliciter restaurandam. Etenim qui dicit dialogum in re religiosa, affirmat, saltem implicite, peritos seu theologos simul de istis rebus disceptantes ...

c) Similis commissio mixta, *composita ex theologis catholicis et protestanticis,* deberet existere pro determinatione istius « necessarii oneris », de quo locuti sunt apostoli in Concilio Hierosolymitano, in restauranda unione inter Ecclesiam catholicam et varias confessiones et communitates inde a saec. XVI exortas. Quia, ex ipsa notione dialogi oecumenici, tale studium commune videtur omnino necessarium.

2. Aliud principium in hoc n. 18 expressum relate ad methodum

sequendam in quaestione restaurandae unionis inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias orientales seiunctas, exprimitur his verbis: « Oportet etiam ad naturam relationum intendere quae inter Ecclesias orientales et Sedem Romanam ante separationem vigebant, ex quibus officium Romanae Sedis, cuius est praesidere in caritate, insigniter elucebat » ...[9]

Principium hoc, intellectum in sensu supremae auctoritatis Summi Pontificis super totam Ecclesiam, cum collegiali tamen auxilio episcopatus, prout praxis semper fuit in antiquis Ecclesiis orientalibus, multum mihi placet et, meo humili iudicio, deberet esse regula sequenda in hodierno regimine totius Ecclesiae, praesertim Ecclesiarum orientalium.

Sed, ut principium hoc sit deductum in praxim per hanc Sacrosanctam Synodum, auderem proponere:

1. Ut haec Sacrosancta Synodus declaret Patriarchas: Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum et Hierosolymitanum, gaudere eadem dignitate, quam illis tribuerunt Concilia Oecumenica Nicaenum, Constantinopolitanum *I*[10] et Chalcedonense, et quae nunquam hucusque a nullo Concilio Oecumenico fuit revocata.

2. Ut *sit introductum*[11] *systema synodale* gubernii in Ecclesiis orientalibus, sit restauratum et in pristinum honorem deductum.

3. Ut Ecclesiae orientales, ut Ecclesia Ucraina, Ethiopica, et aliae, quae non habent suos proprios patriarchas, possent illos habere, cum omnibus iuribus et privilegiis istius institutionis.

4. Ut Metropolitae Ecclesiarum orientalium habeant partem in nominatione episcoporum suae metropoliae.

5. Finaliter, ut codex iuris canonici pro Ecclesiis orientalibus sit revera codificatio iuris ecclesiastici Ecclesiarum orientalium, et non quaedam transpositio iuris canonici ritus latini ad necessitates Ecclesiarum orientalium.

Tales, vel similes, decisiones huius Sacrosanctae Synodi essent primus revera efficax dialogus, in forma actionis, cum Ecclesiis orientalibus separatis. Quia, pro orientalibus separatis, conditio hodie facta Ecclesiis orientalibus catholicis est practice unica expressio realis omnium verborum et promissionum venerationis, respectus et peculiaris considerationis, de quibus tam saepe loquitur in Ecclesia catholica. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] cum Iudaeis et cum hominibus non christianis, qui tamen Deum colunt, vel saltem bona animati (conscientia) voluntate, legem moralem hominis naturae insitam, servare student, in genere valde mihi placet. [2] Placet mihi caput hoc propter: 1. peculiarem considerationem Ecclesiarum orientalium, nempe propter earum mentalitatem, historiam, liturgias, spiritualitatem,

traditiones, disciplinam, et indolem particularem in divinis tractandis. 2. Propter brevem, sed claram, praesentationem status. [3] hoc modo. [4] (*Act.* 15, 28). [5] deest. [6] Caerularium et omnes eius sectatores ut haereticos et schismaticos. [7] inter Ecclesias orientales et Ecclesiam ritus latini, vellem ad hoc punctum. [8] nempe. [9] (lin. 38, pag. 22, et linn. 1-2, pag. 23). [10] deest. [11] deest.

7

Exc.mus P. D. FRANCISCUS TOMÁŠEK
Episcopus tit. Butiensis

Venerabiles Patres, Fratres Observatores,

Liceat mihi nomine episcoporum Reipublicae Čechoslovacae aliquod dicere ad art. 18 cap. III: De necessariis conditionibus ad unionem feliciter restaurandam.

1. Si unionem christianorum vere et sincere desideramus, non sunt in memoriam revocanda facta historica, quae finem oecumenismi impedire possent.

2. Quidquid ex nostra parte pro unione susciperetur, humillime propono, ut fiat in mutua consultatione et cooperatione cum fratribus separatis. Nolo dicere, ut secundum audita agatur, sed, ut prius quam aliquid decidetur etiam orthodoxi audiantur. Hic contactus immediatus, honestus, utilis et necessarius est et simul conditio sine qua non dialogum fructuose ducendi.

3. *Ut ad unionem inter orthodoxos et catholicos perveniatur, convocandum est concilium oecumenicum complectens episcopos orthodoxos et catholicos.*

Talis concilii convocatio secum feret quaedam praeambula, quae opportune solvenda esse videntur, ut gradatim conventus instituantur, in quibus conventibus praesules Ecclesiarum orthodoxarum cum Romano Pontifice decernat, quae necessaria videantur.

Sessio talium conventuum fiat quasi circa mensam rotundam, ut aiunt, ne quaestiones circa praecedentiam praemature suscitentur. Locus conventuum successive alia et alia sedes destinetur diversarum Ecclesiarum, e. g. Roma, Constantinopolis, Alexandria, Moscva et aliae, ut clerus et fideles respectivi territorii et nationis quam maxime ad unitatem restituendam praeparentur. Nam parum proderunt Concilii decreta, nisi a christifidelibus recipiantur et agnoscantur.

Quare in singulis nationibus, ubi circumstantiae id permittunt, quaedam commissio mixta, nonnullis constans peritis catholicis et orthodoxis, instituatur, quod, sub vigilantia episcopatus catholici et orthodoxi,

discussionem dirigat omnium quaestionum. Quae discussio publica sit et libera atque spiritu oecumenico imbuta. Tali modo dispositio illa interna acceptationis futuri Concilii tam apud fideles quam apud theologos excitari et foveri poterit. Hac obtenta, essentia separationis iam superata erit, et quidem ante ipsum Concilium convocatum. Tunc demum Concilii convocatio et facilis erit et utilis.

In omnibus disceptationibus, in Concilio et extra illud, pro utraque parte lex esto: mentem alterius partis bene cognoscere, omnia, quae unitatem fovent agnoscere et acceptare.

His dialogus possibilis est ex utraque parte: etiam nonnulli orthodoxi hoc admittunt. Sic « Žurnal Moskovskoi Patriarchii » in fasciculo iulii anni huius ...[1] prae aliis scribit: « ... Via amoris christiani ... conducere potest etiam ad dialogum dogmaticum, et consequenter ad illam desideratam unionem »...[2]

Concludo:

1. Requirendae sunt orthodoxae Ecclesiae orientales, ut si eis placuerit, proprios delegatos designent, qui Romae ut consultores commorentur, vel saltem Romam facile adire possint, quando hoc opportunum iudicabitur.

2. In fine art. 18, pag. 23, haec addatur: « Ad id assequendum valde commendantur de theologicis quaestionibus ex utraque parte conventus, nullo habito respectu ad iura praecedentiae, dummodo qui in iis partem habent, sub praesulum vigilantia vere periti sint. Sic praeparetur via ad futurum Concilium Oecumenicum complectens episcopos orthodoxos et catholicos ».

Venerabiles Patres! Tempus maturescit magna cum celeritate. Quod antea per multa saecula perfici non poterat, nunc in paucis annis adipiscitur. Ideo dirigatur quam primum poterit invitatio fraterna ad Ecclesias orthodoxas ad praeparandum futurum Concilium commune. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (1963). [2] (pag. 79).

8

Exc.mus P. D. GEORGIUS LAYEK

Archiepiscopus Aleppensis Armenorum

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres conciliares,

1. Accuratus et dignus modus loquendi schematis in hoc capite de historia indole et traditionibus Ecclesiarum orientalium ...[1] omnino placet et nullam speciem adulationis prae se fert. Nihilominus minus placent velatae illae locutiones de auctoritate Sedis Romanae, pag. 20, lin. 18, et pag. 23, lin. 2. Ratio est quia talis loquendi modus diffidentiam gignit apud fratres seiunctos (qui generatim optime sciunt de quanam re agitur) et praesertim confusionem causant in mente fidelium propter *reale periculum interconfessionalismi, praesertim in regionibus nostris ubi tendentia est apud quosdam extendendi Oecumenismum in ordine doctrinali, ad omnes coetus, etiam ad pueros catholicos in scholis, per catechismum interconfessionalem.*[2]

Desideratur igitur in cap. III et in toto schemate clara et praecisa locutio ...[3] doctrinalis, praesertim relate ad puncta discrepantiae.

2. Dolendum est quod schema et cap. III omnino sileat de Ecclesiis orientalibus catholicis, quae, propter communem cum fratribus seiunctis stirpem, linguam, culturam, liturgiam et saepe etiam propter cruentem communem historiam fidelitatis *erga Christum,*[4] vivum testimonium praebent de Oecumenismo fratribus orientalibus seiunctis.

Etenim concrete et vivide ostendunt, *istae Ecclesiae orientales catholicae,*[5] unionem nullo modo absorptionem esse vel destructionem mirabilis et multiformis illius thesauri spiritualis, liturgici et disciplinaris, qui in Ecclesiis localibus orientis inde a primordiis, incepit constitui et florere intra ambitum universalis Ecclesiae. Ostendunt etiam unionem nullo modo esse extinctionem sensus veri amoris patriae et fidelitatis traditionibus.

Orientales illae Ecclesiae catholicae viva et organica insertione existunt in Ecclesia universali quin ullo modo amittant indolem propriam, mirabilem testantes unitatem in diversitate. Ideoque, cum schema loquitur de Ecclesiis orientalibus seiunctis, non licet illas contraponere Ecclesiae *occidentali,* uti passim fit in capite (pag. 20, lin. 29, et pag. 21, linn. 37 ss.), nec ad iuste extollendas earum veras divitias spirituales et venerandas traditiones, necessarium est eas comparare Ecclesiae occidentali, quasi haec esset una interlocutrix cum illis, proinde ac si Ecclesiae orientales catholicae in margine existant ...[6]: hic modus procedendi certe non valde favet Oecumenismo.

Schema igitur in genere, et cap. III in specie, debet necessario apparere ut locutio procedens non quidem ab Ecclesia occidentali, sed ab Ecclesia catholica *universali,* occidentali simul et orientali.

3. N. 18 sermo est de necessariis conditionibus ad unionem feliciter restaurandam, nihil seiunctis fratribus orientis « ultra imponendo quam necessaria » ...[7], sed schema nihil dicit, nec in hoc capite nec alibi, de illis praeviis conditionibus omnino necessariis ad debellanda e via optatae unionis obstacula, inter quae maxime sunt duo onera quae sine necessitate imponuntur catholicis et seiunctis orientalibus, nempe recens legislatio de necessitate formae ad validitatem matrimonii (quae usque ad annum 1949 non vigebat in oriente) et *secundo,*[8] severa disciplina de communicatione in Sacris.

Parcite mihi, venerabiles Fratres, si (iterum dico quae ab aliquibus Patribus orientalibus et occidentalibus asserta fuerunt in hac venerabili aula) recursum facimus ad vestram benevolam et patientem caritatem, et pastoralem conscientiam collegialis « sollicitudinis omnium Ecclesiarum ». Secundum italicum adagium: « La lingua batte dove il dente dole » — lingua percutit dentem dolentem. Est quidem vulnus nostrum in exercitio muneris nostri pastoralis et oecumenici.

Etenim ex una parte, innumerae mulieres catholicae, huius legis causa, extra Ecclesiam eiiciuntur et arcentur a sacramentis, cum magno detrimento spirituali ipsarum et familiae suae ...[9]; ex alia parte, inutiliter dilatatur fossa inter nos et fratres nostros seiunctos. In amicali conventu apud eximium virum ecclesiasticum altioris gradus Hierarchiae Armenae ...[10] seiunctae, cum sermo erat de agendis in Concilio dixerat nobis: « Unicum punctum quod nos ab invicem separat est Primatus Romani Pontificis; enixe rogamus vos, fratres carissimi, ut conamina faciatis ne alia puncta discordiae addantur et reciprocam fraternam amicitiam perturbent, ideoque valde speramus ut quaestio de forma matrimonii, quae nos etiam tangit, citius solvatur in hoc Concilio ». Magna igitur hac de re in oriente est expectatio apud catholicos et fratres seiunctos.

Quoad communicationem in Sacris, eo magis vehementer expectabatur a nobis orientalibus mitigatio huius disciplinae, quod ipsa commissio de doctrina fidei et morum iam in priore schemate *de Ecclesia* in capite de Oecumenismo, cum debita cautela admiserat, exceptiones quasdam introducendo ...[11], ostendendo per hunc agendi modum nullam difficultatem oriri in ordine dogmatico, ex illa optata mitigatione; immo in determinatis adiunctis Ecclesia hoc modo ostenderet magnam caritatem et pastoralem sollicitudinem erga fratres separatos orientales qui nostras ecclesias frequentant et aliquando sanctitatis vitae vehementi

desiderio permoti, profunda et sincera fide sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae a nobis expostulant. Nonne et ipsi, per Baptismum Christo incorporati, aliquomodo membra Christi sunt et revera indigent sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae ad vitam gratiae restaurandam et augendam, eamque contra peccati inclinationes roborandam? ...[12]

Relate vero ad sacramentalia, scil. ad preces, loca sacra, funera et alia huiusmodi « in quibus, secundum verba prioris schematis *de Ecclesia* citati, ipsa doctrina unitatis Ecclesiae prohibitionem communicationis de se non exigit », eo magis optamus mitigationem quod plures difficultates cum fratribus separatis, in vita pastorali et sociali, evanescerent in favorem caritatis oecumenicae.

Concludendo liceat mihi humiliter petere:

1. Ita recognoscatur cap. III, ut cum sermo sit de Ecclesiis orientalibus seiunctis, in maiori luce appareat munus Ecclesiarum orientalium ...[13] *intra ambitum* [14] Ecclesiae universalis.

2. Ad sternendam viam *optatissimae* [15] unionis et ad consulendum saluti animarum, recognoscatur recens legislatio de necessitate formae ad validitatem matrimonii pro orientalibus, quae in regionibus nostris magnum detrimentum attulit, et mitigetur severa disciplina communicationis in Sacris, adhibitis debitis cautelis, ne filiis Ecclesiae et fratribus nostris seiunctis « ultra imponentur quam necessaria ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] liturgicis et spiritualibus. [2] luctuosam situationem quae apud nos recentiori tempore viget ubi tendentia est apud quosdam extendendi oecumenismum in ordine doctrinali, ad omnes coetus etiam ad pueros catholicos in scholis, ope unius *catechismi interconfessionalis* auctoritate Status omnibus impositi, cum maximo detrimento doctrinalis genuinae instructionis iuventutis nostrae. [3] (dogmatica). [4] Christo. [5] deest. [6] Ecclesiae occidentalis. [7] (*Act.* 15, 28). [8] deest. [9] et educationis prolis. [10] (Gregorianae). [11] (cf. *ibid.*, pp. 84-85). [12] Iam decretum S. Officii a. 1957 de sacramentis sub determinatis condicionibus dandis alumnis filiis « orthodoxorum » in scholis catholicis comprobat argumentum in favorem mitigationis. [13] catholicarum. [14] in ambitu. [15] deest.

9

Rev.mus P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congregationis Angliae O.S.B.

Venerabiles Patres,

Quae proponere audeo, ad pagg. 23 et 25 se referunt.

1. Pag. 23. Hic liceat mihi assentire eis qui putant specialem aliquam mentionem faciendam esse de communione Anglicana tam late

per mundum diffusa, antiquitati patristicae per eruditos suos tam devota, de motu oecumenico iam per tot annos tam praeclare merita. Secretariatui pro unitate hoc punctum enixe commendo, praesertim cum multi Anglicani sentiant se non recte *simpliciter* [1] cum Protestantibus *connumerari.* [2]

In hac autem pag. 23, bis nominantur, secundum litteram, communitates saec. XVI exortae (vide titulum huius partis capituli et lin. 13). Iamvero, quanquam decretum nostrum catholicos primarie alloquitur et nos non dubium habemus communitates separatas reduplicative ut tales initium ducere ab origine separationis, tamen decretum hoc, si promulgetur, fiet publici iuris; et talis locutio non est quominus offendat aliquos a fratribus nostris, qui continuitatem cum anteactis Ecclesiae saeculis sibi propugnant. Ideo suadeo ut, cum dialogus debeat incipere a veritatibus utrimque agnitis, substituatur pro verbo « exoriri » verbum « separari », scil. ut legatur pro titulo « De Communitatibus inde a saec. XVI *vel tardius* separatis »; et textus ad lin. 13 sit: « saec. XVI vel tardius a nobis separatae sunt ».

2. Assentior sententiae quod non debemus dicere videri linn. 16 ss. *huius paginae,* [3] quod hae communitates ad negationem mediationis essentialis Ecclesiae pervenerunt. Si generalem formam clausulae retinere visum fuerit, saltem inseratur ad lin. 17, post verbum « ut », verba « aliquoties etiam » — « *aliquoties etiam* ». [4]

3. *Ad pag. 25. Iam valde miror quod exc.mus episcopus aux. Sydneyensis, amicissimus mihi, videtur putare quod, respectu oecumenismi habito, nos catholici possumus primum quidem ad tribunal Paenitentiae secreto accedere, ac tunc audacter cum pharisaeo in parabola stare, relicta fratribus a nobis seiunctis salutifera statione cum publicano aperte confitente peccata sua! Ipsa historia motus oecumenici nos docet quod publica et sincera admissio propriorum peccatorum, non quidem Ecclesiae, sed membrorum communitatum vel Ecclesiae, est primum punctum in aemulatione spirituali. Nescio utrum rumor et historia status populi christiani in Europa in saec. XVI usque adhuc ad Australiam venerit, sed facta admissa sunt ab eruditis catholicis qui rem studuerunt. Et valde necessarium est ut nos non videmur tegere peccata quae vel ad separationem adiuvarunt, vel separationes iam factas sustinuerunt.* [5]

Ideo [6] mihi videtur Concilium debere in hoc decreto se publice associare verbis Summi Pontificis, quibus veniam a fratribus nostris ... [7] humiliter petiit si nos catholici peccavimus in hac unitatis quaestione. Si igitur emendatio iam secretario tradita pro cap. II — *sed proh dolor! non in Concilio enuntiata* [8] — non acceptabitur, tunc propono ut pag. 25,

lin. 11, n. 24 sic incipiatur: « Dum igitur, una cum fratribus a nobis seiunctis, peccata deploramus, sive a catholicis sive ab aliis commissa, per quae ad separationes deventum est vel quae separationem prolongaverunt et prolongant, nunc autem fidenter oculos ad futura convertimus etc. ... ». Haec vel similia verba humiliter propono. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] annumerari. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] 3. (quod quidem dixi in sermone de cap. II conscripto, sed proh dolor! non pronuntiato). [7] seiunctis. [8] deest.

[*Subscripserunt etiam*] Basilius Niederberger, s. g. Congr. Helvet. O.S.B.; Ioachim Ammann, O.S.B. ep. tit.; Ios. F. Cornelis, arch. Elisabethapolitanus; Gilbert Hess, O.S.B., s. g. Congr. Helv.-Am. O.S.B.; Walter Coggin, O.S.B. AN Belmont Abbey.

Moderator: Exc.mus D. Benedictus Printesis renunciavit iuri loquendi.

10

Exc.mus P. D. IGNATIUS ZIADÉ
Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres, Fratres dilectissimi,

Cum pars I cap. III, quae de Ecclesiis orientalibus tractat, optima aestimanda sit, liceat mihi tantum tres breves notationes proponere ad eam perficiendam.

1. Nostro schemate ad instruendos catholicos destinato, neminem effugiet mentio pluralis « Ecclesiarum orientalium ». Hoc plurale breviter explanari possit:

a) quoad *identitatem* harum Ecclesiarum: praeter byzantinos, magis cognitos apud latinos, habentur etiam armeni, syri occidentales necnon orientales, copti et aethiopi, quorum Observatores cum ingenti gaudio salutemus ibi praesentes;

b) quoad earum profundam *significationem* pro oecumenismo, i. e.: semper habetur in Ecclesia *pluralitas traditionum* quae, de uno eodemque motu Spiritus Sancti germinans, magis ac magis increscit ac fructificat, ut, dum produxerit fructus, adveniat messis unitatis ...[1]. Non raro enim audimus loqui de dualitate, occidentali nempe et orientali, et proinde ad oppositionem aut ad facilem comparationem pervenimus. Dualitas inclinationem mentis exprimit, sed Ecclesia pulchrior est quam dualitas. *Ecclesia pluralis est in unitate* quia multiformis sapientiae Dei splendor est.

2. *Traditio syro-antiochena* in specie, cui Ecclesia mea omnia debet et cuius cognitio denuo paulatim disseminatur in Ecclesia universali, proxima est spiritus Evangelii per expressionem suam valde concretam, per decursum anni liturgici ad mentem historiae salutis, denique per traditionem spiritualem paenitentiae, dulcedinis fraternae, quietudinis cordis et expectationis adventus Domini. Hae quatuor indoles, biblica, liturgica, mystica et eschatologica, migraverunt diverso modo ad latinos iam a saec. II, ad byzantinos praesertim per Ioannem Chrysostomum, sed maxime ad evangelizandam Asiam profundam et Indiam usque ad *Cinam*.[2]

3. *Actualitas fecunda* huius traditionis pro unitate pleniori saltem sub duplici aspectu apparet:

a) quoad *missionem*. Pauci sciunt fortasse quod Ecclesia syriaca orientalis fuit ardenter missionalis simul ac martyr ignota per decem saecula medii aevi in tota Asia. Anno 1288, « Catholicos » huius Ecclesiae *erat cinese*,[3] quamvis in Bagdad electus sit, et nuntios Romam mittit quorum dux est monachus *cinesus*.[4] Ad hoc mirabile catholicitatis exemplum hodie nondum pervenimus. Sed huius significatio adhuc valet, tum pro evangelizatione totius Asiae, tum pro accessu populorum Medii Orientis ad veram Christi agnitionem;

b) quoad *vitam monasticam*. Spiritualitas syriaca, magis monastica, de qua semper nutriti sunt spirituales byzantini, *fons* fuit ac *methodus motus missionalis in Asia*. Successus hodiernus vitae monasticae syriacae in India id confirmat: *paupertas* evangelica, non tantum externa, sed etiam in dulcedine ac simplicitate cordis solum est « bonum nuntium » quo Christus annuntiatur pauperibus.

Conclusio. Pluralitas traditionum interior est mysterio unitatis. Aliqui Patres conciliares Congolenses in Africa, in interventione oraliter non expressa — proh dolor! — in hac aula, insistunt super necessitatem pluralismi traditionum pro missione Ecclesiae. Per hanc viam Oecumenismus intime connectitur cum nova exploratione maiorum traditionum, quas omnes denuo ac melius vivere debemus. Pluries audivimus in aula loqui de connexione Unitatis et missionis Ecclesiae, sed addendum est quod ista connexio in traditione ipsa invenitur. Oecumenismus nos attrahit ad vivendam *plenitudinem traditionis* qua Spiritus Sanctus, Verbum Dei ubique seminans, per incrementum *missionis* ad messem *unitatis* omnes homines congregat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *Mc.* 4, 26-29). [2] Sires (Cinam). [3] sericus est (cinese). [4] sericus.

Animadversio addita:

Proponitur additio sequens pag. 20, lin. 11: « Ecclesia in oriente per diversas traditiones increvit, scil. byzantina, armena, syriaca occidentalis ac orientalis, copta et aethiopica. Ecclesia enim pluralis est in unitate quia multiformis sapientiae Dei splendor est. Itaque motus oecumenismi omnes christifideles attrahit ad plenitudinem traditionis vivendam qua Spiritus Sanctus, Verbum Dei ubique seminans, per incrementum missionis ad messem unitatis omnes homines congregat ».

11

Exc.mus P. D. LEO D'MELLO

Episcopus Ajmerensis et Jaipurensis

Em.mi Praesides Moderatoresque, carissimi Fratres, patientissimi Observatores et Auditores,

Deus vult *omnes* homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire; Christus Dominus fundavit *unam* Ecclesiam, vehementer desiderat, ut sit *unum* ovile et *unus* Pastor et ardenter oravit ut *omnes unum* sint.

Equidem, omnes nos *unum* sumus, in et per *unum* baptisma, in *una* fide in Dominum nostrum Iesum Christum et in *uno* nomine christianorum gloriamur.

Summus Pontifex Ioannes XXIII, piae recordationis, unum ex finibus Concilii Vaticani II proposuit: *promotionem unitatis* christianorum. Papa Paulus VI, feliciter regnans, eundem finem prosequitur. Ad hunc finem — *unitatis* christianorum — totum schema Oecumenismi ordinatur. Et per totam hebdomadam *et amplius,*[1] super hoc schemate sermones ardentes fecimus, longasque meditationes prosecuti sumus, hac unica intentione, ut hunc motum Oecumenismi, hoc ardens desiderium *unitatis* foveamus in nobismetipsis, in nostris fidelibus, in fratribus seiunctis, et in toto mundo.

Nunc ergo humiliter propono aliquam parvulam et — puto — practicam conclusionem totius huius conatus nostri. Conclusio quae humili meo iudicio, puto, erit fortissimum argumentum et efficax incipiens implementum totius huius rei, i. e. motionis oecumenicae.

Cur non omnes nos, Patres conciliares, qui sumus ex toto orbe terrarum, ex oriente et occidente, una simul cum Observatoribus et Auditoribus, qui sunt ex variis confessionibus, ex omni tribu et populo, ex omni lingua et natione, — quaeso: cur non omnes nos *in uno Spiritu hic congregati,* in hac S. Petri Basilica, *in hoc centro unitatis* —, dico: cur non omnes nos uno corde et ore profiteamur et recitemus pul-

cherrimam illam orationem quae tum a nobis tum a fratribus seiunctis recitatur unoquoque anno in hebdomada illa « octavae unitatis » dicta (« *Church unity octave* », *anglice* [2]), et ad hanc etiam adiungemus dominicam illam orationem « Pater noster », quam Summus Pontifex Paulus VI nuper cum Observatoribus recitavit?

Haec erit *expressio sincera et efficax* universalis desiderii unitatis. Haec erit exemplum magnum nostris fidelibus et haec erit, ut puto, magnifica et grata conclusio huius schematis et sessionis secundae Concilii Vaticani II. Quod faxit Deus! Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

Moderator: Loquatur exc.mus D. Andreas Roborecki. Et interim omnes Patres conciliares humanissime rogantur ut velint ad sua loca redire, cum iam simus in limine huius congregationis generalis.

12

Exc.mus P. D. ANDREAS ROBORECKI
Episcopus Saskatoonensis Ucrainorum

Venerabiles Patres conciliares,

Quasdam adnotationes habeo circa n. 18, *lin. 23*.[1] Hic numerus nimis generalia continere videtur. In eo tamen maximi momenti est affirmatio, quod hodierno die toto corde et animo tendere oportet ad tollendum parietem, qui post Concilium Florentinum denuo interpositus est. Hoc cor et animum imprimis nos ipsi fratribus separatis ostendere debemus, omnem ansam suspicioni nostra activitate unionistica amovendo et sinceritatem factis eis ostendendo. Quaedam tantum huiusmodi facta indicabo:

1. Fratres separati orientales addictissimi sunt eorum disciplinae conservandae. Synodalismus Ecclesiae primitivae est eorum idea principalis. Primatus Romani Pontificis non est iam difficultas principalis unionis, sed modus eum exercendi vel potius, uti ipsi vocant, centralismus Ecclesiae catholicae ad minutissima devolutus. In Ecclesia primitiva Romanus Pontifex raro se in causas orientalium intromittebat, et hoc saltem per mille annos unionis Ecclesiae non erat contra ius divinum nec contra Evangelium. Cur hodie — interrogant — hoc esset contra ius divinum?

2. Iidem fratres separati timore afficiuntur, ne paulatim in ritum

latinum trahantur et sub hoc respectu ipsi etiam nos, catholicos orientales, aspiciunt, videlicet quomodo a fratribus nostris latinis tractemur. Ideoque omnia illa evitare debemus, quae ipsis ansam praeberent suspicioni. Proh dolor tamen plura adhuc sunt, saltem quibusdam in regionibus, desiderata hac in re. Adsunt adhuc et sacerdotes et sorores religiosae, qui optimas nostras familias ad ritum latinum trahunt. Haec facta sunt concreta, quae tamen amplius repeti non deberent.

3. In actione unionistica immediatum contactum et conversationem cum fratribus separatis illi habere debent, qui eorum indolem, historiam, mores, *psychologiam,*[2] etc. etc., norunt et intelligunt. Ideoque demandetur haec activitas unionistica imprimis ipsis orientalibus. Nonne monstrum aliquod videatur, quod latini praeferantur in huiusmodi missione unionistica? Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

Moderator: Venerabiles Patres, sic explicit elenchus Patrum qui verba facere petierant circa cap. III schematis *de Oecumenismo.*

Nunc em.mus card. Augustinus Bea, praeses commissionis, verba conclusiva faveat facere de universo schemate *de Oecumenismo.*

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres conciliares, dilectissimi fratres Observatores et Auditores laici,

Iam pervenimus ad finem huius sessionis et in particulari ad finem disceptationis trium priorum capitum schematis nostri *de Oecumenismo* propositi a nostro secretariatu ad unionem christianorum fovendam. Quid, *concludendo,*[1] dicam nunc nisi quod ante omnia sincere enixas agamus gratias, *primum quidem*[2] Deo Optimo Maximo, et dein omnibus — *omnibus*[3] — venerabilibus Patribus *qui contulerant ad hanc disceptationem.*[4] Si quis forte hucusque ...[5] opinionem de zelo et amore episcoporum Ecclesiae catholicae orbis universi pro christianorum unitate *minus rectam*[6] habuerit, hac disceptatione omnino clare perspicere ac sibi persuadere potuit hunc zelum et hunc ardentem amorem in Ecclesia catholica *tota*[7] plene vigere. Iam ipsa suffragatio, qua priora tria capita schematis ...[8], ut basis discussionis, morali fere unanimitate *admissa*[9] sunt, *hoc*[10] luculentissime demonstravit. Ex eodem amore procedebant etiam multa illa quae ad schema melius reddendum prolata fue-

runt, *et de quibus enixe gratias agimus.*[11] Immo etiam dubia et criticae ipsa relate ad varia schematis puncta in disceptatione significata indicabant eundem amorem *idemque*[12] studium meliores quasque rationes inveniendi ad magnum illud desiderium Christi Domini ad effectum perducendum « ut omnes unum sint ». Quare omnibus vobis, venerabiles Patres, ex *animo maximas gratias agimus.*[13]

Quae in discussione prolata fuerunt, a secretariatu nostro sollicite et diligenter examini subicientur. Ad hunc finem iam inde a fere duobus mensibus in secretariatu subcommissiones creatae fuerunt. Ex propositionibus in discussione factis, aliae in schema *certe*[14] cooptabuntur, aliae autem adhibebuntur in « Directorio Oecumenico » illo conficiendo, quod relator de his tribus capitibus, exc.mus D. arch. Martin, paratum iri iam praeannuntiavit. Eadem *nostra*[15] disceptatio in dies etiam magis *magisque luculenter et lucide*[16] id ad oculos demonstravit circumstantias *et conditiones*[17] in variis dioecesibus vel regionibus *mundi*[18] omnino diversas esse ac proinde principia generalia huius schematis — immo etiam plura quae in dicto Directorio habebuntur — accommodatione et prudenti applicatione ad circumstantias locorum et personarum indigere. Exsecutione enim materiali et, ut ita dicam, mechanica, si non creantur pericula, saltem fructus actionis oecumenicae frustrari poterunt. Unde repetere liceat, quae iam ante unam hebdomadam in hac aula dixi: motio oecumenica primario est officium sacrorum pastorum, uti omne officium evangelizandi et gregem dominicum pascendi. Ipsi motioni et actioni oecumenicae servatis principiis et normis essentialibus solerter invigilare, eam prudenter dirigere, ad concretas conditiones applicare et efficaciter stimulare debent. Qua in re certe multum *adiutorium*[19] accipere poterunt a nostro secretariatu unionis et a secretariatibus *particularibus*[20] in singulis dioecesibus sive regionibus vel etiam nationibus opportune erigendis, *ut iam alias dixi.*[21]

Remanserunt autem *duo ultima capita* schematis, quae non iam potuerunt tractari idque ob defectum temporis, non ob ullam aliam rationem — *non ob ullam aliam rationem.*[22] Omnes *sane*[23] dolemus quod non licuit etiam horum capitum disceptationem saltem aliquomodo *praelibare.*[24] Ita enim secretariatus noster maiorem lucem accepisset ad utrumque caput definitiva redactione perficiendum. Tamen, postquam res ita facta est, sincere persuasum habeo etiam hoc factum non paucas utilitates afferre. Primo intuitu utique interrogari posset: nonne saltem suffragatio fieri poterat ad capita haec ut basim discussionis admittenda? Ad hanc quaestionem aliquis *fortasse*[25] affirmative respondere *vellet.*[26] Puto tamen nos *omnino*[27] gratos esse debere venerabilibus Patribus moderatoribus, quod abundantem facultatem dare voluerunt loquendi de tribus

capitibus fundamentalibus, ne periculum crearetur quominus dici possit factam esse suffragationem praecipitatam *et praeproperam* [28] de illis tribus et de his duobus capitibus, quae *quidem duo ultima capita* [29] omnino res satis difficiles *continent, ut ipsa disceptatio iam ostendit,*[30] aliquid novi afferunt et maximi momenti sunt pro vita et actione Ecclesiae his nostris temporibus. *Praestat igitur, mea humili sententia,*[31] omnia sine praecipitatione, sereno et tranquillo animo iterum iterumque meditari et perpendere, ut in proxima Concilii sessione matura disceptatione tractentur et iudicentur. Valet hic antiquum illud dictum « Quod differtur non aufertur ».

Quaestiones igitur in his duobus ultimis capitibus, *IV et V,*[32] tractatae his sequentibus mensibus vestro studio, *vestro* [33] examini, venerabiles Patres, concreditae manent. Disceptatio, quam hic peragere non licuit, in proxima Concilii sessione habebitur et his proximis mensibus rite parabitur. Quare praeses secretariatus *unionis omnes venerabiles Patres* [34] enixe rogat ut, non obstantibus permultis illis negotiis, quae unumquemque *vestrum* [35] in dioecesim redeuntem *forte* [36] obruent, capita haec attento subiciant examini et secretariatui generali Concilii, usque ad 31 diem ianuarii, suas propositiones, suas *emendationes,*[37] sive de ipsa materia *quam continent illa capita,*[38] sive de loco unicuique assignando, significare velint. Secretariatus autem noster ex sua parte tum ea quae iam hic in aula dicta sunt, tum ea quae scripto accipiet, diligenter examinabit et in praesentatione horum duorum capitum *autumno* [39] disceptanda proponet, ut tandem id obtineatur quod ad maius Dei servitium et animarum *omnium* [40] bonum efficacius conferet.

Concludo. Anno elapso Summus Pontifex Ioannes XXIII, veneratae memoriae, laboribus primae sessionis Concilii finem imponens, illorum fere dubio occurrebat, qui ...[41] forte *autumarent* [42] fructus laborum illius sessionis valde exiguos esse et minime respondere magnae christifidelium et mundi exspectationi. Cui dubio Summus Pontifex ut fructum maximum et maxime pretiosum ipsum fraternum episcoporum de *summis* [43] Ecclesiae et nostri temporis quaestionibus colloquium opponebat ...[44] Minime haesito hoc etiam de hac sessione et, id quod mea peculiariter interest, de disceptatione de Oecumenismo affirmare. Nam sincera et aperta illa de multiplicibus *problematibus oecumenicis* [45] collocutio *quam habuimus vel, ut ita* [46] dicerem, dialogus, pro Ecclesia sine dubio maxime fructuosa *erit.*[47] Cuius quidem dialogi conclusiones nonnisi suo tempore atramento in carta scribentur, sed iure confidere licet eas iam in mente et corde successorum apostolorum hic in Spiritu Sancto congregatorum iam nunc exstare. Quodammodo dici posset episcopatui Ecclesiae catholicae per ineffabilem Dei *gratiam eodem* [48] fere modo quo factum

est discipulo « quem diligebat Iesus », permissum fuisse *ut*[49] supra pectus Divini Redemptoris *auscultaret illa verba quae ex ipsius Corde procedebant*[50]: « Rogo ... ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti » ...[51]

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ante omnia. [3] deest. [4] deest. [5] aliam. [6] deest. [7] deest. [8] — etsi inde ab initio etiam ipsis membris secretariatus clarum esset, schema in pluribus perfici posse et debere —. [9] acceptata. [10] hunc zelum. [11] deest. [12] et. [13] corde maximas ago gratias. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] adiutorii. [20] sive. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] praegustare. [25] forte. [26] posset. [27] deest. [28] deest. [29] deest. [30] tractant. [31] Decet igitur. [32] deest. [33] et. [34] omnes. [35] deest. [36] fere. [37] correctiones. [38] utriusque capitis. [39] deest. [40] deest. [41] scilicet. [42] autumare potuisset. [43] maximis. [44] (cf. *L'Osservatore Romano,* 11-12 dic. 1962, pag. 1). [45] problematis oecumenici. [46] quasi. [47] est. [48] misericordiam eo. [49] deest. [50] (cf. *Io.* 13, 23-25) recumbere et palpitationem auscultare divini eius Cordis, e quo enixa illa precatio sacerdotalis prodiit. [51] Effectus huius insignis doni iam indelebiliter Spiritu Dei vivi inscripti sunt in vita Ecclesiae, et proinde sine dubio fructum ferent « suo tempore ». Inde puto nos omnes, venerabiles Patres, toto corde Patri luminum a quo « omne datum optimum et donum perfectum (cf. *Iac.* 1, 17) descendit, grates referre debere pro hac disceptatione de rationibus et modis unitatem christianorum promovendi.

Moderator: Gratias, em.me Pater! Nunc exc.mus D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania, brevissimam faciet relationem circa schema *de apostolatu laicorum.* Notum est vobis, venerabiles Patres, quod istud schema erat etiam praesentandum in ista periodo Concilii Oecumenici. Non fuit tamen possibile propter defectum temporis. Audiatis — velitis audire — brevissimam relationem de isto schemate, ut annunciavi.

RELATIO

Exc.mi P. D. FRANCISCI HENGSBACH
Episcopi Essendiensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Initio huius sessionis Concilii spes nos arrisit, in ea schema *de laicorum apostolatu* disputatum iri. Relatio ad eam introducendam in nostra commissione praeparata iam erat. Cum tamen haec spes nos fefellerit, optatam saltem libenter amplectimur facultatem, breviorem *vel*

brevissimum[1] vobis exponendi conspectum eorum, quae vobis facilius permittent satisfacere alicui desiderio in fine huius relationis proponendo.

Pauca dicam de genesi nostri schematis, summarie percurram quae in eo continentur, concludo cum responso ad quaestionem, quanam via, examinatis emendationibus et ad commissionem iam delatis et adhuc deferendis, schema ulterius perfici possit.

1. *De genesi.* Schema nostrum in *genesi* sua, quae ad meliorem eius intellectum respicienda est, duas periodos percurrit, alteram in commissione praeparatoria, alteram in ipsa conciliari. Ex voto commissionis antepraeparatoriae, tres subcommissiones conditae sunt, quarum prima de principiis generalibus et de formis ad regnum Dei directe *promovendum*[2] egit, secunda de apostolatu laicorum in actione caritativa, tertia in actione ad christiane informandum ordinem temporalem. Divisio laboris ita instituta adhuc apparet in divisione ipsius schematis, quod continet partem generalem et specialem. Haec iterum subdividitur in tres titulos: de apostolatu laicorum ad directe promovendum regnum Dei; de apostolatu laicorum in actione caritativa; et de apostolatu laicorum in temporali ordine exercito.

Si inter se comparantur prima redactio praeparatoriae commissionis et altera commissionis conciliaris, hae essentialiores differentiae apparent: in forma praeiacente textus reductus est ad quartam fere partem anterioris. Introductio doctrinalis remissa est ad constitutionem dogmaticam *de Ecclesia.* Maior pars textus prioris relinquitur alicui commissioni postconciliari ad elaborandum aliquod Directorium « De formatione laicorum ad apostolatum ». Praeparatur insuper a commissione aliquis appendix, continens vota pro futura Codicis Iuris Canonici revisione, ius laicorum quod attinet. Aliqua pars schematis, quae in specie egit de apostolatu laicorum in actione sociali Ecclesiae, transmissa est commissioni mixtae, quae praeparat schema XVII, quod inscribitur « De praesentia activa Ecclesiae in hodierno mundo aedificando ». Laici ad schema nostrum praeparandum variis modis cooperare potuerunt, sed nondum in ea mensura, in qua nunc, ut periti, contribuere valent ad illud perficiendum.

2. *Quaenam in schemate continentur?*

In parte generali. a) Datur, tam in genere quam in specie, conspectus quidam variarum formarum apostolatus laicorum, tam ab omnibus et singulis, quam consociato modo exercendi.

b) Sermo fit de recto ordine apostolatus. Attenditur et eius relatio varia ad hierarchiam et eius coordinatio in variis ambitibus, libera cooperatione necnon aptis institutis promovenda. Principium libertatis et unitatis, ratione boni communis, inter se componuntur.

c) Indicantur peculiares quaedam sollicitudines Ecclesiae circa apostolatum laicorum in praesentibus vitae condicionibus et aliqui campi specialiter commendantur.

d) Principia statuuntur pro formatione laicorum ad apostolatum.

In parte speciali. Principia quae ita in genere exposita sunt, applicantur ad tres enumeratos modos apostolatus.

a) In apostolatu ad regnum Dei directe promovendum, praeter apostolatum in variis Ecclesiae communitatibus (paroecia, dioecesi, natione, universali Ecclesia) agitur imprimis de Actione Catholica.

b) Distinctiores exhibentur normae directivae, quae cooperationi laicorum in distinctis modis actionis respondent, nempe ad directe provehendum regnum Dei, actionis caritativae et actionis socialis.

c) Distinctae normae directivae etiam proponuntur pro relatione huius apostolatus ad hierarchiam.

d) Distinctae deinde normae directivae pro formatione laicorum ad hunc apostolatum.

3. *Et ultimo.*[3] Non facile erat, in tanta varietate apostolatus in diversis regionibus mundi et diversis campis, in tanta differentia votorum episcoporum, invenire mediam viam, quae, in quantum hoc possibile est, exspectationibus omnium satisfaceret. Ex hac difficultate, quae adhuc augetur ex multis controversiis doctrinalibus hac in re, et ex novitate rei tractandae in Concilio, intelligitur methodus magis empirica et immediate ad fines pastorales directa, quam elegit commissio.

Imperfectiones nostri schematis ipsam commissionem non fugiunt. Explicantur saltem quaedam ex vulneribus, quae schema passus est in sua genesi.

Gratias maximas agimus illis Patribus et conferentiis episcoporum, qui nobis emendationes suas iam miserunt. Quas emendationes commissio, durante hac Sessione, iam attente examinavit. Rationem habebimus horum propositorum in ulteriore labore.

Certe textus notabiliter adhuc abbreviari potest, potest reddi ad formam clariorem et simpliciorem; repetitiones adhuc exstantes eliminari poterunt. Post disputationem circa caput « De laicis » in schemate *de Ecclesia* et post vestras emendationes, modus dicendi etiam magis syntheticus reddi poterit.

Venerabiles Patres! Ut quam primum ad totum textum reformandum accedere possimus, a vobis petimus, ut commissioni nostrae usque ad diem 15 ianuarii anni sequentis per secretariatum generalem omnes vestras adnotationes et emendationes, nondum ad nos missas, communicetis. Omnibus deinde diligentissime examinatis, ratione habita etiam eorum, quae praeparantur in schemate *de Ecclesia* et de activa prae-

sentia eius in hodierno mundo aedificando, adiuti a peritis laicis, textum emendatum et perpolitum tempestive ante proximam sessionem conciliarem praeparabimus et vobis communicabimus.

Faxit Deus, ut commune nobis impositum opus tandem in tertia sessione ad optatissimum exitum adducatur! Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] promovendis. [3] deest.

Moderator: Gratias, exc.me Pater! Nunc exc.mus D. secretarius generalis habet quasdam communicationes faciendas.

Secretarius generalis: Assignatores locorum coram admittentur a Summo Pontifice, simul cum secretariis Patrum conciliarium, crastina hora 19, una cum secretariis.

In caeremonia, quae crastina celebrabitur, Patres induent habitum quem hodie habent. In sessione publica vero, prout dictum est, induent vel pluviale vel, si agitur de em.mis DD. cardinalibus, vestes proprii ordinis, cum mitra. Quidam postulaverunt hoc: ego debui repetere. Ceterum, haec omnia habentur in intimatione, quae iam distributa est, et invenitur etiam in *L'Osservatore Romano.*

Sive crastina, sive feria IV, caeremonia incipiet hora nona, sed, praesertim feria quarta, ut iam dictum est, omnes Patres debent convenire in loca sibi assignata saltem hora 8,30. Gratias.

Moderator: Venerabiles Patres, cum in eo simus ut congregationes generales in hac secunda Sacri Concilii periodo claudamus, moderatores Deo imprimis atque Deiparae, una cum Patribus, gratias imo ex corde agunt ob tot collatas gratias acceptaque beneficia. Mentem deinde suam erga Summum Pontificem convertunt, qui paterno animo, Concilii labores est prosecutus. Eique repetunt devotionis, gratitudinis et filialis obsequii sensus dum solemnia publicae sessionis, eo ipso praesidente et moderante, praestolantur.

Em.mo consilio praesidentiae, consilio de coordinandis Concilii laboribus et commissionibus conciliaribus gratias agunt quod sua opera, sapientia et navitate, moderatorum haud semper leve onus gratius effecerint.

Omnibus Patribus grates et plausus, grates egregiis peritis. Licet diversae prolatae sint sententiae, id ceterum libertas postulabat, caritas semper effulsit atque omnium desiderium ut veritas claresceret magis atque magis.

Peculiares vero aestimationis et grati animi sensus placet Moderatoribus exprimere exc.mis secretario generali et subsecretariis Concilii

[*plausus*], una simul cum omnibus secretariatus officialibus et collaboratoribus, pro immani et improbo quotidiano labore assidue, diligenter ac efficaciter praestito.

Concludimus magnam nostram considerationem et admirationem pandendo Observatoribus dilectissimis atque carissimis Auditoribus laicis [*plausus*].

Faxit Deus ut noster labor non sit inanis ante ipsum sed, quantum in nostra paucitate fecimus, in ipsius vergat gloriam, in decus atque splendorem S. Matris Ecclesiae omniumque hominum in bonum atque utilitatem! [*Plausus*].

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. III SCHEMATIS DE OECUMENISMO

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAP. III SCHEMATIS DE OECUMENISMO *

1

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

1. In pag. 20, lin. 18 dicerem: « ... moderante nemine dissentiente Sancta Sede Romana ... » loco « arbitra Sede Romana ex communi consensu ».
2. In pag. 22, lin. 9, loco verborum *saepe nimis,* dicerem *quandoque.*
3. In pag. 22, linn. 14-18: hae lineae sunt naturae summopere delicatae. Idem dicerem de linn. 18-21. Consulerem ut iterum perpendantur consulendo quoque doctos theologos. Agitur de fide.
4. Idem ac sub n. 3 dicerem de pag. 23, linn. 16-18 et 22-23 ne appareat quasi indifferens esse pertinere ad Ecclesiam et pertinere ad sectam Protestanticam.

2

EXC.MUS P. D. IOSEPH ATTIPETTY
Archiepiscopus Verapolitanus

Cap. III, n. 12, p. 20. Non videtur opportunum affirmare separationum ansam fuisse unice causas in linn. 8-11 enumeratas. Historia constat motiva minus nobilia immo et reprehensibilia etiam contulisse ad firmandam divisionem. Ne igitur historiam partialem facere videamur, mentio de causis vel ansa separationis omittatur.

Ad nn. 13-16. Optime quidem laudatur Ecclesia orientalis. Optarem tamen ut orientales etiam adhortarentur ad magni faciendum traditiones Ecclesiae occidentalis, seu ritus latini, quae etiam multos habet thesauros doctrinae et sanctitatis. Certo, « quodcumque vere christianum est, nunquam germanis fidei bonis adversatur, sed contra semper efficere potest ut perfectius ipsum mysterium Christi et Ecclesiae attingatur » (n. 3, p. 10). Utinam hoc principium ab omnibus in praxim ducatur, non tantum a fidelibus ritus latini versus orientales, sed etiam a fratribus separatis versus catholicos!

N. 17, p. 22. Principium in hoc numero solemniter enunciatum de possibilitate eamdem doctrinam diversis rationibus exprimendi veritate « sacrae

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt.

revelationis unica et integra manente », potest admitti. Sed ulterior affirmatio schematis, sc., nullam aliam differentiam quam formularum eamdem doctrinam exprimentium adesse inter theologiam occidentalem et orientalem, est minus acceptabilis. Hoc enim esset orthodoxiam omnium dogmatum orientalium asserere, quod Concilium non potest facere quin omnes casus particulares singillatim perpenderit. Schema citat locum Encyclicae *Orientalis Ecclesiae decus*; mihi tamen non apparet ulla indicatio in textu Pii XII quae probet id quod dicerem « relativismum theologicum » hoc numero schematis approbatum. Relativismus enim theologicus viam facile pandit relativismo dogmatico. Hinc, numerus iste ita corrigatur ut tum affirmatio de orthodoxia omnium expressionum theologicarum orientalium tum relativismus theologicus evitentur.

3

EXC.MUS P. D. MICHAEL BROWNE
Episcopus Galviensis et Duacensis

Hoc caput valde placet; sed sunt duae lacunae magni momenti pastoralis. Titulus capitis est « De christianis ab Ecclesia catholica seiunctis », sed loquitur tantum de orthodoxis et protestantibus: nihil de fratribus nostris seiunctis qui in atheismum lapsi sunt. Sed sunt christiani baptizati et confirmati et sacra Eucharistia refecti. Et proh dolor sunt valde numerosi.

De illis plusquam de orientalibus et protestantibus cura et sollicitudo nostra exerceri debent. Et pro hac ratione: orientales et protestantes secundum schema esse in bona fide praesumuntur: hinc salutem aeternam consequi possunt. Lapsi autem in mala fide esse praesumuntur, quia secundum doctrinam communem catholicus adultus non potest fidem amittere sine culpa sua. Sed si in mala fide sunt, in periculo aeternae damnationis sunt. Tenemur unam ovem ex centum in deserto quaerere: multo magis tenemur si sunt quadraginta vel quinquaginta ex centum. Multi episcopi in certis nationibus orthodoxos et protestantes non habent; sed possunt exercere caritatem et zelum oecumenismi erga catholicos lapsos. Omnia media oecumenismi — orationem, renovationem vitae, mutuam cognitionem, expositionem doctrinae — applicari possunt. Etiam dialogum et cooperationem socialem cum fratribus qui in communismum lapsi sunt exercere possunt, sed cum prudentia et sapientia.

Altera lacuna est de conditionibus ad unionem restaurandam cum protestantibus. In n. 18 conditiones ad restaurandam unionem cum orientalibus dantur. Sed nec unum verbum de conditionibus unionis cum protestantibus. Multum iuvabit motum oecumenismi et progressum dialogi, si conditiones has Concilium praefinire possit. De fide divina, de iis quae iure divino sunt — nempe de primatu Pontificis, de septem sacramentis, de cultu B. Virginis — nulla potest esse compromissio. Sed sunt obstacula unionis quae de iure mere humano sunt, e. g. caelibatus ministrorum, litur-

gia vernacula, nominatio episcoporum. Protestantes timent ne cathedrales et ecclesias suas tradere cogerentur, taxas et subsidia solvere, totum systema latinum accipere. Ante reformationem provisiones beneficiorum a Romana Curia magnum odium et invidiam produxerant.

In iis quae sunt de iure humano Romanus Pontifex magnam autonomiam sancire potest: utrum sit prudens vel opportunum ipse solus iudicare potest. Sed pro episcopis, qui dialogum moderari et dirigere debent, quaestio magni momenti est, num de his conditionibus ad unitatem restaurandam loquendum vel silendum sit.

4

EXC.MUS P. D. CAROLUS A. BUSWELL
Episcopus Pueblensis

Without doubt it is true that for the fruitful establishment and pursuit of "dialogue" with "separated Churches", we must accept them as they sincerely judge themselves to be. To predicate of them qualifications which they deny will only bring the "dialogue" to an early end.

With this fact in mind, therefore, and after inquiry among representative Protestants, we propose to change the wording of paragraphs 19, 20 and 21 of Section II of Chapter III of " De Oecumenismo " to correspond more exactly with present-day Protestant thought.

II. Concerning the disjoined (seiunctis) Churches (see note) of Western Provenance.

19. (The distinctive situation [propria condicione] of these churches [1]).

Because of our long sharing of traditions through earlier centuries, there is a peculiar relationship of affinity and exigency between the Catholic Church in the west and those churches [1] which were separated from the Catholic Church in the course of the successive crises which have characterized (or stirred?) Christianity since the Middle Ages.

It has been the basic intent of these churches [1] to exalt the sovereignty of God's grace, to bear witness to the revelation of His Word and Wisdom

---

[1] *Note*: If the word *ecclesiae* is permissible, this overcomes the seemingly invidious *ecclesiae/communitates* distinction of the present draft. To us it seems a permissible word since the schema as a whole maintains that by baptism all Christians are in some sense brought within the *ecclesia*, however imperfectly, and that their corporate life contains a measure of ecclesial reality. If *ecclesiae* is not permissible, Cardinal Koenig's suggestion, *communitates ecclesiales* (ecclesial communities) might be substituted. If there is manifest difficulty even with this, the more cumbersome phrase *ecclesiae vel communiones* could be employed, as a way of leaving the entire question open. But the preference of those involved in preparing this draft would be in the order stated above.

in Iesus Christ (cf. *1 Cor.* 1, 24), to proclaim that man's appropriation of the divine gifts depends utterly upon God's reconciling mercy (cf. *Rom.* 5, 11. 15-17), to receive the charism of the Holy Spirit within the koinonia of the People of God (cf. *1 Peter,* 2, 9-10), and to share their fullest communion with Christ in the sacrament of the Lord's Supper or Eucharist. Indeed, they have insisted on the activity of Christ as sole mediator to the extent that they have obscured the essential mediatorial function of the Catholic Church, and as a whole have only in recent times given expression to a growing concern for visible unity.

We wish once again to turn our attention to these churches [1] since they are joined to us by cherished and sacred bonds—viz., by their confession of the Name of Jesus Christ, by the Sacrament of Holy Baptism and by their acknowledgement of the inspiration of the Holy Scriptures. Thus they are true brothers of ours, who are striving to live by the charity of Christ.

By reason of the diversities of their origins, doctrines and modes of spirituality, they continue to differ widely among themselves and from us. Even so, we must not forget that some of them enjoy the sacramental means of grace deriving from the maintenance among them of a valid priesthood.

20. (Their confession of Christ.) It behooves us, therefore, to regard with interest and respect those churches [1] which openly confess that our Lord Jesus Christ is God and Saviour, according to the Scriptures, and, banded together, seek to manifest their common callings in Christ, to the sole glory of God—Father, Son and Holy Spirit. From this faith, with the assistance of God's unmerited grace, they gain strength for living the Christian life with generosity, fortitude and zeal. It is this devotion to Christ which led them to understand something of the Saviour's desire and call for unity among all his disciples (cf. *John* 17, 20-21).

Deeply yearning for union with Christ in the communion of His Mystical Body, they have been impelled to testify to this concern before all the world.

21. (Their zeal for Holy Scripture.) In Holy Scripture, and especially in the New Testament, they have sought to be open to God's revelation, fully manifested in His Word, *pro nobis caro factum.* Herein they contemplate the life of Christ—High Priest, Prophet, and King—together with all those things which He taught and did (cf. *Acts* 1, 1-2), and, above all, the saving mysteries of His death and resurrection (cf. *1 Cor.* 15, 3-7). Thus, Holy Scripture, the common heritage and authority of all Christians, serves as a precious means, God-given, towards that unity of all which our Saviour has promised to us and will finally bestow. Moreover, diligent study and meditation upon Holy Scripture provide an effective basis for dialogue between Christians otherwise divided.

(The rest of the chapter to be preserved intact.)

5

EXC.MUS P. D. IOANNES CANESTRI

Episcopus tit. Tenediensis, aux. em.mi Vicarii in Urbe

Pag. 23. II. De Communitatibus inde a saec. XVI exortis. In genere non placet: non est nisi elogium communitatum protestantium quod non videtur verum sine exceptione; dum silentio premitur defectus qui pro illis sequitur ex separatione: ita minuitur zelus pro unitate restauranda. Agnoscenda sunt prorsus bona quae fratres separati retinent sed etiam monendi sunt de malis status separationis ita ut excitentur magis ac magis ad illum statum mutandum.

6

REV.MUS P. D. ALIPRANDUS CATANI

Prior generalis Congr. monachorum Camaldulensium O.S.B.

In pag. 22, lin. 17, legitur: « ... methodo tamen diversa oriens et occidens ad divina cognoscenda et confitenda protenduntur ».

In eadem pagina, linea 22 dicitur *proprium* esse theologiae orientalium radicari in Scripturis, foveri et exprimi vita liturgica, operibus patrum nutriri, ad rectam vitae spiritualis institutionem et ad contemplationem tendere.

In his sententiis schema recte intendit affirmare in historia theologiae deprehendi curas et praeoccupationes diversas.

Sed accuratae veritati historicae non respondet opponere methodum theologicam Orientis et methodum theologicam Occidentis et dicere esse proprium theologiae Orientis fundari in Scripturis, in liturgia, in patribus et tendere ad institutionem vitae spiritualis et contemplationis.

In his quaestionibus Oriens non debet simpliciter contraponi Occidenti sed multo magis theologia scholastica non scholasticae sive theologia patristica et methodus theologica patristica theologiae scholasticae et methodo theologiae scholasticae. Et insuper in ipsa theologia patristica, sicut et in ipsa theologia scholastica debent subdistingui curae et tendentiae diversae non autem methodi diversi. Et explico.

Quoad modum concipiendi theologiam eiusque methodum in historia Ecclesiae tres magnae divisiones faciendae sunt secundum investigationis theologicae et diversos respondentes modos recurrendi ad fontes Scripturae et traditionis necnon ad philosophiam in theologia. Ista tria magna genera historica theologiae et methodi theologicae sunt: theologia patrum, theologia scholastica antiqua et theologia scholastica postridentina.

Genus theologiae patristicae et methodus theologiae patristicae, quoad substantiam sunt communia apud omnes patres, sive Orientis sive Occidentis.

Haec methodus in Oriente servata est etiam post aevum patrum in periodo scil. byzantina usque ad saec. XIV et XV.

In Occidente vero — et hoc est valde notandum — item continuatur per totum medium aevum, in ea quae nunc dicitur theologia monastica, usque ad triumphum theologiae scholasticae saec. XIII. Ita exempli gratia, conceptus theologiae et methodus theologiae Bedae venerabilis, Ruperti Tuitsiensis, S. Petri Damiani, S. Bernardi, Vilhelmi a S. Theodorico et multorum aliorum, non differunt substantialiter a theologia patrum et a methodo theologiae patristicae sive Orientis sive Occidentis. Et ista theologia non minus fundatur in Scriptura, in patribus, in liturgia et tendit ad contemplationem quam theologia Orientalium.

In his rebus profunda diversitas inter Orientem et Occidentem incipit solum cum scholastica.

Verum tamen est apud ipsos patres diversas tendentias et praeoccupationes hinc inde notari in perscrutandis diversis aspectibus revelationis, quamvis non diversas methodos theologiae. Ita verum est iam apud patres occidentales quasdam praeoccupationes et tendentias proprias deprehendi relate ad patres orientales, quibus tendentiis iam praeannuntiantur quaedam notae particulares totius theologiae occidentalis. Sed suo modo hoc etiam valet in Oriente, verbi gratia de alexandrinis relate ad antiochenos (quatenus in Scriptura et in ipso Christo priores magis curant de aspectu spirituali et divino, posteriores magis de littera et de aspectu humano). Et aliquid simile dici potest de byzantinis relate ad patres antiquiores.

In his omnibus sunt curae et praeoccupationes magis attendendi ad unum aut ad alium aspectum revelationis non autem sunt theologiae diversae et methodi theologiae diversae.

Conclusio. 1. Pag. 22, lin. 17: loco « ... methodo tamen diversa Oriens et Occidens ad divina cognoscenda et confitenda protenduntur », dicatur: « ... cum curis et praeoccupationibus diversis ad divina cognoscenda et confitenda quandoque Oriens et Occidens protenduntur, praesertim inde ab ortu theologiae scholasticae in Occidente ».

2. *Ibidem* pag. 22, lin. 22, deleatur vox « propriam », quia historice non est verum pertinere solum ad theologiam Orientalium radicari in Scripturis, fundari in patribus, foveri et exprimi in liturgia, nutrire vitam spiritualem et contemplationem.

7

EXC.MUS P. D. IOANNES CAPISTRANUS CAYER

Episcopus tit. Cissitanus, vic. ap. Portus Saidi

In schemate *de Oecumenismo,* cap. III, n. 15, apte loquitur de spiritualitate monastica Orientis quae, in se dives, olim fons vitae monasticae Occidentis fuit. Mentio haec efficacitate ditior evaderet, si addictione compleretur super ipsam monasticam institutionem hodierne a fratribus separatis asservatam, superque cum ipsis intercommunicationem atque collaborationem. Haec quidem coordinatio monastica quam maximum adiutorium oecu-

menismo, de quo nunc disseritur, praeberet: tum quia in Oriente vita contemplativa fere naturaliter appetitur, quae omnibus sub respectibus humana opera et illuminare et fovere posset; cum quia hierarchia, sicut patriarchae et episcopi, Ecclesiae orientalis a monachis vel praevalenter vel exclusive, prout apud coptos, constituitur. Inde infertur: si ceteri a hierarchia pendent, et si hierarchae a monachis seliguntur: neminem latet quam proficeret oecumenismus si a monachis iniatur.

Ante separationem, iam a saec. V effectam, Occidentales Aegyptum, Syriam et Palaestinam petiebant ad vitam monasticam cum orientalibus iniendam vel ab ipsis addiscendam. Nunc e converso monachi orientales, numero minuti et laboribus haud apti, proficue catholicorum humanioribus additis uterentur. Ne tamen collaboratio haec verbis tenus proponatur, necessitas instat operosam organizationem quam apprime instituendi. Personaliter ego, mea per 14 annos in Aegypto experientia fultus, tres vobis, venerabiles Patres, propositiones praeberem.

1. Propositio prima monachos *Montis Sinai* respicit. Mons sanctus est Sinai, ubi Deus ipse Moysi locutus est, ubi Deo quamplures sancti locuti sunt, ubi defluentibus saeculis monachi coenobium thesauris ditaverunt. Pervetusta Basilica cum adnexo protomonasterio S. Catharinae, inaestimabiles picturae, ingens pinacotheca, perdives bibliotheca, archivium innumeris pretio excedentibus manuscriptis ditatum, perplurima monasteria hic illic per oases distributa: haec omnia insimul, sicut scitis, christianam haereditatem in Sinai constituunt. Horum omnium custodes monachi graeci orthodoxi sunt. Ipsi vero, proh dolor!, numero pauci sunt et cultura pauperes. Et quidem pedetentim pauciores fiunt. Abhinc sex annos residentes 17 erant; hodie 10 tantummodo manent. Neque novitii adsunt qui accurrent. Ita quod, tempore quam brevi, irreparabilis perditio incumberet. Iam enim omnia monasteria, per oases condita, vacua monachis inveniuntur: beduinis cultoribus locata. Ne eadem tam nefasta sors super praestantius monasterium S. Catharinae instet, ad tot thesaura in saeculis cumulata irreparabiliter amittenda, duo ego proponerem: 1. Ut commissio constituatur, quae negotia agens cum Porfirio III, Sinai archiepiscopo et in civitate Cahirae residente, ipsi catholicorum auxilium offerat. 2. Deinde unum vel alterum monasterium, vacuum in oasibus situm, monachis catholicis ut locetur, qui pietatem illic colerent, atque studia super monumenta in protomonasterio S. Catharinae asservata peragerent.

2. Propositio secunda monachos *Montis Athos* attigit. Prout omnibus innotescit, hoc ipso anno a primo condito monasterio super Montem Athos festum millenarium celebratur. Anno enim 963, tamquam Montis Sinai dilatatio, monachus Anastasius illic vitam monasticam instauravit. Actualiter 20 circiter monasteria, confoederatione colligata, ibi inveniuntur. A monachis orthodoxis graecis, russicis, rumenis, bulgaris et slavis inhabitantur. Tamen, sicut Mons Sinai, ita et Mons Athos, qui olim insignis spiritualitatis cunas constituit, nunc quotidie citius occidit. Quaedam enim ex coenobiis, quae

antea plus quam 50 monachis hospitium praebebant, hodie tres vel quatuor incolas detinent. Hoc quidem evenit: vel ratione solitudinis, haud acceptae ab hodiernis iuvenibus; vel potius ab interruptione russorum affluxus, qui olim, absque adstantibus politicis conditionibus, numerosiores emittebant vocationes. Igitur, sicut pro Monte Sinai, ita et pro Monte Athos Concilio proponere vellem ut aptior inveniatur forma, quae et adiutorium et collaborationem faveret. Secretariatus Unionis, e. g., vel directe vel mediantibus Observatoribus, negotiationes cum Ecclesiis, quibus praefata coenobia concredita sunt, possibiliter iniret. Inter catholicos monachos absque dubio invenirentur qui huiusmodi oecumenismi genus libenter optarent.

3. Tertia tandem propositio, quae et praecedentes faciliores redderet, haec est: *monasteria catholica erigere* ubi olim in Oriente floruit vel adhuc exstat monachismus. Propositionem hanc in Aegypto, exemplaritatis causa, definio. Tam numerosa olim erigebantur monasteria in aegyptiacis desertis ut, teste S. Ioanne Chrysostomo, monachi et sacrae virgines divinas laudes in terra angelorum laudibus in caelo coaequarent. Ex centenis monasteriis plurima et nunc manent, tamen vel vacua vel diruta. Octo tantummodo a monachis incolantur. Cur non ex ceteris unum vel aliud a religiosis catholicis, orientalibus vel occidentalibus, restituitur ad vitam monasticam? Quamplurae, ut puto, ex huiusmodi restitutione profluerent utilitates: 1. *Pro ipsis monachis,* praesertim longaevis qui, ab universis catholicis fidelibus adiuti, climate experirentur et valetudini et ascetibus ascensionibus favorabili. 2. Deinde *vita monastica,* olim tam praeclara, sua existentia ulterius incrementum daret. 3. Tandem *oecumenismus* valde proficeret si monachi catholici, exemplo vel directa instructione, monachos orthodoxos dilectionem, vividiorem spiritualitatem et laborem, nostris temporibus apta, docerent. Ars typographica, librorum refectio, manuscriptorum restauratio, institutio bibliotheconomica, agricultura, deserti redemptio: haec omnia utiliter orationem in monasterio comiterentur. Et tandem, mediantibus monachis, super ceteros christianos opere vitalis influxus exerceretur.

Nihil aliud. Faxit, venerabiles Patres, Concilium ut oecumenismi conatus per monachismi viam ad uberiorem frugem perveniat.

8

EXC.MUS P. D. ALOISIUS GONZAGA DA CUNHA MARELIM
Episcopus Caxiensis in Maragnano

Pag. 25, n. 24. Notandum est quod multum differt conditio sectarum protestantium, quae in America latina vigent, maxime in Brasilia, quia cum magno proselytismo agunt, aliquoties praedicant in plateis, emissarios mittunt de domo in domum, non solum in civitatibus sed etiam in pagis, ad substituendam fidem catholicam per fidem protestanticam, evangelizando suo modo iam evangelizatos. Cum istis fere impossibilis evadit oecumenismus.

9

EXC.MUS P. D. PAULUS DALMAIS

Archiepiscopus Arcis Lamy

Laudandum est schema tractasse de Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione, et hoc capitulum in duas partes dividisse. Attamen super secunda parte quae attinet ad communitates inde a saec. XVI exortas, hanc animadversionem facere vellem: Non est secundum veritatem historicam et theologicam de Ecclesia sic dicta « Anglicana » tractare eodem loco et eodem pondere quam communitates protestantes. Omnes scimus Ecclesiam anglicanam in honorem habere multa elementa vitae ecclesiasticae quae protestantes respuerunt: v. g. Sacramentum Eucharistiae, Sacrificium S. Missae, presbyteratum et episcopatum etc. Ideoque propono ut de anglicanis loquatur in loco proprio.

[*Subscripserunt etiam*] Louis Gaumain, év. de Moundou; M. Bernard, arch. Brazzaville; I. B. Fauret, év. de Pointe-Noire; I. I. Adam, ep. Liberopol.; I. Wolff, arch. Diego-Suarez; Henri Véniat.

10

EXC.MUS P. D. IOANNES B. DA MOTA E ALBUQUERQUE

Archiepiscopus Victoriensis Spiritus Sancti

Uno ductu intuitu aliqua ad caput tertium huius schematis adnotandum ut magis rerum Ecclesiae circumstantiis in nostris regionibus aptetur, liceat mihi pauca animadvertere.

Schema nostrum eo tendit ut Ecclesia catholica nedum reconciliationi christianorum obstet, eisque potius faveat, seseque apparet et digna reapse existat gratia desideratissima unionis. Sub hoc aspectu quae dicuntur de positivis valoribus communitatum christianarum non catholicarum optima videntur, et maxime necessaria dicenda. Re quidem vera, pro maxima parte fidelium, praesertim in terris traditionaliter catholicis, acatholici non ut fratres dignoscuntur, sed ut haeretici et schismatici formales, ac si actu proprio et personali fidem et unionem reiecerint in quo et peccato vivent. Admittitur, sane, eorum aliquos, per accidens autem et rarissime quidem in bona fide versari. Generatim fideles nostri, ut plurimum, dari non posse apud nos acatholicum bonae fidei existimant.

Huiusmodi falsa cogitandi ratio originem ducit suam ex modo qua catechistae rem infantibus explicant. Si ambigue vel erronee loquuntur catechistae eos qui docent vel errore laborant vel de hac re non loquuntur. Interroganti, enim, catechistae, quinam sint haeretici, respondent infantes: qui veritatem fidei negant, uti, e. g., protestantes. Quaerenti iterum catechistae

quinam sint schismatici, respondent infantes: qui Papae oboedire renuunt, ut sunt orthodoxi et protestantes. Nullo ergo facto discrimine inter haereticum formalem et materialem, inter eum qui voluntarie a fide defecit et eum qui nullatenus fidem negavit quia apud non catholicos natus est, in mentem infantium ingerunt falsam notionem, quod acatholici omnes, eo ipso, formaliter haeretici essent. Tamen schema nostrum praeclare asserit: « illi vere fratres nostri cum caritate Christi vivere valent et supernaturalibus donis elevari possunt ». Quod certe, censeo, pluries evenit.

Sed quod molestius fertur est modus loquendi ipsius Codicis Iuris Canonici, qui huic mentalitati indulgere videtur. Nam can. 1149 permittit benedictiones impertiri « etiam acatholicis *ad fidei lumen obtinendum* ». Videtur Codex acatholicis simpliciter fidem negare. Insuper can. 987 prohibet quominus sacros ordines recipiant filii acatholicorum « quamdiu parentes in *suo errore permaneant* ». Ut patet, nativitas ex parentibus acatholicis apparet tamquam peccatum originale quod ne per baptismum quidem abluitur, totamque vitam commaculat.

Denique loquitur Codex indistincte de conversione, abiuratione, et abnegatione acatholicorum quasi necessario in eodem statu versarentur ac pagani, apostatae et formales haeretici et schismatici. Talibus aliisque loquendi modis subiacet falsa opinio, acatholicos, videlicet, Ecclesiam catholicam ingredientes totaliter debere respuere christianismum quem antea ab infantia professi sunt.

Haec omnia longe distant ab illis quae SS. Pontifex Ioannes XXIII dixit de Elisabeth Anna Seton. En verba Pontificis: « La novella Beata, come può dirsi di altri beati del secolo decimonono, giunse al cattolicesimo *non attraverso la rinnegazione del passato,* ma piuttosto come a meta provvidenziale di studio, di preghiera, di esercizio di carità a cui la preparava tutto l'orientamento della vita precedente. Un passo dopo l'altro, essa si trovò in seno alla Chiesa cattolica; fu per lei *un arricchire il patrimonio che già possedeva,* un aprire lo scrigno chiuso che stava nelle sue mani, un penetrare nella conoscenza della verità piena, presso la cui dimora essa si era sempre trovata sin dai giovani anni » (*L'Osservatore Romano,* 18-19 marzo 1963). Vox vero populi tunc temporis, eadem ac apud nos nunc temporis falsa imbuti sententia, haec erat prout in documento beatificationis legitur: « Haec mulier, nisi foret haeretica, esset sancta dicenda ».

Unde concludo humiliter petens ut modo aliquo innuatur acatholicos utpote extra Ecclesiam catholicam natos generatim in bona fide versari.

Et nos quidem, fratres carissimi, operam veri pastoris Ecclesiae Christi faciemus si errorem istum circa protestantes et schismaticos explicationibus secundum rerum veritatem erradicaverimus; si post tot pulcherrimas de oecumenismo disceptationes clero et populo nobis concreditis ostenderimus protestantes et schismaticos fratres, seiunctos quidem, sed vere in Christo fratres esse.

11

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Animadversio praevia. Intentionem et momentum oecumenicum huius capituli bene intelligimus et adprobamus. Ut exc. relator optime explanavit, importat « basim communem quaerere, in qua dialogus incipi potest ». Sed quia haec basis est quid valde complexum, oportet caute procedere in aestimatione. Animadversiones nostrae ad hoc tantum intendunt, ut elementa certa affirmentur, dum dubiosa ad indagationes peritorum mandentur. Sic speramus capitulum adhuc utilius ad dialogum oecumenicum fore.

Nn. 19-24, pp. 23-25. *Animadversiones generales.* Utrum talis tractatio ad Concilium pertineat, valde dubitatur. Nam agitur de sensu eventuum historicorum. At de re historica iudicia tantum probabilia dari possunt, quia ex natura sua sunt contingentia, complexa et saepe saepius ambigua, ita ut interpretatio eorum non possit esse certa, neque certitudine scientifica, neque certitudine fidei.

Idem dicendum est de iudicio quoad valorem harum communitatum. Certum est hunc valorem in multis animis dari sed qualis sit, hoc est Dei secretum.

Ex altera parte, situatio separationis, si ad Dei propositum refertur, est quid anormale. Clare oporteret dicere Ecclesiam, dum valores positivos agnoscat, de elementis quae in his communitatibus desunt, valde dolet, quia ex voluntate divina sunt media ad plenitudinem sanctitatis quae est finis omnium; quae media sunt sacramenta et sacrificium eucharisticum et plenitudo Revelationis prout recte a Magisterio interpretatur. Sin, ex nostra culpa, fratres separati bona fide putent se omnia habere quae ad vitam plene christianam sunt necessaria. Quod caritatem simul ac veritatem offendit.

Animadversiones quoad particularia. Nn. 19, linn. 14-18 deleantur, quia non videtur quomodo sensus verus transcendentiae divinae ad negationem operis divini conducere potest.

Lin. 20, « nobiscum » non est clarum: agiturne de catholicis empirice sumptis vel de mysterio Ecclesiae, ad quam aliquomodo pertinent? N. 21, caute de Scripturis loquendum est. Nam nonnulli eius inspirationem non agnoscant, cum dicant viros apostolicos verbum Dei iam interpretatos esse.

Linn. 10-11, « medius ... ad dialogum instaurandum ». Formula est ambigua. Nam Scriptura non est medium cuius dialogus, quae est res humana, esset finis. *Sensus* Scripturae habetur quando a Magisterio Ecclesiae explicatur. Textus aequivocat, quia confundit *devotionem* realem erga Scripturam (lin. 14) et *doctrinam* Scripturae, quae non sine authentico Magisterio erui potest.

N. 23, lin. 32, idem dicendum de « Scripturarum acceptione ». Scriptura re vera accipitur quando cum suo vero sensu accipitur, quod non potest

in omnibus dari sine Magisterio Ecclesiae. V. g. character hierarchicus Ecclesiae vel sacrificium Missae continentur in plena acceptatione Scripturae. Littera nihil est sine suo sensu.

Pag. 25, linn. 6-10, de quibus agitur? Si de sic dictis Liberalibus, textus dedecet, cum Christum in suo mysterio negant eumque sicut Buddha tamquam virum religiosum illustrem considerent. Addendum est baptismum de necessitate salutis esse, saltem sub forma baptismi desiderii. Quid putandum si Concilium hoc momentum baptismi minimizare videtur? Hoc non esset amare errantes sed in errore quasi confirmare.

Conclusio. Textus brevior reddatur. Haec possunt conservari: p. 23, n. 19, linn. 8-13, n. 20, lin. 29, lin. 3, p. 24, n. 22, et conclusio, n. 24, p. 25. Attamen lin. 15, addendum: inter christianos, *sub ductu Pastorum* ...

12

EXC.MUS P. D. IOSEPH DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

Multum mihi displicet quod in ultimo schemate *de Oecumenismo,* die 22 mensis aprilis 1963 edito, non inveniuntur quae in vetere schemate *de Ecclesia et de B. M. Virgine,* — die 10 mensis nov. 1962 edito, in cap. XI « de Oecumenismo » — declarabantur, pag. 84, sub n. 54, « De communione in Sacris liturgicis » a lin. 35 ad 41, et pag. 85, a lin. 1 ad 25.

Quare, propono Commissionis Patribus ut addantur in ultimo schemate de Oecumenismo, opportuniori loco in fine cap. III, istae duae paragraphi:

1. Cum approbatione episcopi, pro loci atque temporis adiunctis, et omni scandalo remoto, liceat communionem habere in sacris liturgicis cum non catholicis.

2. Ut matrimonia mixta coram ministro acatholico contracta, positis cautelis, et approbante episcopo non sint declarata invalida.

Patres rev.mi, quando iudicio episcopi non instat periculum irenismi aut indifferentismi, optandum est ut non destruamur factis recti oecumenismi vota et conatus!

13

EXC.MUS P. D. PATERNUS NICOLAUS IOANNES CORNELIUS GEISE
Episcopus Bogorensis

1. Pag. 20, 7 sermo fit de ansa separationum. In hoc contextu opportunum videtur loqui etiam de deficiente comprehensione et caritate ex utraque parte. Et quia hic agitur de Oecumenismo Ecclesiae catholicae, imprimis culpa propria (et non aliorum), non tantum in ritu, sed etiam in perduratione schismatum confitenda est. Papa Paulus VI nobis exemplum dedit. Congruum videtur Concilium in hoc schemate sequi exemplum Papae.

Fere impossibile est loqui de ansis et causis separationum sine ulla confessione culpae propriae. Hoc etiam valet quoad separationes inde a saec. XVI ortis.

Confessio autem culpae locum aptum oportet habere in textu. Ergo commendatur commissioni, ut videant, quomodo haec culpae confessio modo apto in textu inseri possit.

2. Concilium se abstineat ab omni iudicio de Ecclesiis (et Communitatibus) a nobis separatis, quod non omnino et sub omni respectu realitati correspondet. Hoc specialiter valet pro communitatibus inde a saec. XVI exortis. Est enim realitas valde complexa et certe in schemate de Oecumenismo nihil dici debet, quod iniustum vel offensivum potest esse pro aliis. Ratio etiam habeatur evolutionis in istis communitatibus, praesertim ultimis temporibus non sine influxu dialogi oecumenici.

E. g. pag. 23, 16 « ... hoc tamen principium eo usque prementes, ut ad negationem mediationis essentialis Ecclesiae perventum sit ». Numquid hoc sub omni respectu valet pro istis communitatibus, etiam in theologia actuali? Numquid mediatio ab illis omnino negatur, etiam in praxi harum Ecclesiarum? Adest certe mediatio per praedicationem Verbi Dei. Forsan aliis verbis tamen ex parte aliquam mediationem (etiam essentialem) non tantum admittunt, sed etiam confitentur (cf. *Emendationes,* n. 172).

N. B.: *Ad 1*: 24 episcopi Indonesiae consensum praebuerunt; *ad 2*: omnes consensum praebuerunt (30).

14

EXC.MUS P. D. IOANNES VILLELMUS GRAN
Episcopus tit. Raphiensis, coad. c.i.s. Osloensis

Par. 22 (pag. 24, lin. 18). Formulatio potius sic efficitur: « ... homo vere Christo incorporatur crucifixo et glorificato, membrum Corporis Christi efficitur, atque in vitae divinae consortium regeneratur, ... » (cf. *Eph.* 3, 6). *Ratio*: multi quidem christiani, sive catholici sive acatholici, desiderant ut tandem aliquando exprimatur haec veritas ab Ecclesia catholica.

Quando A. card. Bea Hafniae locutus est (ian. 1963) auditor quidam expresse interrogavit si « fratres seiuncti » a nobis catholicis considerantur ut veri cristiani, id est, ut membra Corporis Christi. Respondit em.mus cardinalis: « Hoc certum est, ut patet ex his quae iam dixi ».

Litt. Encycl. *Mystici Corporis Christi* circa hanc quaestionem non sat clare loquuntur; sed quia card. Bea saepe in locutionibus suis in favorem sensus univoci incorporationis valide baptizati, etiam extra Ecclesiam catholicam, in Corpus mysticum Christi sese exprimit, oportet ut Concilium Vat. II clare et distincte id affirmet — secus fratres seiuncti certo certius mirabuntur.

[*Subscripserunt etiam*] Olaf Ioannes Smit, ep. tit. Paral.; Theodor Suhr, ep. Hafniensis; Iacobus Mangers, ep. Osloensis.

15

Exc.mus P. D. LECH KACZMAREK

Episcopus tit. Alienus, aux. Gedanensis

Sequentes animadversiones humiliter proponere mihi liceat. Auctores relationis super praedictum schema, valde quidem sapienter atque sagaciter sublineasse necessitatem dialogi et quidem caritativi cum fratribus separatis ineundi.

Omnino verum esse puto non sufficere ut catholici veritatem proponant sed oportet ita proponere ut ea tamquam veritas sensu genuino percipi possit.

Certo vitandus est etiam accentus polemicus in colloquiis cum fratribus separatis.

Tamen enixe petere audeo ut in componendo Directorio circa modum agendi clare nihilominus in lucem ponatur factum haud paucas dissentiones inter catholicos ac fratres separatos nostri aevi originem sumere non tantum ex vera diversitate doctrinae sed etiam ex *falso intellectu doctrinae catholicae,* ibique reponendam esse fontem saltem plurium dissentionum.

Proinde clare notiones de Christo Domino eiusque Ecclesia omni tamen cum caritate propositae, valde opportunae essent in praedicto Directorio praeparando. Hae animadversiones fundantur in experientia plurium collocutionum, quas personaliter ipse cum istis hominibus habebam.

Aliis verbis, sana quaedam species intellectualismi catholici magnam meo humili iudicio partem habere posse in dialogo cum fratribus separatis perficiendo, salva utique semper caritate et secluso quocumque accentu polemico.

16

Exc.mus P. D. IULIUS GEORGIUS KANDELA

Archiepiscopus tit. Seleuciensis pierius, aux. Antiochenus Syrorum

Ad magis aperiendam fratribus nostris seiunctis viam unionis meliori faciliorique modo, propono iudicio Patrum venerandorum huius Concilii meam humilem opinionem, cui praemitto verba ab omnibus lecta:

In schemate decreti *de Oecumenismo* pag. 20, par. 12, lin. 1, sic legitur: « In unitate christianorum fovenda, haec Sacrosancta Synodus condicioni Orientalium specialem debitamque adhibere considerationem opportunum esse censuit... Ut ex historia constat separationum ansam praebuerant formae modique diversi quibus *hereditas ab Apostolis* accepta est, quique inde ab ipsis Ecclesiae primordiis hic et illic varie explicati sunt, ratione diversi ingenii ».

Praeterea in pag. 2, lin. 13, additur: « Quae supra de *legitima* diversitate in rebus liturgicis dicta sunt, eadem placet Sacrosanctae Synodo etiam

de diversa theologica doctrinarum expressione declarare ... ita ut variae illae theologicae formulae potius inter se *compleri dicendae sint* quam discrepare ».

Denique « haec Sacra Synodus in memoriam revocat ad communionem instaurandam opus esse nihil ultra imponere oneris quam necessarii. Oportet etiam ad naturam relationum, intendere quae inter Ecclesias orientales et Sedem Romanam ante separationem vigebant, ex quibus officium Romanae Sedis, cuius est praesidere in caritate insigniter elucebat ».

Ex allatis ergo innotescit, nihil existere in doctrina orientali, sicut olim sic hodie, quoad authenticum sensum intellecta, quod ansam praebet separationis, et consequenter excommunicationis, quae adhuc viget et permanet in Ecclesia Matre et Magistra, contra nostros fratres materialiter tantum seiunctos.

Patet igitur fratres orientales separatos — praesertim vero mulieres, puellae, pueri ac viri analphabetae, qui vel nativitate, vel ignorantia insuperabili laborant maxime in argumentis subtilis doctrina vel dogmatibus fidei non necessariis necessitate medii ad salutem, ideoque in separatione permanent — non esse condemnandos vel subiiciendos excommunicationibus latae sententiae promulgatis contra haereticos et schismaticos; fratres enim orientales tum orthodoxi tum iacobiti, copti, armeni non negant, formaliter ullum dogma, et — more meo iudicandi — fratres isti aequiparari deberentur millibus millium analphabetarum, puerorum, mulierum catholicorum qui numquam formaliter actum fidei emiserunt super dogmata recenter promulgata, verbi gratia, super dogma infallibilitatis Summi Pontificis. Praedicti fratres omnes credunt in primatum sedis patriarchalis et Supremae. A primis saeculis diem festum Assumptionis Matris Dei agunt, etc.

A primis saeculis usque in hodiernum diem, Syriani iacobitae, exempli gratia, — e quibus habemus breviarium nostrum — non desinunt in laudibus efferendis Sedem patriarchalem Petri eiusque successorum canere. Sicuti et nos, ita et illi habent in praedicto breviario, feria sexta veritatem primatus Sedis Romanae semper canentes, Romam anteponunt aliis sedibus patriarchalibus. Sic dicunt, et nos dicimus: « Crux Filii Dei, quam Iudaei sepelierunt, elata fuit hodie usque ad fines terrae. Ierusalem destructa fuit quia in illa, Filius Dei crucifixus est; et ecce *Roma* — imprimis — Syria, Aegyptus crucem Christi adoraverunt quia ab idolorum cultu salvavit (liberavit) eos ». Quam stropham testimonium esse firmissimum et certissimum antiquissimae huius confessionis adhuc vigentis, nemo non videt.

Ex omnibus ergo argumentis constat eosdem fratres — vel saltem nonaginta quinque ex cento — materialiter tantum esse separatos, quum ullum dogma illorum fidei propositum, formaliter negaverint, sicut ex historia ac theologia illustrare licet. Cur ergo poenis ecclesiasticis omnes indistincte ac globaliter plecterentur et poenis affecti manerent propter paucos — quinque ex cento — tantum delinquentes?

Quamobrem mihi liceat humiliter proponere venerandis Patribus conciliaribus ut a Summo Pontifice postuletur ut excommunicatio latae sententiae ac specialiter reservata sua auctoritate abrogetur in Codice Iuris Orientalis in partem nondum promulgata « de poenis ecclesiasticis » quum agitur de fratribus orientalibus materialiter tantum separatis. Hac insuper ratione sublatum extabit et impedimentum mixtae religionis et cum impedimento tot ac tanta problemata vitae socialis communitatum christianarum secum viventium auferentur.

Opinor istam relaxationem legis poenalis Ecclesiae, non esse veram relaxationem, sed quamdam restaurationem, iuxta praedicta, quum Deus velit omnes credentes salvos fieri atque non plectat poenis latae sententiae delicta non commissa, vel omissiones ob ignorantiam invincibilem factas; insuper opinor istam relaxationem auferre pariem quod excommunicatio erexit inter duas Ecclesias sorores credentes unam fidem, unum Dominum, unum Baptisma, sicut pulcherrime argumentatus est Pater generalis Athanasius Hage. Existimare audeo Ecclesiam catholicam, non modo iacturam ullam passuram fore ob hanc relaxationem, immo dierum annorumque decursu hanc agendi rationem atmospheram creabit pacis et amicitiae christianae, quae opitulante Dei gratia, fovebit unionem tam desideratam a Iesu Christo et a populo christiano, nam ut ait S. Thomas: « bonum est magis actuosum quam malum »; praeterea difficillime praesumitur hodie globalis unio separatorum cum Sancta Petri Ecclesia.

Spes vero certa habetur Concilium istud, in quod christianorum oculi et corda convertuntur, semen caritatis et reconciliationis in cordibus omnium seminando, in animis christianorum novae generationis uberes fructus daturum.

17

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 21, art. 15, linn. 25-35. Haec paragraphus veram exprimit laudem de Ecclesia Orientis catholica. Non vero apparet qua ratione dici valeant de Ecclesiis Orientis seiunctis, de quibus caput agit.

Pag. 22, art. 17. Idem ac supra dicendum videtur.

Pag. 23, lin. 2. « Cuius est praesidere in caritate », sed praesidere *cum iurisdictione ...*

Pag. 25, lin. 12. Post particulam « ut » petimus addatur « a periculis deviandi a fide sese praemuniant ac simul a quavis ... ».

18

EXC.MUS P. D. URBANUS M. PERSON

Episcopus tit. Cymaeus, vic. ap. Hararensis

1. In primis oportet ut concordiam et unitatem in domo nostra confirmemus, v. g. inter clerum saecularem et regularem, inter diversos Ordines religiosos, inter catholicos aliorum rituum. Ad hunc finem necesse est in lucem proferre ea quae nos coniungunt (quae sunt fere omnia), et neglegere ea quae nos separant (quae sunt fere nulla).

2. Post amicam collaborationem cum diversis ritibus per annos triginta primo in India deinde in Aethiopia protractam, aliqua monita de hoc argumento exponere vellem.

3. Sub hoc vocabulo « ritus » includuntur varia elementa, quae, etsi nolimus confiteri, verae causae sunt aemulationum exsistentium; in primis quaestiones de re politica et nationali, nonnumquam etiam de ambitione personali. Inde consequitur ut controversia de ritibus non sola ratione fiat, sed commixta sit cum animi affectibus et perturbationibus seu passionibus.

4. Curandum est ut divisiones iam existentes non fiant graviores, deinde ut illa quieta quae sunt, ne moveantur. Omnes hae de ritibus quaestiones in loco et situ solvendae sunt; periculum est, ne decretum a Concilio auctoritate datum graviores reddat.

5. Sed Concilium multum conferre potest ad eas si non solvendas, at saltem mitigandas, et quidem indirecte: *a*) Ecclesiae sensum profundum, qui nos unit, in omnibus augendo, quo fiet ut differentiae quae nos separant, minuantur; *b*) usus communis linguarum popularium multum valet ad ritus qui in eodem territorio inveniuntur inter se approximandos; *c*) Conferentiarum Episcopalium institutio obligare debet episcopos diversorum rituum in eodem territorio exsistentium ad conveniendum in unum, ut de quaestionibus pastoralibus communibus una deliberent.

6. Non desunt quae dicant, ritus latini in Oriente praesentiam obstaculo esse colloquio cum orientalibus. Ego non ita credo; et certissime non erit obstaculo, cum ritus latinus ritus populi evadet per ordinatum linguae popularis usum.

7. Sunt etiam quae dicant, Ecclesiae unitas esse quasi pontem inter nos et orthodoxos positum. Optandum quidem est ut id verum sit; sed saepe saepius illae sunt potius murus diffidentiae quam pons unionis. In his casibus ritus latinus servire potest ad oppositiones attenuandas; dummodo tamen Ecclesia latina in ultimo loco remanere atque inter alias solo apostolico zelo et caritate excellere curet.

8. In quibusdam regionibus, praecipue in Aethiopia, clerus Ecclesiae separatae plenus ac refertus est praeiudicatis opinionibus contra Ecclesiam catholicam, ideoque in praesentiarum colloquium cum illis clericis institui nequaquam potest; laicis vero doctrina instructi apertiores sunt, et colloquium seu dialogus inter laicos potius fieri deberet.

9. Vitae nostrae et vestis nostrae ratio, simplicior facta, valeret etiam ad colloquium facilius reddendum. De hac simplificatione multus sermo fuit in Concilii interventibus, et non est cur in hac re iterum insistam. Sed iis quae dicta sunt, addi fortasse potest usus dominicus stemmatum cum propria inscriptione (« devises et blasons »): ut dioecesis proprium stemma et inscriptionem habeat, transeat, sed non apparet cur unusquisque episcopus sua propria habere debeat.

19

EXC.MUS P. D. BENEDICTUS PRINTESIS

Archiepiscopus Atheniensis

Unitas (unio) Ecclesiarum localium Orientis in fide et doctrina cum tota Ecclesia Christi iam per multa saecula exstitit, licet eodem tempore diversitates in expressione Mysterii Fidei, non autem contradictio, haberentur.

Diversitates istae multis ex causis et elementis subiectivis originem ducentes (mens, indolis, cultura, philosophia, lingua etc.) quin Ecclesiam disiungant, valorem suum, verum etiam splendorem acquirunt et praebent.

Hac sub consideratione caput nostrum III, pars I, diversitates in liturgia, spirituali traditione, disciplina, dogmatica expositione etc. Ecclesiarum Orientalium in relatione cum Ecclesia Occidentis bene exponit, tamen, Patres conciliares, breves et humiles animadversiones facere mihi liceat.

Textus noster quam bene de disciplina, spiritualitate etc. Ecclesiarum orientalium loquitur, nullum tamen sermonem de Ecclesiologica expositione earum facit, dum Ecclesiologia maximi momenti est, post tot vestras interventiones in capite de Ecclesia, parte I, ubi Sacramentalitas munerum episcopi quam clare exposita fuit et omnis iuridica expressio, quam Oriens non intelligit, auferta est.

Ecclesiologia orientalium Sacramentalis est, cum omnis potestas, omne munus episcopi ex ipsa Consecratione (*Chirotonia*) eiusdem provenit et quidem in unione indissolubili cum Eucharistia omnes cum Christo uniens, eos sanctificans et ad plenitudinem vitae Christi ducens. Chirotonia in unione cum tota Ecclesia episcopum successorem Apostolorum facit, omnia munera ei in Ecclesia et pro Ecclesia praebet ad populum spiritualiter generandum et ad plenitudinem vitae ducendum, unde Sanctus Ignatius scribebat: « ubi Ecclesia ibi episcopus et ubi episcopus ibi et Ecclesia ».

Votum meum est ut breviter sed clare de Ecclesiologia orientalium Ecclesiarum sermo in capite nostro fiat.

Clariori modo dici debet, doctrinam, quam textus noster exponit, patrimonium Ecclesiae orientalis unionem habentis cum tota Ecclesia Christi fuisse et quam doctrinam etiam Ecclesias orientales disiunctas habuisse et nunc consequi. In textu nostro non clare dicitur utrumne verba « Ecclesiae orientales » ad Ecclesias orientales unionem colentes aut ad Ecclesias orien-

tales disiunctas pertineat, verum etiam ambabus tribui videtur, quod certe confusionem aliquam gignere videtur. Textus magis organice praesentetur, ne eadem principia iterum repetantur. Amoveatur vero ab eo quidquid nos in quaestionibus et factis historicis miscere posset, quae certe separationem in decursu saeculorum ex adiunctis temporum et aliorum elementorum praeparaverunt. Sua Beatitudo Patriarcha Athenagoras in colloquio mense iulio elapso habito dicebat: « Nobis non licet saecula elapsa in mente habere aut de ipsis loqui; si vero aliquando hoc fecerimus, tantum ad plorandum de illis hoc erit; cogitemus de praesenti et de futuro; relinquamus monologum et dialogum incipiamus; theologia una est, quamvis theologi quoad expressiones multi sint ». Unde in n. 16, lin. 9, verba « quae saepe nimis servata non est » e medio auferatur, ne, dum veritatem affirmare volumus, ansam tamen recordationis infelicium historicorum factorum praebeamus, quod certe dialogum nullatenus adiuvat. Haec Sacra Synodus caritatem et unionem colere satagit et vult, feliciter vero regnans Summus Pontifex, Paulus VI, spiritum magnanimitatis christianae una pro semper personaliter expressit et declaravit.

N. 17. Studium Patrum orientalium verum etiam spiritualium Auctorum quam perutile et absolute necessarium est, tamen in se ipso incompletum erit, nisi profunda cognitione variarum conditionum localium integretur, quae ut secundarium quid deputari non licet, ne aliter littera spiritum occidat. Hae conditiones non ubique eaedem sunt, sed pro unaquaque regione differunt.

Pro Graecia loquor, cognosci oportet:

Indolem populi, qui extraneo viro non semper fiduciam habet.

Facta historica, quae in decursu temporum advenerunt et quidem tam obiective quam etiam quoad subiectivam conceptionem apud populum.

Relationes intimas, quae inter Ecclesiam et Statum Civilem vigent; sunt etenim duae Potestates parallelae, sed in plurimis inter se non conveniunt quamvis una ab altera pendeat. Nemini fugiat, ex conceptione theocratica byzantina, munus iurisdictionis plus minusve a munere docendi separatum esse.

Statum iuridicum Ecclesiae catholicae, ne aliter damnum Ecclesiae ipsae feratur. Statum ipsum iuridicum, qui ex Baptismo emanat, pro variis actibus, v. g. pro catechesi, pro matrimonio.

Christianas organizationes, quae a monacis diriguntur, quam magnum influxum in populum habent; quem influxum ipsi quoque episcopi Ecclesiae orthodoxae vilipendere non audent, neque contra illas aperte agere valent.

Propter has et alias causas nemini de quaestionibus Ecclesiarum orientalium relationes vel opiniones proprias scribere aut in diariis publicare permittatur, nisi vere peritus in ipsis fuerit et prius Ordinarios loci viderit et consultaverit; aliter periculum est, ne Ecclesia et dialogus ipse damnum patiatur, quod pluries accidit.

20

EXC.MUS P. D. VICTOR IOSEPH REED
Episcopus Oklahomensis et Tulsensis

Quia conscientiae quorumdam catholicorum perturbantur circa quaestionem participandi in dialogo oecumenico, opportunum videtur de hac materia tractare. Dialogus oecumenicus iuxta normas episcopi localis initus inquietudinem conscientiae causare non debet. Difficultas autem oriri potest si scopus dialogi non bene intelligitur, ita ut dialogus cum evangelizatione confundatur.

Tum dialogus oecumenicus tum evangelizatio important munus « testificandi » (marturein) verbo et opere veritati Verbi Dei. Sunt tamen duae diversae species « testificandi » ex eo quod finis utriusque diversus est. Generatim dialogus oecumenicus locum habet inter christianos diversarum religionum, et consistit in testimonio quo directe intenditur, in spiritu caritatis fraternae, patrimonium spirituale alteriusutriusque fidei christianae indagare et intelligere. Ex altera parte, evangelizatio consistit in testimonio quo directe intenditur conversio alterius partis ad propriam fidem christianam. Dialogus igitur oecumenicus et evangelizatio diversae sunt, et confundi omnino non debent.

In utroque, libertas conscientiae individualis prorsus necessaria est. Immo, distinctio inter evangelizationem proprie dictam et proselytismum fundatur praecise in hac libertate personali. Dum « evangelizatio » libertatem arbitrii individui semper aestimat et potius innitatur attractioni spirituali Verbi Dei ad fidem et conversionem in subiecto procurandam, « proselytismus » motivis indignis utitur quae blandiuntur necessitatibus mere humanis vel quae ad coactionem, sive apertam sive subtilem, perducunt. In evangelizatione, e contra, testimonium datur verbo et opere, quin persona evangelizata ullam iniuriam, sive corporalem sive spiritualem patiatur. Dignitas personae humanae semper veneratur; Verbum Dei proponitur, non imponitur.

Ut « dialogus » cum « ecclesiis seiunctis » fructuose initietur et prosequatur, procul dubio debemus nos illas accipere prout ipsae se sincere aestimant. Affirmare igitur de eis quamlibet notam quam ipsae negant non est nisi finem importunum dialogo imponere.

Propterea post huius facti considerationem et diligentem cum insignibus Protestantibus consultationem, volumus emendare par. 19, 20, et 21 sectionis II cap. III schematis *de Oecumenismo* ita ut verba Concilii accuratius correspondeant menti hodiernae Protestantium.

II. *De Ecclesiis*[1] *in occidente seiunctis.*

19. (De propria harum *ecclesiarum*[1] condicione). Imprimis cum Ecclesia catholica in Occidente peculiari affinitate ac necessitudine iunguntur, ob diuturnam praeteritis saeculis in *communi* ecclesiastica *traditione parti-*

cipationem, illae *Ecclesiae* [1] quae *ab Ecclesia catholica separatae sunt* in gravissimo rerum discrimine quo christianitas opprimebatur *iam a Medio Aevo.*

Ante omnia hae *Ecclesiae* [1] transcendentiam *gratiae Dei* extollere, *testimonium revelationi Verbi Sui et Sapientiae in Christo Iesu ferre* (cf. *1 Cor.* 1, 24), *factum quod acceptatio humana donorum Divinorum totaliter a misericordia Dei reconciliante pendente declarare* (cf. *Rom.* 5, 11, 15-17), *charisma Sancti Spiritus intra koinonia Populi Dei accipere* (cf. *1 Pt.* 2, 9-10), *et plenam communionem cum Christo in Sacramento Coenae Dominicae seu Eucharistiae participare intendebant. Sane, in activitatem Christi Mediatoris unici eo insistebant ut functionem essentialem mediatricem Ecclesiae catholicae obscurarent, et generatim tantummodo nuper exprimebant curam semper crescentem pro unitate visibili promovenda.*

Ad has etiam *Ecclesias* [1] animum vertere cupimus, cum nobiscum tam caris et sacris vinculis devinciantur, scil. *confessione* Nominis Iesu Christi, sacramento Baptismatis, *et agnitione inspirationis Scripturarum Sacrarum*; illi namque vere fratres nostri sunt *qui* cum caritate Christi vivere *contendunt.*

Propter diversitatem originis, doctrinae, et vitae spiritualis inter se *et a nobis* adhuc non parum differunt; immo obliviscendum non est, *quaedam* mediis *sacramentalibus gratiae,* e sacerdotio valido promanantibus, gaudent.

20. (De confessione Christi). Mens nostra in eas imprimis *Ecclesias* [1] fertur, qui Dominum nostrum Iesum Christum Deum et Salvatorem palam confitentur, secundum Scripturas, atque coniunctim respondere enituntur communi vocationi *in Christo,* ad solius Dei gloriam, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ex hac fidei professione vires sibi hauriunt, opitulante Dei gratia, ad vitam christianam haud sine magnanimitate, fortitudine et *studio* probe agendam. In Christum enim devote intendentes, iidem Salvatoris desideria et invitamenta ad unitatem *omnium discipulorum* (cf. *Io.* 17, 20-21) magis magisque in animis percipiunt.

Desiderio unionis cum Christo flagrantes *in communione Corporis Sui mystici,* iidem compulsi sunt ad testimonium fidei suae ubique apud gentes etiam reddendum.

21. (De Sacrorum Librorum studio). In Libris Sacris, maxime Novi Te-

---

[1] *Nota*: Si vox « *ecclesiae* » permissibilis sit, sic distinctio « *ecclesiae-communitates* » apparenter tam infelix schematis praesentis vincatur. Nobis videtur permissibilis quia schema tenet quod Baptismate omnes christiani aliquo modo, etsi imperfecto, assumuntur *Ecclesiae,* et quod vita eorum corporata retinet aliquam mensuram realitatis ecclesialis. Si autem « *ecclesiae* » non permissibilis sit, forsan substituatur consilium cardinalis Koenig: « *communitates ecclesiales* ». Si tamen etiam huic terminologiae difficultas manifesta habeatur, adhibeatur expressio incommodior « *ecclesiae vel communiones* » ita ut tota quaestio relinquatur aperta. Praeferentia autem submittentium hanc emendationem secundum illum talem ordinem restat.

stamenti, *se aperiebant Dei revelationi plene manifestatae per Verbum Suum* pro nobis caro factum. Ibique vitam Christi — *Summi Sacerdotis, Prophetae, et Regis* — contemplantur, nec non ea quae *Ipse* docuit et peregit (cf. *Act.* 1, 1-2), praesertim vero mortis et resurrectionis eius mysteria salutaria (cf. *1 Cor.* 15, 3-7). Sacra eloquia etenim, *hereditas communis et auctoritas universorum christianorum,* veluti medium pretiosissimum inserviunt in potenti manu Dei ad illam unitatem adipiscendam quam Salvator *nobis promisit et fine finali dabit. Proinde studium diligens et meditatio supra Scripturas constituit fundamentum effectivum dialogi inter christianos aliter divisos.*

Sequatur schema prout in fasciculo impressum.

[*Subscripserunt etiam*] Stephen A. Leven, ep. aux. S. Antonii; Carolus A. Buswell, ep. Pueblensis; Carolus H. Helmsing, Kansas City-St. Ioseph; Leo A. Pursley, Fort Wayne - South Bend; Floyd L. Begin, ep. Quercopolitanus.

21

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT

Episcopus Inongoensis

Remarques générales: Ce chapitre se compose actuellement de deux parties: I. De Ecclesiarum orientalium peculiari consideratione; II. De communitatibus inde a saec. XVI exortis.

Tout d'abord le n. 2 du chap. I, devrait être transféré ici en guise d'exposé de principes concernant tous les frères séparés, à quelque groupe ou Eglise qu'ils appartiennent. C'est la forme la plus logique et la plus claire.

Ensuite devrait venir l'actuel chap. III, partie I, sur les Eglises orientales.

La deuxième partie, étant donné l'exposé de principes (chap. I, n. 2), devrait être supprimée.

Tout d'abord, il ne convient pas de parler exclusivement de Communautés, car il y a aussi l'Eglise Vieille-Catholique, qui non seulement correspond au concept d'Eglise, mais encore n'a pas eu son origine à partir du XVI siècle, bienqu'elle se soit séparée de l'Eglise après cette époque.

D'autres Communautés Ecclésiales ont conservé une hiérarchie épiscopale complète, et même si la vérité de leur sacerdoce est contestée par l'Eglise Catholique, il est anti-œcuménique de prendre déjà là-dessus une position négative dès ce schéma.

Enfin la description qui est ici donnée de la foi et de la vie religieuse de ces Communautés est une abstraction dans laquelle aucune communauté ne se reconnaîtra mais dans laquelle toutes se sentiront désagréablement visées.

Toute description qui serait tentée ici serait d'ailleurs vaine et risque-

rait d'être très injuste: elle ne pourrait être préparée qu'avec la collaboration des Communautés visées et alors elles devraient être nommées expressément.

22

Exc.mus P. D. FRANCISCUS VON STRENG

Episcopus Basileensis et Luganensis

Liceat mihi, Fratres venerabiles, meo proprio nomine aliquid addere ad *conclusionem* n. 24, pag. 25. Experientia in mea dioecesi per iam multos annos facta dialogos inter pastores catholicos et acatholicos, quibus etiam laici competentes adsunt, laudandos esse probat. Conversiones intendere nolunt; sed intendunt doctrinam et vitam religiosam viceversa melius cognoscere et etiam comprehendere itemque praeiudicia tollere, quae saepe spiritum separationis efficiunt et augmentant. Hi conventus in spiritu caritatis iam incipiunt et hanc caritatem augmentant, quae debet esse cor et anima motionis oecumenicae. Hae uniones insuper viam praeparant ad collaborationem fraternam in campo interconfessionali christifidelium, v. g. in conservandis bonis culturae christianae, pro familia, pro educatione iuventutis, in operibus caritativis, socialibus et publicis, praesertim in pugna contra atheismum et materialismum.

Dialogi autem in his conventibus fructiferi solummodo remanent, inquantum locum habent inter membra in doctrina competentia. Ubi inepti sunt participantes nec liberi ad regulariter conveniendum, conventus post aliquod tempus in somnum cadent. Pericula de fide deficiendi non inveni. Immo participantes catholici intuitu diversitatis et discrepantiae doctrinae fratrum a nobis segregatorum in fide catholica, ut mihi dicebant, fortificati sunt. Haec et alia iam Congregationi S. Officii communicavi, quae mihi apertam — ut grato animo profiteor — confidentiam monstravit. (Inter parentheses hic mihi liceat addere me eandem confidentiam in casibus prohibitionis librorum non invenisse!).

Concludo ergo hos conventus (oekumenische Kreise) vere utiles esse, at sub conditione tantum, quod ex utraque parte adsint viri in doctrina periti.

Certe Concilium Vaticanum II iam pretiosissimos fructus faciet, si ope dialogi oecumenici polemica insidiosa cessaverit et caritas fraterna diffusa erit necnon omnes christifideles ad collaborationem manus conseruerint.

23

Exc.mus P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO

Archiepiscopus tit. Aprensis

I. De Ecclesiarum orientalium peculiari consideratione. Verba tituli « de peculiari orientalium Ecclesiarum consideratione » respondent hodiernae menti oecumenicae quae reliquit viam negationis ad sequendam viam mutuae

cognitionis. Perpulchre in decreto thesauri spirituales Ecclesiarum orientalium prae oculis exhibentur necnon communio quaedam cum Ecclesia catholica cum qua sortiuntur eamdem formulam fidei, id est Credo, eamdem Scripturam sacram, eamdem apostolicam traditionem, et conciliarem, eadem sacramenta, eumdem cultum divinum eucharisticum, eumdem thesaurum patristicum, eumdem martyrologium, etc. Sed haec communio manca nunc est quamquam per non pauca saecula plena fuisset. Quaeritur a nobis qui opus oecumenicum navamus quaenam fuit causa vera scissurae quae separavit Ecclesiam orientalem ab Ecclesia catholica. Etenim, cognitio istius causae est absolute necessaria ad rite promovendum opus oecumenicum.

In capite Decreti auctores caute procedunt quando dicunt « ansam separationum praebuerunt formae modique diversi quibus haereditas ab Apostolis accepta est necnon propriam viam propriam assecutam ab Ecclesia orientali » quae quidem differentiae canonicae, disciplinariae rituales non impediebant fraternam et plenam inter utrasque Ecclesias communionem. Attamen mihi videtur haec dissimilitudines non explicant plene separationem Ecclesiarum orientalium ab Ecclesia catholica. Officium nostrum est detegere veram et propriam causam quae decursu temporis operata est dolendam separationem, dictum est enim in hac aula a pluribus Patribus quod opus oecumenicum oportet progredere in plena sinceritate. Postquam causa istius mali fuerit cognita facilius evaderet opus oecumenicum, quia veritas liberavit nos et aggredimur ad rectam applicationem remedii ad malum curandum.

Duo verba Domini pandant nobis viam ad veritatem: « Regnum meum non est de hoc mundo » et « Date Caesari quae sunt Caesaris et quae sunt Dei Deo ».

Unde Ecclesia est verum Regnum theocraticum, quia dicit Ioannes in Apocalypsi: « Vidi sanctam civitatem Ierusalem descendentem a Deo sicut Sponsam ornatam viro suo ».

Insuper, sicut dicit Apostolus, Ecclesia est Corpus Christi in quo omnia munera et omnes potestates a Christo sunt. Patet ex dictis quod Ecclesia, Societas Sanctorum, essentialiter differt a societate civili, prior enim est supernaturalis, altera vero naturalis seu humana. Unde dictum Domini: « Date Caesari etc. ».

Tempore persecutionum potestas civilis tentavit sibi attribuere iura Dei, sed Ecclesia proprio sanguine servavit libertatem suam. Post persecutiones venit pax dicta Constantiniana et Ecclesia obtinuit suam libertatem. Attamen imperator romanus, noluit plene renuntiare totalitaria potestate sua. Relinquendo Ecclesiae potestatem ordinis, sibi vindicavit potestatem docendi et gubernandi Ecclesiam. Haec multis factis historicis probantur quae uno nomine vocantur « Caesarocratia ». Caesar enim censebat se personificationem in terris potestatis Dei, et, in Ecclesia sibi attribuebat nomen « Isapostolus », i. e., aequalis Apostolo.

Tam in Oriente quam in Occidente Ecclesia passa est istam tribulationem seu per novam persecutionem, forsan peiorem prioris. Certum est

cooperationem istam inter thronum et altare fuisse beneficam pro Ecclesia, attamen in finem evanuit sibi malefica. In utraque Ecclesia Deus suscitavit defensores Ecclesiae libertatis, quae habuit suos martyres. Sed, proh dolor, dum in Ecclesia occidentali libertas Ecclesiae et sua unitas apostolica salvata fuit, in Oriente Ecclesia in servitutem redacta fuit ita ut Patriarcha Menas ausus fuit dicere: « In Ecclesia nostra nihil statuendum est seorsum a voluntate Imperatoris ». Hoc modo in Oriente Ecclesia decursu temporis constituta est Ecclesia imperialis seu Status et instrumentum Caesaris. Ad securius disponendi de Ecclesia Caesar fovit creationem Sedis patriarchalis Novae Romae, quae decursu temporis, vindicavit sibi potestatem super universam Ecclesiam orientalem tribuendo sibi nomen Patriarcha oecumenicus. Ratio huiusmodi faciendi erat principium mere civile: Nova Urbs seu secunda Roma habebat eandem potestatem super Ecclesias orientales, sicut Episcopus Romanus habebat potestatem universalem super Ecclesias occidentales. Duo pares patriarchae, priore, ratione ecclesiastica, remanente, patriarcha occidentis. Super omnes autem has ecclesiasticas potestates Imperator romanus, pontifex maximus. Evidens est quod haec principia mere humana decursu temporis multis factis et contingentiis foventibus dolendum exitum habuerunt, i. e. separationem. Unde origo Ecclesiarum nationalium, a centro apostolico seiunctarum et subiectarum rythmo multiplicationis nationum. Inde Ecclesiae autocephalae.

Caesarocratia igitur ut conclusionem habuit creationem Ecclesiarum nationalium. Hoc est magnum et gravissimum malum simulque principale impedimentum ad unionem operandam inter Ecclesias Orientales et Ecclesiam catholicam.

Quo modo nunc, nos operarii oecumenismi, debemus curare hoc malum et adiuvare fratres nostros ad acquirendam veram liberationem a nationalistico malo? Hoc est problema cruciale oecumenismi. Iam in capite secundo permulta et utilia media indicantur in exercitio oecumenismi. Omnia ista laudanda sunt. Sed mihi videtur quod Ecclesia catholica habet aliquid faciendum quod incumbit omnibus catholicis, speciali vero modo sacram hierarchiam, clerum et religiosos. Debemus exhibere fratribus seiunctis exemplum catholicitatis ecclesiasticae, liberando eam ab omni spiritu nationalistico, a propensione racismi, iuridismi exaequati. Catholicitas Ecclesiae ab Apostolo sic describitur: « Non est Iudaeus, neque graecus ... Omnes enim vos unum estis in Christo » (*Gal.* 5, 28). Sicut dicebat f. r. Ioannes XXIII: « Quando Ecclesia catholica, munda ab omni ruga mundana, apparebit in tota sua pulchritudine tunc dicemus fratribus separatis: Venite et videte veram imaginem Christi quae splendet super faciem Ecclesiae ». Idem Pontifex dicebat: « Conversio catholicorum erit invitatio ad fratres seiunctos ad verum ovile Christi ingrediendum ». Conversio autem initium habet a confessione veritatis, quae liberabit nos ab omni influxu spiritus mundi « haec est vera *paupertas spiritu* » quae a Domino beatificatur.

24

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

Liceat mihi nomine Helvetiae episcoporum aliquas animadversiones proponere super cap. III *de Oecumenismo.*

1. Videtur omittendum esse quidquid historice pertinet ad separationem inter nos et fratres nostros seiunctos et solummodo proponantur principia generalia circa communionem perficiendam. Hae quaestiones historicae valde difficiles sunt, nimiae comprehensionis et nimiae extensionis. Ideo omittantur ea quae dicuntur in *n. 13* et loco eorum ponantur quae inveniuntur in *n. 18.* Praeterea melius explicetur quomodo Mater Ecclesia communionem cum Oriente concipiat. Dici poterit: unio inter Ecclesias orientales et Ecclesiam romanam non est concipienda ut absorptio unius Ecclesiae ab alia, vel aliquis reditus ad partem alterius, sed vera communio in qua servatur, ut iam saepe in aula dictum est, et unitas in diversitate et diversitas in unitate.

2. Pag. 23, lin. 2. Optime citantur verba sancti Ignatii « romanae Sedis cuius est praesidere in caritate ». Attamen addendum esse videtur verbum ex Evangelio sumptum: « et cui data est potestas ligandi et solvendi ». Quia hic iacet essentia quaestionis.

3. Titulus secundus « De communitatibus inde a saec. XVI exortis » rectius dicatur « De communitatibus in Occidente exortis ». Ratio est quia adsunt Valdenses ante saec. XVI, et post saec. XVI Iansenistae, Veteres catholici, qui omnes sunt nobis dilecti fratres seiuncti.

Eadem ratione, pag. 23, lin. 13, post verbum « opprimebatur » addendum est « praesertim ».

4. Pag. 23, linn. 14-18 deleantur, quia haec descriptio — aliquantulum obscura — doctrinae communitatum a saec. XVI exortarum insufficiens et partialis est.

5. Pag. 24, linn. 10 et 11 deleantur verba « veluti medium pretiosissimum inserviunt ad dialogum instaurandum ». Haec etenim verba praebent ansam falsae interpretationis, ne unusquisque se credat huiusmodi dialogi capacem. Competentia omnino requiritur, ut optime dicit em.mus card. Bea.

6. Non sufficit loqui de baptismo ut sacramento valido omnium christifidelium. Aliquid etiam dicatur de sacramento matrimonii, non quidem sub aspectu matrimonii mixti, de quo in alio loco agitur, sed de matrimonio valide inter baptizatos contracto ut est verum sacramentum, id est fons gratiae inter sponsos, ita ut illi tendere debeant ad semper perficiendam vivam istam communionem, quae sacramentaliter unionem Ecclesiae cum Christo significat et efficit.

25

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JAEGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Tertii capitis pars prima « De Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione » optime elaborata est, dum pars secunda propter internas huius obiecti difficultates adhuc eget emendationibus.

I. Pag. 23, n. 19 « De propria harum communitatum condicione ».

Valde laudandi sunt auctores huius partis in hoc, quod clare viderunt necessitatem indicandi saltem modo generalissimo rationes separationis. Etenim nisi hoc fit, haec pars schematis saperet spiritum nimiae simplificationis et optimismi superficialis. Nam non sufficit edicere, in quibus protestantes nobiscum conveniunt. Tali modo omnes confessiones reformatoriae apparerent quasi quidam catholicismi partes, quae nil aliud essent quam fragmenta plenitudinis catholicae, quae tamen eiusdem remanerent generis et indolis. Attamen hoc fratribus seiunctis videbitur — et recte quidem — ut nimia simplicitas et ignorantia proprietatis totius reformationis.

II. Ratio a schemate in n. 19, linn. 14-19, indicata attingit quidem aspectum singularem verum; attamen magis de reformatis (calvinistis) quam de lutheranis et anglicanis valet. Ideo post diligentem deliberationem propono novum textum totius n. 19: « Dolendus seiunctionis status validissimis historicis, sociologicis, psychologicis causis atque imprimis doctrinalibus rationibus sustentatur. Quas rationes reformatores saec. XVI sic dictis formulis exclusivis exprimere intendebant, v. g. formulis " solus Deus, solus Christus, sola scriptura, sola gratia, sola fides " et similibus. Rationes illae manifestantur praesertim in ecclesiologia. Propria harum confessionum indoles in variis communitatibus ecclesialibus origine, doctrina et vita spirituali inter sese differentibus magna cum varietate increvit, retentis communiter quibusdam reformatoriis principiis.

Ad has communitates christianas animum vertere cupimus. Non intendimus earum originem, doctrinas, cultum et vitam spiritualem describere neque conamur earum nobiscum controversias et seiunctionis causas inquirere nec earum indolem propriam reformatoriam. Indicemus hic solummodo cara ac sacra vincula, quibus nobiscum coniunguntur, scilicet fidem in Iesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum et Sacramentum Baptismatis aliaque beneficia Christi, quibus vere sunt fratres nostri, qui bona voluntate in caritate Christi vivunt et ditantur donis Spiritus Sancti, omnibus iustificatis inhabitantis eosque ordinantis ad unam Christi Ecclesiam ».

SESSIO PUBLICA III

4 decembris 1963

SESSIO PUBLICA III

4 decembris 1963

1

Processio et Missa

Summus Pontifex, in Aula Paramentorum sacris vestibus assumptis, comitantibus PP. cardinalibus et patriarchis, in Sacellum Paulinum se contulit, dum ceteri Patres processionaliter per Atrium Petrianum ad Basilicam Vaticanam pergunt. Post adorationem SS. Sacramenti, Summus Pontifex hymnum *Ave Maris Stella* intonavit et, absoluto primo versu, gestatoria sella evectus, item per Atrium Petrianum ingressum fecit ad Basilicam Vaticanam, dum chorus Cappellae Sixtinae cantat hymnum *Ave Maris Stella* (Perosi), Patribus modo gregoriano alternantibus. Hoc hymno expleto, chorus cantavit antiphonam *Tu es Petrus* (Bartolucci).

Summus Pontifex adstitit Missae de SS. Trinitate, pro gratiarum actione celebrata ab em.mo P. D. card. Tisserant, ep. Ostiensi, Portuensi et S. Rufinae, decano S. Collegii. Durante Missa, chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Domine Deus, in simplicitate,* 5 vocibus (Palestrina); *Sanctus ... Benedictus,* 7 vocibus (Bartolucci); *Ubi caritas,* 5 vocibus (Bartolucci); *Cantabo Domino,* 5 vocibus (Bartolucci).

2

Approbatio et proclamatio decretorum Concilii

Post Missam, facta oboedientia a PP. cardinalibus, patriarchis, a duobus tantum, nomine ceterorum, ex archiepiscopis, episcopis, abbatibus et superioribus generalibus Ordinum, et a secretario generali Concilii, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres cantant *Credo.*

Dein P. D. Alfredus Ottaviani, card. primus diaconus, intimavit: Orate.

Omnes genuflectunt.

Summus Pontifex: Adsumus Domine...

Card. diaconus: Erigite vos.
Chorus: Exaudi nos Domine (6 vocibus, auctore Bartolucci).
Summus Pontifex: Mentes nostras... Da quaesumus...
Veni Creator Spiritus.

Chorus hymnum prosecutus est (4 vocibus, auctore Bartolucci), alternatim modo gregoriano cum Patribus.

Summus Pontifex: ℣ Protector noster aspice Deus.
℟ Et respice in faciem Christi tui.

℣ Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
℟ Et renovabis faciem terrae.

℣ Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.
℟ Et de Sion tuere nos.

℣ Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
℟ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣ Domine, exaudi orationem meam.
℟ Et clamor meus ad te veniat.

℣ Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus: Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta: ut intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus sanctis, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.

Duo cantores: ℣ Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.
℟ Et custodiat nos semper. Amen.

Card. diaconus: Erigite vos.

Dum omnes surgunt, cantores cantaverunt antiphonam: Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.

Summus Pontifex, omnibus stantibus, detecto capite: Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et

inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟ Amen.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Incipiet nunc lectio constitutionis *de sacra Liturgia.* Cum venia Beatissimi Patris aliquae tantum partes legentur, aliae partes, quae sunt impressae, perinde habendae sunt ac si lectae fuerint ... [*cf. pag. 409*].

« Paulus Episcopus, Servus Servorum Dei, una cum Patribus Sacri Concilii, ad perpetuam rei memoriam ... [*cf. pag. 409*].

Et ita explicit constitutio *de sacra Liturgia.*

Porro quaeritur: Placetne vobis Patribus constitutio *de sacra Liturgia,* quae modo lecta est?

Suffragatio fit per *placet* et *non placet,* suetis schedulis in quibus signum suffragationis imprimendum est, ut solet, stylo magnetico.

Post 5 minuta, assignatores loci velint colligere schedulas et deferre ad centrum mechanographicum.

Rogantur duo exc.mi sub-secretarii et scrutatores ut ad centrum mechanographicum se conferant ut operationes scrutinii inspiciant. Gratias.

[*Intervallum*].

Dum exspectatur exitus suffragationis, chorus exsequitur cantus: *Ave Maria* (5 vocibus: Victoria); *Magnificat* (modo gregoriano, 8 G, alternatim cum Patribus); *Salve Regina* (modo gregoriano, una cum Patribus); *Super flumina* (5 vocibus: Palestrina); *Christus vincit,* cum *Ps. 116* (alternatim cum Patribus).

Secretarius generalis: Beatissime Pater, constitutio *de sacra Liturgia,* modo suffragiis Patrum subiecta, placuit 2.147 Patribus, 4 dissentientibus. [*Plausus*].

Summus Pontifex: In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decreta, quae in hac Sacrosancta et Universali Synodo Vaticana Secunda legitime congregata modo lecta sunt, placuerunt Patribus.

Et Nos, Apostolica a Christo nobis tradita potestate, illa, una cum venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus, et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. [*Plausus*].

Secretarius generalis: Beatissimus Pater, pro modo approbata constitutione *de sacra Liturgia,* statuit vacationem legis usque ad diem 16 februarii anni 1964, dominicam primam Quadragesimae.

Intra hoc tempus idem Beatissimus Pater statuet quando et quibus modis novae dispositiones huius constitutionis in actum deducendae sint.

Nemini itaque licet ante hoc tempus has novas dispositiones per seipsum in actum deducere.

* * *

Secretarius generalis: Incipit lectio decreti *de instrumentis communicationis socialis* ... [*cf. pag. 497*].

« Paulus Episcopus, Servus Servorum Dei, una cum Patribus Sacri Concilii, ad perpetuam rei memoriam ... [*cf. pag. 497*].

Placetne vobis venerabilibus patribus decretum quod modo lectum est *de instrumentis communicationis socialis*? Suffragatio fit per *placet* et *non placet.* Rogantur iterum assignatores locorum ut colligant schedulas.

Rogantur pariter tres exc.mi sub-secretarii et scrutatores ut ad centrum mechanographicum se conferant, operationum scrutinii inspiciendarum causa.

Post factam hanc suffragationem, Patribus distribuentur folia in quibus subsignationem velint apponere pro constitutione *de sacra Liturgia.* Subsignatio, ut mos est, ita sonat: « Ego (et nomen cognomen et titulus, cruce apposita ante, si sint ex ordine episcopali) ». Gratias.

[*Intervallum*].

Dum exspectatur exitus suffragationis, chorus exsequitur cantum: *Hoc est praeceptum meum* (6 vocibus: Morales).

Secretarius generalis: Velitis, Patres, attendere. Patres, qui simul sunt Procuratores aliorum Patrum absentium, possunt hodie ponere subsignationem Patrum quos repraesentant statim post propriam subsignationem, hoc dicendo: « Pater talis, Procurator Patris istius ».

Alii vero Procuratores, qui non sunt Patres conciliares, subsignationem suam apponent in nostris officiis secretariae generalis sequentibus diebus. Gratias.

Chorus prosequitur cantus: *Benedictus Dominus Deus Israel* (alternatim cum Patribus); *Iustorum animae* (5 vocibus: Lassus); *Ave Maris Stella* (4 vocibus: Perosi; alternatim cum Patribus modo gregoriano).

Secretarius generalis: Beatissime Pater, decretum *de instrumentis communicationis socialis,* modo suffragiis subiectum, placuit 1.960 Patribus, 164 dissentientibus. [*Plausus*].

Summus Pontifex: In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decreta, quae in hac Sacrosancta et Universali Synodo Vaticana Secunda legitime congregata modo lecta sunt, placuerunt Patribus.

Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus, et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. [*Plausus*].

Exc.mus D. Salvator Natucci una cum Ioanne Baptista Ferrata, promotores S. Concilii, accesserunt ad Summum Pontificem et exc.mus Natucci dixit: « Rogantur rev.mi protonotarii, hic praesentes, ut super constitutione *de sacra Liturgia* ac super decreto *de instrumentis communicationis socialis* modo approbatis, conficiant instrumentum vel instrumenta ad perpetuam rei memoriam ... ».

Protonotarii apostolici: « Conficiemus vobis testibus ... ».

3

Constitutio

DE SACRA LITURGIA

PROOEMIUM

1. Sacrosanctum Concilium, cum sibi proponat vitam christianam inter fideles in dies augere; eas institutiones quae mutationibus obnoxiae sunt, ad nostrae aetatis necessitates melius accommodare; quidquid ad unionem omnium in Christum credentium conferre potest, fovere; et quidquid ad omnes in sinum Ecclesiae vocandos conducit, roborare; suum esse arbitratur peculiari ratione etiam instaurandam atque fovendam Liturgiam curare.

2. Liturgia enim, per quam, maxime in divino Eucharistiae Sacrificio, « opus nostrae Redemptionis exercetur »[1] summe eo confert ut fideles vivendo exprimant et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam, cuius proprium est esse humanam simul ac divinam, visibilem invisibilibus praeditam, actione ferventem et contemplationi vacantem, in mundo praesentem et tamen peregrinam; et ita

quidem ut in ea quod humanum est ordinetur ad divinum eique subordinetur, quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem, et quod praesens ad futuram civitatem quam inquirimus.[2] Unde cum Liturgia eos qui intus sunt cotidie aedificet in templum sanctum in Domino, in habitaculum Dei in Spiritu,[3] usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi,[4] miro modo simul vires eorum ad praedicandum Christum roborat, et sic Ecclesiam iis qui sunt foris ostendit ut signum levatum in nationes,[5] sub quo filii Dei dispersi congregentur in unum[6] quousque unum ovile fiat et unus pastor.[7]

3. Quare Sacrosanctum Concilium, de fovenda atque instauranda Liturgia quae sequuntur principia censet in mentem revocanda et practicas normas statuendas esse.

Inter haec principia et normas nonnulla habentur quae tum ad ritum romanum tum ad omnes alios ritus applicari possunt ac debent, licet normae practicae quae sequuntur solum ritum romanum spectare intellegendae sint, nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.

4. Traditioni denique fideliter obsequens, Sacrosanctum Concilium declarat Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime agnitos aequo iure atque honore habere, eosque in posterum servari et omnimode foveri velle, atque optat ut, ubi opus sit, caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus, donentur.

Caput I

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS AD SACRAM LITURGIAM INSTAURANDAM ATQUE FOVENDAM

I – DE SACRAE LITURGIAE NATURA EIUSQUE MOMENTO IN VITA ECCLESIAE

5. Deus, qui « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4), « multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis » (*Heb.* 1, 1), ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum, Verbum carnem factum, Spiritu Sancto unctum, ad evangelizandum pauperibus, ad sanandos contritos corde,[8] « medicum carnalem et spiritualem »,[9] Mediatorem Dei et hominum.[10] Ipsius namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit instrumentum nostrae

salutis. Quare in Christo « nostrae reconciliationis processit perfecta placatio, et divini cultus nobis est indita plenitudo ».[11]

Hoc autem humanae Redemptionis et perfectae Dei glorificationis opus, cui divina magnalia in populo Veteris Testamenti praeluserant, adimplevit Christus Dominus, praecipue per suae beatae Passionis, ab inferis Resurrectionis et gloriosae Ascensionis paschale mysterium, quo « mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit ».[12] Nam de latere Christi in cruce dormientis ortum est totius Ecclesiae mirabile sacramentum.[13]

6. Ideoque, sicut Christus missus est a Patre, ita et ipse Apostolos, repletos Spiritu Sancto, misit, non solum ut, praedicantes Evangelium omni creaturae,[14] annuntiarent Filium Dei morte sua et resurrectione nos a potestate satanae [15] et a morte liberasse et in regnum Patris transtulisse, sed etiam, ut, quod annuntiabant, opus salutis per Sacrificium et Sacramenta, circa quae tota vita liturgica vertit, exercerent. Sic per Baptismum homines paschali Christi mysterio inseruntur: commortui, consepulti, conresuscitati; [16] spiritum accipiunt adoptionis filiorum, « in quo clamamus: Abba, Pater » (*Rom.* 8, 15), et ita fiunt veri adoratores, quos Pater quaerit.[17] Similiter quotiescumque dominicam cenam manducant, mortem Domini annuntiant donec veniat.[18] Idcirco, ipso die Pentecostes, quo Ecclesia mundo apparuit, « qui receperunt sermonem » Petri « baptizati sunt ». Et erant « perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus ... collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem (*Act.* 2, 41-47). Numquam exinde omisit Ecclesia quin in unum conveniret ad paschale mysterium celebrandum: legendo ea « in omnibus Scripturis quae de ipso erant » (*Lc.* 24, 27), Eucharistiam celebrando in qua « mortis eius victoria et triumphus repraesentatur »,[19] et simul gratias agendo « Deo super inenarrabili dono » (*2 Cor.* 9, 15) in Christo Iesu, « in laudem gloriae eius » (*Eph.* 1, 12), per virtutem Spiritus Sancti.

7. Ad tantum vero opus perficiendum, Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim in actionibus liturgicis. Praesens adest in Missae Sacrificio cum in ministri persona, « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit »,[20] tum maxime sub speciebus eucharisticis. Praesens adest virtute sua in Sacramentis, ita ut cum aliquis baptizat, Christus ipse baptizet.[21] Praesens adest in verbo suo, siquidem ipse loquitur dum sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur. Praesens adest denique dum supplicat et psallit Ecclesia, ipse qui promisit: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20).

Reapse tanto in opere, quo Deus perfecte glorificatur, et homines sanctificantur, Christus Ecclesiam, sponsam suam dilectissimam, sibi semper consociat, quae Dominum suum invocat et per ipsum Aeterno Patri cultum tribuit.

Merito igitur Liturgia habetur veluti Iesu Christi sacerdotalis muneris exercitatio, in qua per signa sensibilia significatur et modo singulis proprio efficitur sanctificatio hominis, et a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe eiusque membris, integer cultus publicus exercetur.

Proinde omnis liturgica celebratio, utpote opus Christi sacerdotis, eiusque Corporis, quod est Ecclesia, est actio sacra praecellenter, cuius efficacitatem eodem titulo eodemque gradu nulla alia actio Ecclesiae adaequat.

8. In terrena Liturgia caelestem illam praegustando participamus, quae in sancta civitate Ierusalem, ad quam peregrini tendimus, celebratur, ubi Christus est in dextera Dei sedens, sanctorum minister et tabernaculi veri; [22] cum omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae Domino canimus; memoriam Sanctorum venerantes partem aliquam et societatem cum iis speramus; Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, donec ipse apparebit vita nostra, et nos apparebimus cum ipso in gloria.[23]

9. Sacra Liturgia non explet totam actionem Ecclesiae; nam antequam homines ad Liturgiam accedere possint, necesse est ut ad fidem et conversionem vocentur: « Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* 10, 14-15).

Quare Ecclesia non credentibus praeconium salutis annuntiat, ut omnes homines solum Deum verum et quem misit Iesum Christum cognoscant et a viis suis convertantur, paenitentiam agentes.[24] Credentibus vero semper fidem et paenitentiam praedicare debet, eos praeterea debet ad Sacramenta disponere, docere servare omnia quaecumque mandavit Christus,[25] et allicere ad omnia opera caritatis, pietatis et apostolatus, quibus operibus manifestum fiat christifideles de hoc mundo quidem non esse, sed tamen esse lucem mundi eosdemque Patrem glorificare coram hominibus.

10. Attamen Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat. Nam labores apostolici ad id ordinantur ut omnes, per fidem et Baptismum filii Dei facti, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, Sacrificium participent et cenam dominicam manducent.

Vicissim, ipsa Liturgia impellit fideles ut « sacramentis paschalibus » satiati fiant « pietate concordes »; [26] orat ut « vivendo teneant quod fide perceperunt »; [27] renovatio vero foederis Domini cum hominibus in Eucharistia fideles in urgentem caritatem Christi trahit et accendit. Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, ut e fonte, gratia in nos derivatur et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio et Dei glorificatio, ad quam, uti ad finem, omnia alia Ecclesiae opera contendunt.

11. Ut haec tamen plena efficacitas habeatur, necessarium est ut fideles cum recti animi dispositionibus ad sacram Liturgiam accedant, mentem suam voci accommodent, et supernae gratiae cooperentur, ne eam in vacuum recipiant.[28] Ideo sacris pastoribus advigilandum est ut in actione liturgica non solum observentur leges ad validam et licitam celebrationem, sed ut fideles scienter, actuose et fructuose eandem participent.

12. Vita tamen spiritualis non unius sacrae Liturgiae participatione continetur. Christianus enim ad communiter orandum vocatus, nihilominus debet etiam intrare in cubiculum suum ut Patrem in abscondito oret,[29] immo, docente Apostolo, sine intermissione orare.[30] Et ab eodem Apostolo docemur mortificationem Iesu semper circumferre in corpore nostro, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.[31] Quapropter Dominum in Missae Sacrificio precamur ut, « hostiae spiritualis oblatione suscepta, nosmetipsos » sibi perficiat « munus aeternum ».[32]

13. Pia populi christiani exercitia, dummodo legibus et normis Ecclesiae conformia sint, valde commendantur, praesertim cum de mandato Apostolicae Sedis fiunt.

Speciali quoque dignitate gaudent sacra Ecclesiarum particularium exercitia, quae de mandato Episcoporum celebrantur, secundum consuetudines aut libros legitime approbatos.

Ita vero, ratione habita temporum liturgicorum, eadem exercitia ordinentur oportet, ut sacrae Liturgiae congruant, ab ea quodammodo deriventur, ad eam populum manuducant, utpote quae natura sua iisdem longe antecellat.

II - DE LITURGICA INSTITUTIONE ET DE ACTUOSA PARTICIPATIONE PROSEQUENDIS

14. Valde cupit Mater Ecclesia ut fideles universi ad plenam illam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum participationem ducantur, quae ab ipsius Liturgiae natura postulatur et ad quam populus

christianus, « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis » (*1 Pt.* 2, 9; cf. 2, 4-5), vi Baptismatis ius habet et officium.

Quae totius populi plena et actuosa participatio, in instauranda et fovenda sacra Liturgia, summopere est attendenda: est enim primus, isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant; et ideo in tota actione pastorali, per debitam institutionem, ab animarum pastoribus est sedulo adpetenda.

Sed quia, ut hoc evenire possit, nulla spes effulget nisi prius ipsi animarum pastores spiritu et virtute Liturgiae penitus imbuantur in eaque efficiantur magistri, ideo pernecesse est ut institutioni liturgicae cleri apprime consulatur. Quapropter Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur statuere decrevit.

15. Magistri, qui sacrae Liturgiae disciplinae in seminariis, studiorum domibus religiosis et facultatibus theologicis docendae praeficiuntur, ad munus suum in institutis ad hoc speciali cura destinatis probe instituendi sunt.

16. Disciplina de sacra Liturgia in seminariis et studiorum domibus religiosis inter disciplinas necessarias et potiores, in facultatibus autem theologicis inter disciplinas principales est habenda, et sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico tradenda. Curent insuper aliarum disciplinarum magistri, imprimis theologiae dogmaticae, sacrae Scripturae, theologiae spiritualis et pastoralis ita, ex intrinsecis exigentiis proprii uniuscuiusque obiecti, mysterium Christi et historiam salutis excolere, ut exinde earum connexio cum Liturgia et unitas sacerdotalis institutionis aperte clarescant.

17. Clerici, in seminariis domibusque religiosis, formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant, cum apta manuductione qua sacros ritus intellegere et toto animo participare queant, tum ipsa sacrorum mysteriorum celebratione, necnon aliis pietatis exercitiis spiritu sacrae Liturgiae imbutis; pariter observantiam legum liturgicarum addiscant, ita ut vita in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu penitus informetur.

18. Sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, in vinea Domini iam operantes, omnibus mediis opportunis iuventur ut plenius semper quae in functionibus sacris agunt intellegant, vitam liturgicam vivant, eamque cum fidelibus sibi commissis communicent.

19. Liturgicam institutionem necnon actuosam fidelium participationem, internam et externam, iuxta ipsorum aetatem, condicionem, vitae

genus et religiosae culturae gradum, animarum pastores sedulo ac patienter prosequantur, unum e praecipuis fidelis mysteriorum Dei dispensatoris muneribus absolventes; et gregem suum hac in re non verbo tantum, sed etiam exemplo ducant.

20. Transmissiones actionum sacrarum ope radiophonica et televisifica, praesertim si agatur de Sacro faciendo, discrete ac decore fiant, ductu et sponsione personae idoneae, ad hoc munus ab Episcopis destinatae.

III - DE SACRAE LITURGIAE INSTAURATIONE

21. Pia Mater Ecclesia, ut populus christianus in sacra Liturgia abundantiam gratiarum securius assequatur, ipsius Liturgiae generalem instaurationem sedulo curare cupit. Nam Liturgia constat parte immutabili, utpote divinitus instituta, et partibus mutationi obnoxiis, quae decursu temporum variare possunt vel etiam debent, si in eas forte irrepserint quae minus bene ipsius Liturgiae intimae naturae respondeant, vel minus aptae factae sint.

Qua quidem instauratione, textus et ritus ita ordinari oportet, ut sancta, quae significant, clarius exprimant, eaque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa et communitatis propria celebratione participare possit.

Quare Sacrosanctum Concilium generaliores has normas statuit.

A) *Normae generales*

22. § 1. Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet: quae quidem est apud Apostolicam Sedem et, ad normam iuris, apud Episcopum.

§ 2. Ex potestate a iure concessa, rei liturgicae moderatio inter limites statutos pertinet quoque ad competentes varii generis territoriales Episcoporum coetus legitime constitutos.

§ 3. Quapropter nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio marte in Liturgia addat, demat, aut mutet.

23. Ut sana traditio retineatur et tamen via legitimae progressioni aperiatur, de singulis Liturgiae partibus recognoscendis accurata investigatio theologica, historica, pastoralis semper praecedat. Insuper considerentur cum leges generales structurae et mentis Liturgiae, tum experientia ex recentiore instauratione liturgica et ex indultis passim concessis

promanans. Innovationes, demum, ne fiant nisi vera et certa utilitas Ecclesiae id exigat, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant.

Caveatur etiam, in quantum fieri potest, ne notabiles differentiae rituum inter finitimas regiones habeantur.

24. Maximum est sacrae Scripturae momentum in Liturgia celebranda. Ex ea enim lectiones leguntur et in homilia explicantur, psalmi canuntur, atque ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina liturgica effusa sunt, et ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt. Unde ad procurandam sacrae Liturgiae instaurationem, progressum et aptationem, oportet ut promoveatur ille suavis et vivus sacrae Scripturae affectus, quem testatur venerabilis rituum cum orientalium tum occidentalium traditio.

25. Libri liturgici quam primum recognoscantur, peritis adhibitis et Episcopis consultis ex diversis orbis regionibus.

B) *Normae ex indole Liturgiae utpote actionis hierarchicae et communitatis propriae*

26. Actiones liturgicae non sunt actiones privatae, sed celebrationes Ecclesiae, quae est « unitatis sacramentum », scilicet plebs sancta sub Episcopis adunata et ordinata.[33]

Quare ad universum Corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationis attingunt.

27. Quoties ritus, iuxta propriam cuiusque naturam, secum ferunt celebrationem communem, cum frequentia et actuosa participatione fidelium, inculcetur hanc, in quantum fieri potest, esse praeferendam celebrationi eorundem singulari et quasi privatae.

Quod valet praesertim pro Missae celebratione, salva semper natura publica et sociali cuiusvis Missae, et pro Sacramentorum administratione.

28. In celebrationibus liturgicis quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet.

29. Etiam ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad scholam cantorum pertinent, vero ministerio liturgico funguntur. Propterea munus suum tali sincera pietate et ordine exerceant, quae tantum ministerium decent quaeque populus Dei ab eis iure exigit.

Ideo oportet eos spiritu Liturgiae, suo cuiusque modo, sedulo imbui, et ad partes suas rite et ordinate obeundas institui.

30. Ad actuosam participationem promovendam, populi acclamationes, responsiones, psalmodia, antiphonae, cantica, necnon actiones seu gestus et corporis habitus foveantur. Sacrum quoque silentium suo tempore servetur.

31. In libris liturgicis recognoscendis, sedulo attendatur ut rubricae etiam partes fidelium praevideant.

32. In Liturgia, praeter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, et praeter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caerimoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio.

C) *Normae ex indole didactica et pastorali Liturgiae*

33. Etsi sacra Liturgia est praecipue cultus divinae maiestatis, magnam etiam continet populi fidelis eruditionem.[34] In Liturgia enim Deus ad populum suum loquitur; Christus adhuc Evangelium annuntiat. Populus vero Deo respondet tum cantibus tum oratione.

Immo, preces a sacerdote, qui coetui in persona Christi praeest, ad Deum directae, nomine totius plebis sanctae et omnium circumstantium dicuntur. Signa tandem visibilia, quibus utitur sacra Liturgia ad res divinas invisibiles significandas, a Christo vel Ecclesia delecta sunt. Unde non solum quando leguntur ea « quae ad nostram doctrinam scripta sunt » (*Rom.* 15, 4), sed etiam dum Ecclesia vel orat vel canit vel agit, participantium fides alitur, mentes in Deum excitantur ut rationabile obsequium Ei praestent, gratiamque Eius abundantius recipiant.

Exinde in instauratione facienda generales normae quae sequuntur observari debent.

34. Ritus nobili simplicitate fulgeant, sint brevitate perspicui et repetitiones inutiles evitent, sint fidelium captui accommodati, neque generatim multis indigeant explanationibus.

35. Ut clare appareat in Liturgia ritum et verbum intime coniungi:

1) In celebrationibus sacris abundantior, varior et aptior lectio sacrae Scripturae instauretur.

2) Locus aptior sermonis, utpote partis actionis liturgicae, prout ritus patitur, etiam in rubricis notetur; et fidelissime ac rite adimpleatur ministerium praedicationis. Haec vero imprimis ex fonte sacrae Scriptu-

rae et Liturgiae hauriatur, quasi annuntiatio mirabilium Dei in historia salutis seu mysterio Christi, quod in nobis praesens semper adest et operatur, praesertim in celebrationibus liturgicis.

3) Etiam catechesis directius liturgica omnibus modis inculcetur; et in ipsis ritibus, si necessariae sint, breves admonitiones, a sacerdote vel competenti ministro, opportunioribus tantum momentis, praescriptis vel similibus verbis, dicendae, praevideantur.

4) Foveatur sacra Verbi Dei celebratio in solemniorum festorum pervigiliis, in aliquibus feriis Adventus et Quadragesimae, atque in dominicis et diebus festis, maxime in locis quae sacerdote carent: quo in casu celebrationem diaconus vel alius ab Episcopo delegatus dirigat.

36. § 1. Linguae latinae usus, salvo particulari iure, in Ritibus latinis servetur.

§ 2. Cum tamen, sive in Missa, sive in Sacramentorum administratione, sive in aliis Liturgiae partibus, haud raro linguae vernaculae usurpatio valde utilis apud populum exsistere possit, amplior locus ipsi tribui valeat, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus, iuxta normas quae de hac re in sequentibus capitibus singillatim statuuntur.

§ 3. Huiusmodi normis servatis, est competentis auctoritatis ecclesiasticae territorialis, de qua in art. 22 § 2, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, de usu et modo linguae vernaculae statuere, actis ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis.

§ 4. Conversio textus latini in linguam vernaculam in Liturgia adhibenda, a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua supra, approbari debet.

D) *Normae ad aptationem ingenio et traditionibus populorum perficiendam*

37. Ecclesia, in iis quae fidem aut bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in Liturgia quidem imponere cupit; quinimmo, variarum gentium populorumque animi ornamenta ac dotes colit et provehit; quidquid vero in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, benevole perpendit ac, si potest, sartum tectumque servat, immo quandoque in ipsam Liturgiam admittit, dummodo cum rationibus veri et authentici spiritus liturgici congruat.

38. Servata substantiali unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Mis-

sionibus, locus relinquatur, etiam cum libri liturgici recognoscuntur; et hoc in structura rituum et in rubricis instituendis opportune prae oculis habeatur.

39. Intra limites in editionibus typicis librorum liturgicorum statutos, erit competentis auctoritatis ecclesiasticae territorialis, de qua in art. 22 § 2, aptationes definire, praesertim quoad administrationem Sacramentorum, quoad Sacramentalia, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes, iuxta tamen normas fundamentales quae hac in Constitutione habentur.

40. Cum tamen variis in locis et adiunctis, profundior Liturgiae aptatio urgeat, et ideo difficilior evadat:

1) A competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua in art. 22 § 2, sedulo et prudenter consideretur quid, hoc in negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune in cultum divinum admitti possit. Aptationes, quae utiles vel necessariae existimantur, Apostolicae Sedi proponantur, de ipsius consensu introducendae.

2) Ut autem aptatio cum necessaria circumspectione fiat, eidem auctoritati ecclesiasticae territoriali ab Apostolica Sede facultas tribuetur, si casus ferat, ut in quibusdam coetibus ad id aptis et per determinatum tempus necessaria praevia experimenta permittat et dirigat.

3) Quia leges liturgicae difficultates speciales, quoad aptationem, praesertim in Missionibus, secum ferre solent, in illis condendis praesto sint viri, in re de qua agitur, periti.

IV – DE VITA LITURGICA IN DIOECESI ET IN PAROECIA FOVENDA

41. Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet.

Quare omnes vitam liturgicam dioeceseos circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus.[35]

42. Cum Episcopus in Ecclesia sua ipsemet nec semper nec ubique universo gregi praeesse possit, necessario constituere debet fidelium coe-

tus, inter quos paroeciae, localiter sub pastore vices gerente Episcopi ordinatae, eminent: nam quodammodo repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam.

Ego Emmanuel Gomez Frande, praef. apost. S. Michaelis de Sucumbios.
Ego Urbanus McGarry, praef. apost. Bhagalpurensis.
Ego Ioannes Giordani, praef. apost. Paciensis in California Inferiori.
Eog Christophorus Ulyatt, praef. apost. Volksrustensis.
Ego Villelmus Van den Elzen, praef. apost. Dorumaensis.
Ego Attilius Previtali, praef. apost. Misuratensis.
Ego Ioannes Coudray, praef. apost. Kankanensis.
Ego Firminus Schmidt, praef. apost. Mendiensis.
Ego Urbanus Murphy, praef. apost. Bechuanalandensis.
Ego Rupertus Hillerich, praef. apost. Solwenziensis.
Ego Ioannes de Deo Campuzano, praef. apost. Galapagensis.
Ego Leo de St. Pierre-du-Champ Chambon, praef. apost. Bossangoaensis.
Ego Petrus Malachias van Diepen, praef. apost. Manokwariensis.
Ego Bartholomaeus Hanrion, praef. apost. Dapangoensis.
Ego Villelmus Mahony, praef. apost. Ilorinensis.
Ego Gerardus Ioseph Deschamps, praef. apost. Daruensis.
Ego Hermannus Gerardus Te Riele, praef. apost. Malakalensis.
Ego Edvinus Kinch, praef. apost. Ingwavumensis.
Ego Ioannes Thomas Durkin, praef. apost. de Louis Trichardt.
Ego Ioannes Boerkamp, praef. apost. Kashmirensis et Jammuensis.
Ego Antonius de Hornedo Coorea, praef. apost. S. Francisci Xaverii.
Ego Ioseph Khantzian, ordin. Armenorum Graeciae.

Ego Ioseph Soetemans, abbas gen. Congr. Ss.mi Salvatoris Lateranensis.
Ego Gebardus Koberger, abbas gen. Congr. Canonicorum Regularium S. Augustini Lateranensium Austriaca.
Ego Angelinus Lovey, praep. gen. Congr. Ss. Nicolai et Bernardi Montis Iovis.
Ego Norbertus Calmels, abbas gen. O. Praem.
Ego Villelmus Van Hees, magister gen. O.S.Cr.
Ego Benno Gut, abbas primas O.S.B.
Ego Christophorus Butler, praeses Congr. Angliae O.S.B.
Ego Basilius Niederberger, praeses congr. Helveticae O.S.B.
Ego Ioannes Hoeck, praeses Congr. Bavaricae O.S.B.
Ego Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B.
Ego Dionysius Strittmatter, praeses Congr. Americanae Casinensis O.S.B.
Ego Benedictus Reetz, praeses Congr. Beuronensis O.S.B.
Ego Petrus Caelestinus Gusi, abbas gen. Congr. Sublacensis O.S.B.
Ego Gilbertus Hess, praeses Congr. Helveto-Americanae O.S.B.
Ego Maurus Riha, praeses Congr. Austriacae ab Immaculata Conceptione.

Ego Henricus Brechter, archiabbas congr. Ottilensis O.S.B.
Ego Godefridus Dayez, praeses Congr. Belgicae ab Annuntiatione B.M.V.
Ego Maurus Verzich, praeses Congr. Slavae S. Adalberti.
Ego Aliprandus Catani, prior gen. Congr. Monachorum Eremitarum Camaldulensium O.S.B.
Ego Marianus Oscoz, maior Congr. Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae.
Ego Alfonsus Salvini, abbas gen. Congr. Vallis Umbrosae O.S.B.
Ego Leo Cornelli, abbas gen. Congr. Silvestrinae O.S.B.
Ego Sighardus Kleiner, abbas gen. S. Ord. Cist.
Ego Carolus Braunstorfer, abbas praeses Congr. Austriacae S. Ord. Cist.
Ego Theobaldus Moscatelli, abbas praeses Congr. S. Bernardi Italiae S. Ord. Cist.
Ego Ioannes Van Engelen, abbas praeses Congr. Belgicae S. Ord. Cist.
Ego Nivardus Buttarazzi, abbas praeses Congr. Casamari S. Ord. Cist.
Ego Augustinus Ciesielski, abbas praes. Congr. Poloniae S. Ord. Cist.
Ego Augustinus Sépinski, min. gen. O.F.M.
Ego Basilius Heiser, min. gen. O.F.M. Conv.
Ego Clemens a Milwaukee, min. gen. O.F.M. Cap.
Ego Ioannes Bocella, min. gen. T.O.R.
Ego Lucianus Rubio, prior gen. O.E.S.A.
Ego Ioseph Torbey, sup. gen. Ordinis Antoniani Libanensis Maronitarum.
Ego Maroun Harika, sup. gen. Ordinis Antoniani S. Isaiae Maronitarum.
Ego Athanasius Welyckj, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Iosaphat.
Ego Saba Youakim, sup. gen. Ordinis Basiliani Ss.mi Salvatoris Melkitarum.
Ego Athanasius Hage, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Ioannis B. Melkitarum.
Ego Hilarius Capucci, sup. gen. Ordinis Basiliani Aleppini.
Ego Anicetus Fernandez Alonso, mag. gen. O.P.
Ego Angelus Almárcegui, prior gen. O.R.S.A.
Ego Raimundus Gabriel M. a Ss.mo Sacramento, prior gen. Ordinis Fratrum Eremitarum Discalceatorum S. Augustini.
Ego Kilianus Healy, prior gen. O. Carm.
Ego Anastasius a SS. Rosario, praep. gen. O.C.D.
Ego Michael a Iesu, min. gen. Ordinis Ss.mae Trinitatis redemptionis captivorum.
Ego Bernardus Navarro Allende, mag. gen. O. de M.
Ego Alfonsus M. Montá, prior gen. O.S.M.
Ego Franciscus Savarese, corrector gen. Ord. Minimorum.
Ego Iulianus Adrover, praep. gen. Ordinis Theatinorum.
Ego Aemilius Schot, praep. gen. Congr. Barnabitarum.
Ego Ioseph Boeris, praep. gen. Ordinis C.R.S.
Ego Carolus Mansfeld, praef. gen. Ordinis Min. Inf.
Ego Florillus Piersanti, praep. gen. CC.RR.MM.

Ego Aloisius De Santis, rector gen. O.M.D.
Ego Vincentius Tomek, praep. gen. Sch. P.
Ego Franciscus Scrivano, praep. gen. Congr. Presbyterorum Doctrinae Christianae.
Ego Malcolmus La Velle, praep. gen. C.P.
Ego Villelmus Gaudreau, rector maior C.SS.R.
Ego Henricus Systermans, sup. gen. SS.CC.
Ego Ioseph Buckley, praep. gen. S.M.
Ego Cornelius Heiligers, sup. gen. S.M.M.
Ego Leo Deschâtelets, sup. gen. O.M.I.
Ego Leonardus Carrieri, sup. gen. M.SS.CC.
Ego Michael Sudres, sup. gen. C.S.V.
Ego Paulus Ioseph Hoffer, sup. gen. S.M.
Ego Ioannes Gaddo, praep. gen. I.C.
Ego Germanus M. Lalande, sup. gen. C.S.C.
Ego Vilfridus Ioseph Dufault, sup. gen. A.A.
Ego Rolandus Huot, sup. gen. S.S.S.
Ego Petrus Schweiger, sup. gen. C.M.F.
Ego Renatus Ziggiotti, rector maior Societatis S. Francisci Salesii.
Ego Ioseph Van Kerckhoven, sup. gen. M.S.C.
Ego Villelmus Buckley, sup. gen. O.S.F.S.
Ego Villelmus Slattery, sup. gen. C.M.
Ego Villelmus Möhler, rector gen. S.A.C.
Ego Leo Volker, sup. gen. P.A.
Ego Henricus Mondé, sup. gen. S.M.A.
Ego Alfonsus Dutil, sup. gen. M.S.
Ego Ioseph Antonius De Palma, sup. gen. S.C.I.
Ego Caietanus Briani, sup. gen. F.S.C.I.
Ego Omer Degrijse, sup. gen. C.I.C.M.
Ego Bonaventura Schweizer, sup. gen. S.D.S.
Ego Dominicus Fiorina, sup. gen. I.M.C.
Ego Henricus Bliestle, sup. gen. M.S.F.
Ego Iacobus Alberione, sup. gen. S.S.P.
Ego Ioseph Zambarbieri, dir. gen. Don Orione.
Ego Iacobus Kielt, sup. gen. Societatis S. Colombani.

PROCURATORES *

✠ Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum (Vincentius Gelat, ep. tit. Menoidensis).

✠ Patricius M. O'Donnell, arch. tit. Pelusiotanus (Iacobus Duhig, arch. Brisbanensis).

---

* Intra uncos refertur nomen Patris, qui repraesentatur.

✠ Alexander Derouineau, arch. Coenmimensis (Ioannes Larrart, arch. Coeiiamensis).
✠ Humbertus Malchiodi, ep. Placentinus (Caietanus Malchiodi, arch. tit. Amasenus).
✠ Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia (Augustinus Grimault, ep. tit. Maximianopolitanus in Palaestina).
✠ Renatus Griffin, arch. tit. Misthiensis (Alfredus Marie, ep. Caiennensis).
✠ Franciscus Jachim, arch. tit. Maroneus (Iacobus Weinbacher, ep. tit. Thalensis).
✠ Ambrosius Rayappan, arch. Pondicherriensis et Cuddalorensis (Augustus Simeon Colas, arch. tit. Arcadiopolitanus in Europa).
✠ Aemilius de Brigard Ortiz, ep. tit. Dystiensis (Hyacinthus Vásquez Ochoa, ep. Espinalensis).
✠ Raimundus Ioseph Castellano, arch. Cordubensis in Argentina (Horatius Gomez Davila, ep. tit. Theodosiopolitanus in Armenia).
✠ Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis (Franciscus a Cruce Muguerza, ep. Novoraniensis).
✠ Gasto Mojaisky Perrelli, arch. ep. Nuscanus (Christophorus Casullo, arch. Compsanus S. Angeli de Lombardia et Bisaciensis).
✠ Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis (Andreas Ioannes Franciscus Defebvre, ep. Nimpuovensis).
✠ Albertus Aloisius Flechter, ep. Petriculanus (Iacobus Albertus Duffy, ep. tit. Silandrensis).
✠ Antonius López Aviña, arch. Durangensis (Linus Aguirre Garcia, ep. Culiacanensis).
✠ Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis (Linus Rodrigo Ruesca, ep. Oscensis).
✠ Antonius Corso, ep. tit. Moglaenensis (Antonius card. Barbieri, arch. Montisvidei).
✠ Reginaldus Ioannes Delargey, ep. tit. Hirinensis (Iacobus Michael Liston, ep. Auropolitanus).
✠ Alfredus Atton, ep. tit. Theudalensis (Ludovicus Chiron, ep. Lingonensis).
✠ Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis (Albertus Constantius Lagae, ep. tit. Triccaeus).
✠ Villelmus Aloisius O'Connor, ep. Campifontis in Illinois (Martinus Dewey McNamara, ep. Jolliettensis in Illinois).
✠ Bernardus Ioseph Bueno Miele, ep. tit. Bararitanus (Paulus de Tarso Campos, arch. Campinensis).
✠ Albertus De Vito, ep. Lucknowensis (Ioseph Angelus Poli, ep. tit. Pertensis).
✠ Ioseph Carroll McCormick, ep. Altunensis-Johnstoniensis (Ioseph M. Yuen Ching Ping, ep. Ciumatienensis).
✠ Petrus Aquilera Narbone, ep. Iquiquensis (Ioseph a Carmine Valle Gallardo, ep. tit. Germaniensis in Numidia).
✠ Ioannes Senner, ep. Cochabambensis (Petrus Franciscus Luna, ep. tit. Titiopolitanus).

✠ Stanislaus Courbe, ep. tit. Castoriensis (Petrus Brot, ep. tit. Marcianensis).
✠ Michael Balaguer, ep. tit. Castellominoritanus (Ioseph Arturus Costello, ep. tit. Chomatitanus).
✠ Marius Paré, ep. Chicoutimiensis (Georgius Melançon, arch. tit. Esbonitanus).
✠ Valentinus Wojcik, ep. Barenus in Hellesponto (Ioannes Cantius Lorek, ep. Sandomiriensis).
✠ Antonius Cardoso Cunha, ep. tit. Barenus in Pisidia (Ioseph a Patrocinio Dias, ep. Beiensis).
✠ Franciscus Borgias Valenzuela Rios, ep. Antofagastensis (Eduardus Larraín Cordovez, ep. Rancaguensis).
✠ Simon Hoa Nguyen-van-Hien, ep. Dalatensis (Ioannes Cassaigne, ep. tit. Gadarensis).
✠ Theotonius Amal Ganguly, ep. tit. Olivensis (Laurentius Leo Graner, arch. Dacchensis).
✠ Emmanuel Fernández-Conde, ep. Cordubensis (Petrus Cantero Cuadrado, ep. Huelvensis).
✠ Ioannes Nilmar, ep. tit. Zaparenus (Ioseph M. Cuenco, arch. Jarensis).
✠ Michael Ioseph Green, ep. tit. Trisipensis (Ioseph Henricus Albers, ep. Lansingensis).
✠ Warren Boudreaux, ep. tit. Calindensis (Mauritius Schexnayder, ep. Lafayettensis).
✠ Andreas Charles de la Brousse, ep. tit. Antiochenus parvus (Villelmus Sembel, ep. Divionensis).
✠ Ioseph Varani, ep. Jaboticaballensis (Ribanius Lafayette, ep. Riopretensis).
✠ Andreas Parenty, ep. tit. Sitifensis (Victor Ioannes Perrin, ep. tit. Blaundenius).
✠ Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis (Hyginus Nuti, ep. tit. Pupianensis).
✠ Henricus Pinault, ep. Cemtuanus (Ioseph a Iesu Martínez Vargas, ep. Armeniensis).
✠ Albertus Franciscus Cousineau, ep. Capitis Haitiani (Ioannes M. Jan, ep. tit. Edistianensis).
✠ Albertus Franciscus Cousineau, ep. Capitis Haitiani (Mauritius Choquet, ep. tit. Diospolitanus inferior).
✠ Zacharias Rolim de Moura, ep. Cajazeirasensis (Expeditus Eduardus de Oliveira, ep. Patosensis).
✠ Primus Gasbarri, ep. tit. Tennesiensis (Clemens card. Micara, ep. Veliternus).
✠ Marius Di Lieto, ep. Asculanus Apuliae et Ceriniolensis (Angelus Rossini, arch. Amalphitanus).
✠ Ioannes Chedid, ep. tit. Arcenus Maronitarum (Elias Farah, ep. Cyprensis Maronitarum).
✠ Stephanus Felicissimus Tinivella, ep. tit. Canensis (Andreas Lefebvre, ep. Kikvitensis).
✠ Vincentius a Paulo de Araujo Matos, ep. Cratensis (Aurelianus Matos, ep. Limoeirensis).

✠ Claudius Rolland, ep. Antsirabensis (Paulus Girouard, ep. Morondavensis).

✠ Carolus Villelmus Hartl, ep. tit. Stratonicensis in Caria (Albertus Fariña Fariña, ep. tit. Citharirenus).

✠ Henricus Mazerat, ep. Andegavensis (Augustus Ioseph Gaudel, ep. tit. Nysiriensis).

✠ Georgius Jacquot, ep. Vapincensis (Augustus Bonnabel, ep. tit. Zuritanus).

✠ Iacobus Malone, ep. tit. Alabandensis (Emmet Michael Walsh, ep. Yougstoniensis).

✠ Ioannes Ioseph Villepellet, ep. Nannetensis (Xaverius Morilleau, ep. Rupellensis).

✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Emmanuel Hieronymus Gerena y Camerena, ep. tit. Bosetanus).

✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Alfonsus Toriz Cobián, ep. Queretarensis).

✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Ioseph Salazar López, ep. tit. Prusiensis).

✠ David Maloney, ep. tit. Ruspensis (Urbanus Ioannes Vehr, arch. Denveriensis).

✠ Thomas Holland, ep. tit. Etennensis (Ioannes Henricus King, arch.-ep. Portus Magni).

✠ Carmelus Zazinović, ep. tit. Lebessanus (Ioseph Srebrnić, ep. Vegliensis).

✠ Arturus Szymanski Ramírez, ep. tit. Cerasuntinus (Iesus Villareal y Fierro, ep. S. Andreae de Tuxtla).

✠ Laurentius Michael Graziano, ep. tit. Limatensis (Beniaminus Berrera y Reyes, ep. S. Annae).

✠ Vitus M. Riobé, ep. Aurelianensis (Robertus Picard de la Vacquerie, ep. tit. Amidenus).

✠ Hubertus Newell, ep. Cheyennensis (Bernardus Iacobus Sullivan, ep. tit. Halicarnassensis).

✠ Ioseph Gabriel Anaya y Diaz de Bonilla, ep. Zamorensis in Mexico (Caelestinus Fernández y Fernández, ep. Huajuapanensis).

✠ Ioseph Gabriel Anaya y Diaz de Bonilla, ep. Zamorensis in Mexico (Ioseph a Iesu García Ayala, ep. tit. Lacedaemoniensis).

✠ Ioseph Alves de SS. Trindade, ep. Montisclarensis (Jacson Berenguer Prado, ep. Fori S. Annae).

✠ Augustus Trujillo Arango, ep. Jericoensis (Antonius Ioseph Jaramillo Tobón, arch. tit. Cotradensis).

✠ Ioseph Germanus Benavides Morriberon, ep. Chachapoyasensis (Ignatius Arbulú Pineda, ep. Huanucensis).

✠ Alfonsus Niehues, ep. tit. Eurocensis in Epiro (Ioachim Domingues de Oliveira, arch. Florianopolitanus).

✠ Alfonsus Niehues, ep. tit. Eurocensis in Epiro (Daniel Hostin, ep. Lagensis).

✠ Ioseph Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus (Anastasius Hurtado y Robles, ep. Tepicensis).

✠ Bruno Augustinus Hippel, ep. Oudtshoornensis (Ioannes B. Rosenthal, ep. Civitatis Reginae).

✠ Franciscus Ioseph Green, ep. Tucsonensis (Daniel Iacobus Gercke, arch. tit. Cotyaeensis).

✠ Ioseph Carraro, ep. Veronensis (Abilius del Campo y de la Bárcena, ep. Calaguritanus-Logrognensis).

Lucianus Metzinger, prael. null. Ayaviriensis (Paulus Ramírez Taboada, ep. Huachensis).

Ioseph Van Kerckhoven, sup. gen. M.S.C. (Leo Scharmack, ep. tit. Mostenensis).

✠ Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus (Ioseph Mauritius da Rocha, ep. Brigantiensis in Brasilia).

✠ Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis (Maximilianus de Furstenberg, arch. tit. Paltenus).

✠ Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis (Petrus Francis, ep. tit. Arabissenus).

✠ Geraldus Emmet Carter, ep. tit. Altiburensis (Ioannes Christophorus Cody, ep. Londonensis).

✠ Augustus Oswaldus Salinas Fuenzalida, ep. Linarensis (Ignatius de Alba y Hernandez, ep. Colimensis).

✠ Ioannes Chrysostomus Gomez de Almeida, ep. tit. Jerafitanus (Ioseph da Cruz Mirevio Pinto, ep. Visensis).

✠ Dorotheus Fernandez y Fernandez, ep. tit. Castabalensis (Ioseph M. Alcaráz y Alenda, ep. Pacensis).

✠ Iulius Laschi González, ep. tit. Abydenus (Ernestus Arturus Green, ep. Portus Elisabethensis).

✠ Andreas Saleak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia (Ioannes Prasko, ep. tit. Zigritanus).

✠ Antonius Pildáin y Zapiáin, ep. Canariensis (Emmanuel Moll y Salord, ep. Dertosensis).

✠ Franciscus Benedictus Cialeo, ep. Lyallpurensis (Aloisius Scheerer, ep. Multanensis).

✠ Leo Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus (Paulus Ioseph Schmitt, ep. Metensis).

✠ Antonius Añoveros Ataún, ep. tit. Tabudensis (Thomas Gutierrez Diaz, ep. Gadicensis et Septensis).

Henricus Alexander Valejo, praef. ap. Tierradientroensis (Marcellianus Canyes, praef. ap. Laetitiae).

Iacobus Hickey, Stephanus Woznicki, ep. Saginavensis).

Hugo Quinn (Sydney Matthaeus Metzger, ep. Elpasensis).

Alfonsus Ioannes M. Mulders (Ioseph Villelmus M. Baeten, arch. tit. Stauropolitanus).

Antonius McDevitt (Thomas Ioseph Toolen, ep. Mobiliensis-Birminghamiensis).

Ioannes Antonius Brouwers (Villelmus Petrus Hadrianus M. Mutsaerts, arch. tit. Phullitanus).

Ioannes M. Salgado O.M.I. (Ioannes Ludovicus Collignon, ep. Caiesensis).
Shahin Abded Ahad (Ioseph Torboy, sup. gen. Ord. Liban. Maronitarum).
Raimundus Hammer (Ioannes B. Neuhäusler, ep. tit. Calydoniensis).
Hermes Peeters O.F.M. (Ludovicus Prosper Durand, ep. tit. Gironensis).
Thomas Tobin (Eduardus Howard, arch. Portlandensis in Oregon).
Camillus Aegidius Atrio (Michael Nóvoa Fuente, ep. tit. Chytriensis).
Dionysius Marino (Aegidius Aloisius Lanzo, ep. Salutiarum).
Aloisius Sfeir (Adem Gennadios, sup. gen. Ord. Anton. Aleppens. Maronitarum).
Stephanus M. Pedica O.S.B. Silv. (Bernardus Regno, ep. tit. Bagaiensis).
Lucianus Anné (Carolus Ioseph Joliet, ep. tit. Constantiensis in Arabia).
Aloisius Paulissen S.I. (Petrus Willekens, ep. tit. Zoravenus).
Gaspar Caulfield C.P. (Carolus Quintinus Bertramus Olwell, ep. tit. Thabracensis).
Raphael Perez Gonzalez O.E.S.A. (Gerardus Herrero Garrote, ep. Ciamteanus).
Ioannes B. Porion (Ferdinandus Vidal, min. gen. Ord. Carthusianorum).
Robertus de la Rose M.Sp.S. (Ioseph Angulo del Valle, ep. Tabasquensis).
Blasius Fitz (Vendelinus Endrédy, abb. praes. Congr. Hungaricae S.O.Cist.).
Donaldus Herlihy (Thomas Keogh, ep. Darensis et Leighliensis).
Donaldus Herlihy (Dionysius Moynihan, ep. Kerriensis et Aghadonensis).
Andreas Landi (Eduardus Swanstrom, ep. tit. Arbensis).
Ianuarius Fernandez (Nicasius Balisa y Melero, ep. tit. Cybistrensis).
Ioseph Guérin (Ioannes B. Boivin, arch. tit. Viminaliensis).
Aemilius Lengeling (Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis).
Ioseph Pelican (Ioannes Vonderach, ep. Curiensis).
Albertus Giovannetti (Ioannes Marcus Gannon, arch.-ep. Eriensis).
Albertus Giovannetti (Eduardus Petrus McManaman, ep. tit. Florianensis).
Robertus Sennott (Richardus card. Cushing, arch. Bostoniensis).

5

Allocutio Summi Pontificis *

Venerabiles Fratres,

Tempus iam advenit, quo huic secundae sessioni Concilii Oecumenici Vaticani II finis afferatur.

Iamdiu vos, vigilantissimi Pastores, a vestris cuiusque sedibus abestis, ubi sacri muneris exercitatio vestram praesentiam postulat, consilium, alacritatem; iam gravis, assiduus, longus factus est labor, quem sive

* *A.A.S.,* 56, 1964, pp. 31-40.

ob religiosas caerimonias, sive ob studia, sive ob conventus hoc Concilii tempore cepistis: iam in sacros Adventus dies incurrimus, per quos animi nostri comparantur ad digne agendam memoriam, quotannis redeuntem, semper sollemnem, semper mirandam, semper piissimam Natalis Domini Nostri Iesu Christi: neque nostrum ullus optato hoc anni spatio potest se aliis cogitationibus, etsi excelsis et sanctis, tradere, praeter celebrationem inenarrabilis illius mysterii, quo Dei Verbum caro factum est; neque nostrum ullus in alia sede, etsi nobili et venerabili, sacros hos ritus perficere potest, praeter eam in qua providentissimus Deus unicuique vestrum vel certam Ecclesiam, vel certam communitatem, vel certum munus sive sacerdotale, sive Pastorale concredidit.

Oportet igitur cursum, iterum, intermittamus horum gravissimorum conventuum synodalium; oportet fraternas pacatasque salutationes demus invicem et reddamus; oportet rursum accessum et recessum experiamur rerum, quas tempus gignit idemque absumit; oportet inter nos discedamus, postquam quasi fraterno more de rebus sublimioribus sermocinantes, diebus et eventibus fruiti sumus laetis.

Sed id prius fieri nolumus quam gratias Deo habeamus de beneficiis in hoc temporis spatio et per huiusmodi opportunitatem collatis. Neque praetermittere possumus memorem voluntatem Nostram iis profiteri, qui in hac Concilii Vaticani sessione interfuerunt, atque quoviscumque modo ad felicem eius exitum adiuverunt. At praecipuam quandam grati animi Nostri significationem pertinere cupimus ad Patres Concilii Oecumenici; ad Praesidum Consilium; ad Commissionem « de coordinandis Concilii laboribus »; ad Moderatores; peculiarique modo ad Secretariatum Generalem, quem vocant; ad varias Commissiones, uti appellant; ad Peritos; ad eos qui, ut nostrae huic rei faverent, vel scriptis nuntiis vulgandis, vel televisificis imaginibus propagandis dederunt operam; ad eos qui Basilicam Vaticanam, quod ad Concilii necessitates spectaret, instruxerunt, ornaverunt; itemque ad eos qui contulerunt ad Patres Conciliares hospitio excipiendos et variis ministeriis iuvandos. Singularem denique gratiam iis Patribus persolvere placet, qui aut ad huius eventus congruentem ordinationem suis sumptibus profuerunt, aut Fratribus in Episcopatu egentioribus auxilio venerunt, aut ingentibus Ecclesiae necessitatibus succurrerunt, aut hominibus opitulati sunt recentioribus calamitatibus conflictatis.

Antequam laboribus hisce nostris finem faciamus, abs re non esset eosdem breviter perstringere, atque animadvertere eorum qui fuerit cursus, qui fuerint successus. Sed id simul nimis est longum, simul non dat, ut omnia absolute exponere possimus; siquidem multa huius

Concilii ad eam gratiae regionem, ad illud intimum animorum regnum pertinent, in quod non semper facilis patet aditus. Accedit quod multi laborum fructus nondum ad maturitatem venerunt, sed, non secus atque semina commissa sulcis, cum a futuro tempore tum vero a divino adiumento germanam atque salutarem quasi aperitionem exspectant.

Attamen ne ex hac sacra Concilii Oecumenici aula discedere videamur immemores divinorum beneficiorum, quae ex huiusmodi eventu profecta sunt, perplacet in primis palam asseverare, Concilium nonnullos fines, ad quos spectabat, saltem ex aliqua parte feliciter assecutum esse. Etenim cum Ecclesia pleniorem sui ipsius conscientiam atque notitiam attingere sibi proposuisset, reapse nunc inter Ecclesiae Pastores atque Doctores magna instituta est investigatio de mysterio, ex quo Ecclesia suam originem suamque formam duxit. Quae investigatio nondum quidem ad exitum adducta est; sed ipsa difficultas investigationem concludendi, iam satis ostendit huiusmodi doctrinae altitudinem amplitudinemque, eademque nos omnes impellit, ut ad eam intellegendam apteque exprimendam nisus viresque consociemus. Qui nisus id profecto commodi habent, quod nostras nostrorumque christifidelium mentes, qui attento animo coetus nostros prosecuti sint, ad Christum necessario dirigent, ex quo omnia nobis proveniunt et ad quem omnia referre volumus, iuxta illam Sancti Pauli sententiam: *reconciliare omnia in ipsum*;[1] itemque efficiunt, ut non modo nostrum adaugeatur gaudium ob nostram mystici Corporis Christi participationem, sed etiam ut nostra foveatur mutua caritas, qua vita Ecclesiae tota continetur et regitur. Laetemur igitur, venerabiles Fratres! Ecquando enim Ecclesia, ut nunc est, tam plenam sui ipsius conscientiam adepta est; tam impenso amore Christum dilexit; tam laeta, tam concordi, tam alacri voluntate Christum imitari studuit; tam sollicita denique concredito sibi munere perfuncta est? Laetemur, venerabiles Fratres! Siquidem nosmetipsos mutuo noscere atque inter nos colloqui didicimus. Qui invicem quasi extranei haud ita pridem huc advenimus, nunc amicitiae vinculis coniungimur. Nonne experimento novimus, quam vera sint praeclara illa Sancti Pauli verba, quibus Ecclesia ipsa describitur: *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu?*[2] Nonne futurum legum canonicarum progressum quibus Ecclesia regitur, iam nunc licet

---

[1] *Col.* 1, 20.
[2] *Eph.* 2, 19-20.

prospicere? Quem quidem progressum non alio spectare posse putamus, quam ut potissimum singulis Ecclesiae membris singulisque officiis auctior dignitas agnoscatur et amplior tribuatur operandi facultas; deinde ut sacra potestas, ex qua universa catholicae societatis compago per varios hierarchiae gradus firma constat, magis magisque roboretur, et quidem quasi ex virtute intus suscepta: hoc est ex amoris, concordiae mutuaeque observantiae incremento. Quare hoc Concilium grande sane eventum censendum est, ac praestantissimum donum a Deo Ecclesiae suae collatum, quandoquidem animi nostri ad haec cogitata, ad haec proposita tam vehementer inardescunt.

Quodsi ad ipsos Concilii labores mentem Nostram convertimus, hinc nova laetitiae causa praebetur, quod in iisdem expediendis vos tam frequentem, tam assiduam, tam actuosam partem habuistis. Iterum mirum spectaculum haec Vaticana Basilica exhibuit, ad quam ingens ac veneranda nostrum omnium multitudo confluxit; quod spectaculum animos nostros admiratione, pietate supernoque gaudio penitus affecit. Valde iterum gavisi sumus, quod hic praesentes aspeximus honorabiles Observatores, qui tam humaniter Nostrae invitationi obsecuti, Concilii laboribus adfuerunt. Item Nobis paterni solacii causa fuerunt Auditores, qui tacite quidem sed animo observantissimo conventus vestros prosecuti sunt; hi enim filii Nobis carissimi personam gerunt innumerae illius catholicorum et laicorum ordine multitudinis, qui hierarchicis Ecclesiae auctoritatibus Regno Dei amplificando adiutricem operam navant. Hac igitur in aula, sollemnique hac hora, omnia arcanum quiddam significant; omnia fere loquuntur; omnia denique ad caelestia contemplanda et ad supernam spem concipiendam astantium animos erigunt.

Nec minore afficimur oblectatione, cum rationem et viam circumspicimus, qua Concilium hoc nostrum ad hunc diem processit.

Duplicem autem procedendi rationem hic etiam reputemus oportet, animadvertendo Concilii opus et valde fuisse laboriosum, et in variis exponendis consiliis omnino liberum. Re vera duplex huiusmodi meritum maximi sane pendendum Nobis esse videtur, quoniam id Oecumenicae huius Synodi singularis nota fuit, idemque posteritati erit durabile exempli monumentum. Hac enim via nostris diebus Ecclesia operatur, cum scilicet eius navitas ad summam vim gravissimumque momentum pervenit: navitatem dicimus, quae est maxime alacris, suaque sponte progrediens.

Quodsi multiplices, variae, immo diversae etiam fuerunt sententiae, quae in Concilio auditae sunt, id nihil sane officit oblectationi Nostrae: immo id luculente declarat, sessionum argumenta alta et ma-

ximi ponderis fuisse, eademque incredibili studio et ea qua par esset libertate, ut supra diximus, agitata esse.

Ceterum, ardua huiusmodi et implexa disceptatio ubere quodam fructu haudquaquam caruit: nam quod argumentum ante omnia pertractatum est, quodque omnium praestantissimum quodammodo est, sive ex sui natura sive ex dignitate, qua pollet in Ecclesia — sacram dicimus Liturgiam — id ad exitum feliciter pervenit, hodieque a Nobis sollemni ritu promulgatur. Quam ob causam animus Noster sincero gaudio exsultat. Animadvertimus enim hoc in negotio aequum rerum officiorumque ordinem esse servatum; cum hoc professi simus, Deo summum locum esse tribuendum; nos primo eo officio teneri Deo admovendi preces; sacram Liturgiam primum esse fontem illius divini commercii, quo ipsa Dei vita nobiscum communicatur; primamque esse animi nostri scholam; primum esse donum a nobis christiano populo dandum, nobiscum fide precationumque studio coniuncto; primam denique humani generis invitationem, ut mutuam suam linguam solvat in beatas veracesque preces, utque ineffabilem illam vim sentiat, animum veluti recreantem, quae sita est in canendis nobiscum Dei laudibus hominumque spe, per Iesum Christum et in Spiritu Sancto.

Hic silentio praeterire nolumus, quanto in honore apud christifideles orientalis Ecclesiae habeatur divinus cultus, et quam accurata diligentia sacri ritus observentur; quibus quidem christifidelibus sacra Liturgia semper exstitit veritatis schola et flamma christianae caritatis.

Quapropter operae pretium erit, hunc Concilii nostri fructum servare, quippe qui sanctae Ecclesiae vitam incitare atque quodammodo insignire debeat: nam Ecclesia in primis societas est religiosa, est communitas orans, est populus conscientiae nitore et religionis studio florens, quae fide ac superna gratia aluntur. Si quas cultus formas ad simpliciorem rationem nunc redigimus, ut a christifidelibus aptius intellegantur, et cum nostri temporis sermonibus magis magisque congruant, consilium Nostrum eo certe non spectat, ut precandi momentum minoris pendatur, neve ceteris sacri muneris pastoralisque navitatis curis postponatur, neve quid de eius significantissima vi atque vetusta artis elegantia detrahatur; sed ut sacra Liturgia purior reddatur, ut notis naturae suae propriis magis sit consentanea, ut suis veritatis et gratiae fontibus sit propior, ut denique facilius in spiritualem se vertat populi thesaurum.

Quod ut feliciter contingat, nolumus ullus regulae publicarum Ecclesiae precum refragetur, immutationes privatas vel ritus singulares inducendo; nolumus ullus sibi sumat potestatem Constitutionem de Sacra Liturgia, quam hodie promulgamus, suo arbitrio usurpandi, an-

tequam normae opportunae et certae hac de re edantur, atque immutationes legitime approbentur, quas Consilia ad hoc instituenda post Concilium apparaverint. Haec igitur praeclara Ecclesiae precatio concordi modulatione per totum resonet orbem terrarum: nemo eam perturbet, nemo violet.

Alter fructus, isque non parvi ponderis, Concilii nostri est Decretum de instrumentis, quae vocant, communicationis socialis; quod aperte testabitur facultate Ecclesiam pollere, cum vita interna iungendi externam, cum contemplatione actionem, cum precibus apostolatum. Hac etiam re Synodus nostra efficiet, ut recte dirigantur ac provehantur plurimae agendi rationes ac formae, quae, sive ut instrumenta sive ut documenta, tum perfunctioni muneris pastoralis, tum universae catholicorum alacritati in orbe terrarum iam subserviunt.

In fructibus deinde Concilii ponendae sunt etiam plures facultates, quas, finem pastoralem eiusdem Synodi consectantes, voluimus pertinere ad officium Episcoporum, maxime eorum, qui iurisdictione ordinaria utuntur.

Sed haec minime satis. Concilium enim operi impigre institit et, ut probe nostis, de multis coepit disserere quaestionibus, quarum enodationes in gravibus sententiis penitus contineri dicendae sunt, quae post argumenti, ad quod attinent, tractationem, suo tempore definite proponentur ac legitime promulgabuntur.

Aliae vero supersunt expendendae iterumque in disceptationem vocandae quaestiones, quas in proxima tertia Sessione, scilicet autumno venientis anni habenda, speramus ad felicem exitum perduci posse. Non quidem moleste ferimus animos nostros aliquamdiu in cogitatione rerum tam gravium defixos conquiescere. Confidimus enim hoc temporis intervallo Commissiones, ad quas res pertinet et in quarum praesenti auxilio spem multam collocamus, ratione habita sententiarum a Patribus Concilii praesertim in Congregationibus generalibus significatarum, comparare posse in futuros Concilii coetus formulas alte perspectas, conceptis verbis expressas, opportune coartatas et in pauca collatas, ita ut disceptationes, quas semper esse liberas volumus, faciliores expeditioresque evadant.

Huius generis est, ut exemplum supponamus, quaestio de divina Revelatione, quam Concilium eo modo persolvet, ut hinc sacrum depositum veritatum a Deo traditarum tueatur adversus errores, abusiones, dubitationes, quibus vis earum subiectiva infringatur, illinc studia Sacrorum Bibliorum, operum Patrum ac theologicae disciplinae recte dirigat, quae docti catholici viri, magisterio Ecclesiae libenter inhaeren-

tes et quibusvis aptis huius aetatis subsidiis usi, alacriter, prudenter, fidenterque promovere pergent.

Huius pariter generis est etiam quaestio magna et multiplex de Episcopatu, quae, sive ob congruentem rerum tractandarum dispositionem, sive ob momentum rei ipsius, primum obtinet locum in hoc Concilio Oecumenico Vaticano Secundo, quod neminem fugere velimus, naturalem quandam continuationem et complementum esse Concilii Oecumenici Vaticani Primi. Haec igitur Synodus nostra, non aversans sed confirmans praerogativas a Christo manantes et Summo Pontifici agnitas, atque omni auctoritate praeditas ad Ecclesiae universalis moderationem necessaria, in sua luce studebit ponere, secundum Domini Nostri Iesu Christi doctrinam sinceramque traditionem ecclesiasticam, Episcopatus naturam et munus, a Deo instituta; atque statuere, quae sint eius potestates earumque usus, quod attinet ad Praesules sive singillatim sive coniunctim consideratos; ita ut praecelsum officium episcopale in Ecclesia Dei digne illustretur, non quasi agatur de instituto sui iuris, a Summo Petri Pontificatu divulso, multoque minus eidem adversario, sed cum eo et sub eo et ad commune bonum, et ad finem supremum Ecclesiae concorditer spectante. Ita profecto fiet, ut Ecclesiae hierarchica compositio virium incremento corroboretur, non imminuatur; intima conspirans operatio augeatur, non attenuetur; efficacitas apostolica amplificetur, non languescat; caritas mutua ferveat, non residat. Quocirca fore confidimus, ut Concilium — hoc votum est — rem tanti momenti perspicue explanet et expediat.

Speramus denique eamdem Synodum quaestionem de schemate circa Beatam Mariam Virginem, optimam, quae possit, habituram esse enodationem: ita scilicet ut uno consensu et summa cum pietate agnoscatur locus longe praestantissimus, qui Matris Dei est proprius in Sancta Ecclesia, de qua praecipuus est sermo in Concilio; locum dicimus, post Christum, altissimum, nobisque maxime propinquum, ita ut nomine « Matris Ecclesiae » eam possimus ornare; idque in eius honorem cedat in nostrumque solacium.

Praeter huiusmodi quaestiones, quas Concilium breviter tetigit, aliae plures supersunt adhuc a Concilio pertractandae, de quibus tamen fuse iam investigatum est. Easdem Nos denuo altiusque excutiendas curabimus, ut proximae Concilii sessioni breviora schemata exhiberi possint, sicut supra diximus, atque ita proposita ut Concilium de praecipuis argumentis haud difficulter sententiam suam aperire possit, eaque deinde explicanda atque ad normarum formam redigenda ad Commissiones, post Concilium constituendas, remittere; e quibus Commissionibus ea, ad quam novos Codices cum Ecclesiae Latinae tum Ecclesiae

Orientalis conscribere pertinebit, sine dubio graviorem laboris molem aggredietur. Tunc ergo, scilicet in his laboribus Concilii suscipiendis, maximi existimandam Nobis praestabunt auxiliatricem operam Episcopi, et novis quidem rationibus, quales sive necessitas sive ecclesiasticae compaginis indoles postulabunt. Iustum igitur Nobisque pergratum erit ex totius orbis Episcopis atque ex religiosis Ordinibus optimos quosque ac peritos Fratres deligere, quemadmodum pro Commissionibus Concilii praeparatoriis factum est; ut una cum idoneis Sacri Collegii Patribus consilio et ope Nos adiuvent ad generalia Concilii decreta in opportunas et peculiares normas adducenda. Itaque, firma semper manente Romani Pontificis potestate, a Concilio Oecumenico Vaticano primo definita, rerum prudentia ususque Nobis suadebunt, providentissimo Deo auspice, qua ratione efficacior reddi possit pia ac studiosa Episcoporum opera ad totius Ecclesiae bonum promovendum.

Quamobrem, dum huic sessioni Concilii Oecumenici finem imponimus, libenter animadvertimus, eam, omnibus perpensis, momenti obtinuisse praestantiam. Magnum ea confecit opus; unum et aliud e propositis sibi capitibus absolvit; aliarum quaestionum bene coepit investigationem; ostendit varias posse opiniones libere declarari; demonstravit mentium concordiam circa maximi momenti quaestiones, de quibus disceptetur, et optari et haberi posse; palam fecit veritatibus dogmaticis, quae ad catholicae doctrinae thesaurum pertinent, universos prorsus firmiter et aperte adhaerere; in nobis omnibus eam aluit caritatem, quae apud nos ab investigatione et professione veritatis numquam seiungatur oportet: semper in proposita Concilii intendit, ad sacrorum Pastorum munera spectantia; nullo non tempore vias elegit et verba, quibus seiunctorum fratrum animi nobiscum conciliarentur; denique in omnibus operibus suis precibus Deo supplicavit, cuiusvis bonae spei fonti et principio.

Sed huius sessionis exitu expedito, pariter acrius in ea prospicimus quae adhuc agenda sunt, pariter altius in animis nostris sentimus, facere nos non posse, quin Ecclesiam magis idoneam reddamus ad ferendum nostrae huius aetatis hominibus veritatis salutisque nuntium.

Neque enim sollicitudo nostra abstracta est a praesentium temporum condicionibus, neque nostra deferbuit caritatis flamma, qua humanum genus complectimur. Quod quidem efficientioris caritatis studium in suo animo unusquisque religiose fovebit, cum ad suam sedem et ad sueta officia redibit.

Antequam consessus hic amplissimus hodiernas sacri apostolatus quaestiones aggrediatur, nos omnes quodammodo iam compertum habemus, quomodo eaedem sint solvendae: etenim sive doctrina Eccle-

siae copia et nitore praestans, sive optimorum Fratrum exempla iam nobis terendum iter monstraverunt. Nonne igitur, in patriam vestram reversi, iam nunc potestis actuosioris pastoralis virtutis specimina edere, hortativa et consolatoria verba ferentes christifidelibus vestris, iisque omnibus, quos sacrum vestrum ministerium pertingere valet? Nonne iam nunc, quasi ad digne praeparandam proximam Concilii Sessionem, spiritualem vitam nostram impensiore studio excolere possumus ac Dei voci magis pronas aures praebere? Nonne potestis clero vestro flagrantioris caritatis nuntium afferre? Laicis hominibus salutationem et hortamenta fiduciae plena impertire? Iuventutem ad altiora inflammare? Hominibus doctrina excultis lumen aliquod veritatis praebere? Operariis opificibusque spei et amoris testimonium exhibere? pauperes et egenos docere, ad ipsos potissimum pertinere primam Evangelicam beatitudinem?

Nos persuasum habemus, huiusmodi diligentiorem sacri muneris perfunctionem posse nos aptos reddere ad id efficiendum ut, Deo volente, magnum hoc Concilium salutaribus christianae vitae fructibus concludatur.

Nunc vero quaedam subiungere placet, ut propositum vobis nuntiemus, quod iam pridem in animo volvimus et hodie patefacere statuimus, in hoc lectissimo ac gravissimo Coetu.

Tam penitus persuasum habemus ad felicem exitum Concilii assequendum pias supplicationes esse suscipiendas, opera multiplicanda, ut, post maturam rei considerationem et multas preces Deo adhibitas, statuerimus Nosmet ipsos, peregrinatoris in modum, in regionem illam, patriam Domini Nostri Iesu Christi, conferre.

Est igitur Nobis propositum, Deo auxiliante, proximo mense Ianuario petere Palaestinam, ea mente ut in locis sacris, ubi Christus natus est, vixit, obiit et e morte resuscitatus ascendit in caelum, praecipua mysteria salutis nostrae praesentes recolamus; id est Incarnationem et Redemptionem. Visemus terram illam venerandam, unde Sanctus Petrus profectus est, quo nullus eius Successor amplius revertit. Nos quidem, humillime et perbrevi tempore, studio piae precationis, paenitentiae, spiritualis renovationis eo redibimus, ut Christo Ecclesiam suam offeramus; ut ad eam, unam et sanctam, Fratres inde seiunctos revocemus; ut misericordiam divinam imploremus ad pacem fovendam, quae his diebus adhuc tenuis et quasi trepidans esse videtur; ut Christo Domino supplicemus pro salute totius generis humani. Beatissima Virgo Maria se Nobis praebeat, quaesumus, itineris ducem; Apostoli autem Petrus et Paulus et omnes Sancti Nos caelitus benigne custodiant.

Quemadmodum Nos vestri in ea piissima peregrinatione memores

erimus, ita vos, Fratres venerabiles, rogamus, ut vestris precibus Nobis adsitis, ut hoc Concilium ad felicem exitum perveniat, ad gloriam Christi et bonum Ecclesiae eius.

Omnibus denique gratias agimus eosque iubemus valere; Observatoribus item animum gratum et officiosum in discessione significamus, idemque dilectis Auditoribus praestamus et cunctis qui Deo supplicarunt pro Concilio eidemque operam navarunt.

Item amans sed tristis cogitatio Nostra praesertim ad Nostros convolat in Episcopatu Fratres, absentes et in passionibus positos, quos summo gaudio complecti volebamus, quorumque precationes, doloribus pretiosiores effectae, ad felicem progressionem huius secundae sessionis laborum tam efficaci ratione — ut pro certo habemus — contulerunt. Quos paterna recordatione continenter prosequentes iisque animum addentes, ut in fidelitate erga Christum eiusque Ecclesiam firmiter perseverent, ipsis singulari caritate benedicimus. Caelestium pariter munerum conciliatricem omnibus catholicae familiae fidelibus, iisque, qui Christi Redemptoris lumine illustrantur, Apostolicam Benedictionem peramanter dilargimur; cunctis vero bona voluntate praeditis hominibus felicia ac salutaria omnia precamur.

6

Sessionis conclusio

Post Allocutionem *Summus Pontifex* omnibus praesentibus Apostolicam Benedictionem impertitur:

Summus Pontifex: Sit nomen Domini benedictum!
℟ Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Summus Pontifex: Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟ Qui fecit caelum et terram.

Summus Pontifex: Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.
℟ Amen!

[Plausus].

Secretarius generalis: Reponitur Sacrosanctum Evangelium.

Facta repositione S. Evangelii, Summus Pontifex discessit, omnibus plaudentibus, dum Chorus Cappellae Sixtinae exsequitur cantum *Tu es Petrus* (6 vocibus: Bartolucci).

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis LXXIV

Congregatio Generalis LXXV

Animadversiones scripto exhibitae quoad cap. I schematis de Oecumenismo

Congregatio Generalis LXXVI

Congregatio Generalis LXXVII

Animadversiones scripto exhibitae quoad cap. II schematis de Oecumenismo

Congregatio Generalis LXXVIII

Congregatio Generalis LXXIX

Animadversiones scripto exhibitae quoad cap. III schematis de Oecumenismo

SESSIO PUBLICA III